




Google

COMMENTATIONES
HERODOTEAE

SCRIBEBAT

FRIDERICUS CREUZER

THEOL. AC PHILOSOPH. DR. ET LITERAR. GRAECAR.
LATINARUMQUE IN ACADEMIA HEIDELBERGENSI
PROFESSOR

AEGYPTIACA ET HELLENICA

PARS I

SUBJICIUNTUR AD CALCEM
SUMMARIA, SCHOLIA VARIAEQUE LECTIONES
CODICIS PALATINI

LIPSIAE MDCCCXIX
IN BIBLIOPOLIO HAHNIANO



VIRIS CLARISSIMIS

SULPICIO BOISSERÉE

PHILOSOPHIAE DOCTORI ARTIUMQUE LIBERALIUM
MAGISTRO

ET

J. JACOBO GOERRES

PHILOSOPHIAE PROFESSORI REIQUE LITERARIAE IN
PROVINCIA RHENO-MOSELLANA PRAEFECTO

MUSARUM HERODOTEARUM
CULTORIBUS

HANC

AMICITIAE OBSERVANTIAEQUE TESSERAM

D. D.

FRIDERICUS CREUZER.

PRAEFATIO.

In prooemio ejus libelli, quem ante hos quindecim annos vernacule scripsi *de Arte Graecorum historicâ* eram pollicitus me item vernacule conditurum esse Commentarios in Historiae Patrem, qui excerpta darent quum ea, quae alii interpretes ad Herodotum intelligendum contulerunt, tum vero maxime quae recenti operâ Larcherus et Renellius. Postea displicuit hoc consilii. Neque enim curtatus Larcheri commentarius sufficere videbatur doctis: Renellii autem epitome a Bredovio concinnatâ sic satis consul-

tum videbatur eorum commodis, qui Geographiae veteris primordia intelligere cuperent.

Quocirca mutatâ prorsus ratione, quum quidquid a Gronovio, Wesselingio, Valckenaerio, Larchero, aliis, adhibitum esset Herodoteis libris intactum a me vellem; meae mihi ipsi copiae parandae fuerunt. Itaque quo primum de fontibus et indole historiae Herodoteae magis constaret: triennio pôst collecta a me praestiti *Historicorum Antiquissimorum Fragmenta*, nimirum Hecataei, Milesii, Charonis et Xanthi; utpote a quibus scriptoribus quodammodo profectus fertur Herodotus. Quo in libello quae ad *fidem* ejus scriptoris recte aestimandam universe disputata exhibitaque sunt a nobis: ea nunc quidem repetere noluimus.

Hoc pacto auctâ operâ et succrescente in dies materiâ factum est paullatim, ut malum nomen dicerer nonnullis, et Ionicarum Musarum propemodum oblitus. Neque tamen me poenitet procrastinationis. Nam interea et praestabilis Schweighaeuseri editio prodiit (quam Lexico augere nunc cum maxime meditatur doctissimus editor) — et observationum monumentorumque ad Herodotum facientium largam messem certatim collegerunt Galli atque Britanni.

Quorum studiorum fructus quo quam primum ad Historiae Patrem redundarent, faciendum putavi, ut commentandi initium ab Aegyptiacis ducerem, ut in quorum argumento maxime contineatur argumentum voluminum illorum Francicorum Britannicorumque. Atque in his quidem spatiis perinde est, ubiubi primum pedem figas.

Etenim licet arte scriptoris apte contineantur singulae partes Herodotei operis: argumento tamen ac materiâ eaedem prorsus sejunctae apparent. Quae cum ita sint, ubi commodum erit, posthac quoque nunc Aegyptiaca tractabimus, nunc Persica, nunc Hellenica, nunc Scythica aliaque. Neque in singulis his partibus deverticulorum laxamenta detrectabimus; et quod Herodotus fecit, idem et ipsi nunc fecimus, ut *Aegyptiacis* rebus interponeremus *Graecas*, videlicet sicubi res ipsa sibi videbatur poscere; et argumenti similitudo ab altero loco ad alterum avocabat. Evolvendi quaerendique laborem levabit vel potius prorsus diminuet *Index* copiosus et accuratus cum verborum tum rerum his Commentationibus adjiciendus.

De opere qualicunque hoc meo non est quod ipse dicam: optime judicabunt

doctissimi quique, h. e. ii qui harum rerum et difficultatem et gravitatem expendere valent. Quod Schweighaeuseranam singularium locorum, quos tractavi, translationem interposui his Commentationibus: propterea feci, ut telam haberent, qua contexerent singulos locos harum rerum studiosi; qui in gravioribus tamen rebus Graeca integra comparabunt cum Latinis. Ac Schweighaeuserus ipse voluit, neque ego nolo has *Commentationes* meas *Supplementi* usum praestare iis, qui eâ editione utantur.

Quae ad calcem a nobis adjecta sunt *Summaria, Scholia, Variaeque Lectiones e Codice Palatino, nunc rursus Heidelbergensi*, enotata: ea, licet leviuscula ex parte, tamen praetermittere noluimus, utpote pertinentia ad scriptorem primarium, eumque, cujus interpreti

haud ita magnus copiarum criticarum numerus suppetat.

Quod reliquum est, publice hoc loco a me grates persolvendae sunt Viro doctissimo *Friderico Augusto Guilielmo Spohn*, Professori in Academiâ Lipsiensi meritissimo; qui, licet aliis districtus negotiis plurimis, tamen meam in gratiam plagulas a prelo madentes summâ cum diligentiâ suis ipse oculis percensere voluerit.

Scrib. Heidelbergae

ipsis Kalendis Juliis MDCCCXVIII.

COMMENTATIONES HERODOTEAE.

PARS I.

ARGUMENTUM.

CAPUT I.

§. 1—8. Commentatio ad locum Herodoti II, 85—90. (Interponuntur Corinthiaca de arcâ *Cypseli.)*

CAPUT II.

De primariis *urbibus sepulcralibus* per Aegyptum consecratis, et de caussis indoleque religionum veteris Aegypti popularium. (Ad Herodoti II, 2. aliosque locos multos.

§. 9. De *Thebis* Aegyptiacis insulâque Beatorum.

§. 10. De *Abydo* Aegyptiâ et de sepulcrali contubernio Osiridis-Memnonis.

§. 11. De *Memphi*, imperii capite Isidisque non minus, quam Osiridis conditorio.

§. 12. De *Busiri* et *Atarbechi bestiarumque* apud veteres Aegyptios conditurâ ac cultu sacro, itemque de sacris Isidis, de Venere Aegyptiâ et de *Cretensium Atticorumque* ritibus aliquot fabulisque.

sacra pertinentibus. Adjiciuntur *universalia de mumiis et de literis hieroglyphicis.*

§. 25. Explicantur aliquot *icones*, *mortuorum judicia et animarum migrationem* exhibentes. (Ad Herodot. II, 123. aliosque locos.)

§. 26. *Hermes ἐνταφιαστὴς* ac *ψυχοπομπός*, *vitaeque redeuntis* auguria.

§. 27. Universalia quaedam de *corporibus veterum Aegyptiorum medicatis*, et de *hieroglyphicis literis*, quas *eorum tegmina* habent. (Ad Herodot. I, 140. II, 36 et III, 16.)

§. 28. De *mumiâ Darmstadinâ nuper Coloniensi.* (Ad Herodot. II, 169. aliosque locos.)

Appendix Commentationum Herodotearum. Summaria, Scholia Variaeque Lectiones, E Codice Palatino Nro. CXXIX. Enotata.

INDEX
IMAGINUM IN TABULA ADJECTA EXHIBITARUM.

Nro. 1. Cadaver rite conditum auguratumque; sacra Aegyptiorum parentalia et mulieres mortuum plangentes. Pars tabulae pictae in hypogaeo Ilithyopolitano superioris Aegypti, ubi hodieque Elkab. Ex opere, quod inscribitur: Description de l'Egypte, Antiqq. Vol. I. pl. 70. nr. 5. *)

(Vid. Comment. nostrae caput I. §. 1. ad Herodot. II, 85 et §. 2. ad ejusdem II, 86.)

Nro. 2. Hermes Cynocephalus cadaver rite conditum inaugurans. Ex tabulâ pictâ in *Regum sepulcris* prope Thebas Aegyptias. Descript. de l'Egypte Antiqq. Vol. II. pl. 92.

(Comment. cap. II. §. 12. §. 24. cap. III. §. 26.)

Nro. 3—7. Iudex inferorum animaeque humanae fata ac vicissitudines. Icon expressa e volumine papyraceo Thebaïco, quod exhibet idem opus Antiqq. Vol. II. pl. 83. fig. 1.

(Comment. cap. III. §. 25. 26. 27. 28.)

Nro. 8. Mumia Darmstadina nuper Coloniensis. Imago cum ad ipsum cadaver, quod Darmstadii in Museo Magni Ducis est, tum ad sciagraphiam ibidem asservatam expressa.

(Commentat. nostr. §. 28.)

*) Delineavit has icones *Josephus Dambacherus* Badensis, Seminarii philol. Heidelb. nuper sodalis artisque pictoriae studiosus; qui idem mumiae Darmstadinae majorem imaginem, a *Schnellio* accurate meum in usum confectam, in hac ipsâ tabulâ adumbravit.

CAPUT I.

COMMENTATIO

AD

LOCUM HERODOTI II, 85—90.

§. 1.

Cap. 85. „*Lamenta et sepulturae* in hunc modum instituuntur. Quando ex domo quadam decessit homo, cujus aliqua ratio habetur, feminae ex ea domo omnes luto oblinunt caput aut ipsam etiam faciem, ac dein, relicto domi cadavere, ipsae per urbem discurrentes plangunt, succinctae, mammasque exserentes, et cum his propinquae omnes. Aliâque ex parte viri plangunt, et ipsi succincti. Haec postquam fecerunt, ita demum ad condiendum efferunt."

Κατ' ὦν ἐπλάσατο τὴν κεφαλὴν πηλῷ. De hoc usu quae apud Grammaticos leguntur, ut Gregor. Corinth. p. 446 sq. Schaef. Grammat. August. ibid. p. 669. Vatic. p. 699. eadem nuper iisdem paene verbis perscripta reperi in Grammatico cod. Schellershem. nuper admodum edito. Vide Additamm. ad

Etymolog. Gudianum p. 678. lin. 53 sqq. ed. Sturz. Unde a me repeti nil opus est. Caeterum hoc ipso Herodoti loco est usus Schaeferus l. l. ad Longi Pastor. IV. p. 418., quem vide. *Πηλός* autem terra liquore affuso subacta explicante Hemsterhusio ad Lucian. Prometh. Vol. I. p. 203. cf. quos alios laudavimus ad Plotin. de pulcrit. p. 261. adde Herodot. II, 36. med. Alias vocis significationes attigerunt Hamacker Lectt. Philostratt. p. 5. et Joseph Bekker in Specim. Obss. in Philostrati V. A. p. 28 sqq.

τύπτονται ἐπεζωσμέναι. (Sic corrigendum etiam in Variet. lect. ed. Schweigh. p. 208.) Hanc lectionem tuetur codex praestantissimus Schellershem. (F. ap. Schweigh. quem nunc iterum manibus verso.) Singulos viros Aegyptiorum binas vestes habuisse, feminas unam tantummodo tradit noster II, 36. cf. II, 81. Verum hoc nihil facit ad nostri loci sententiam. Ac vestimentorum apud veteres ratio omnis impedita est. Nec expeditior hic locus accurate sciscitantibus videbitur. Sed vide, quantum valeat legitima verborum explicatio. Eam praestat h. l. Wyttenbachius ad Selecta Historicorum p. 355. Unde insigniora apponam: — „Ergo *ἐπιζώννυσθαι* est insuper cingi, id est, cingulo supra reliquas vestes addito.“ — Ergo Aegyptii in luctu pectora nudabant, ut ea plangerent; ne autem ulterius etiam nudaretur corpus, *ἐπεζώννυντο*, cingulo circa extremam corporis nudati partem circumdato.“ Haec ille. In alia abire videtur Fea Abbas, qui ad Winckelmanni Historiam art. I. p. 335. ed. Dresd. noviss. hunc ipsum Herodoti locum laudat, quo doceat, intra vestem fasciam s. cingulum assuisse Aegyptios.

At hoc foret ὑποζώννυσθαι. Idem Abbas Herodotea illa II, 36: τῶν ἱστίων-προςδέουσι, quae ad vela nautica pertinent, ad vestimenta videtur retulisse. [1]) Sed tamen quae posuit Fea, utique tuearis veterum monumentorum fide, ad quam ille etiam provocavit. Comparent in anaglyphis Aegyptiorum homines seminudi cingulo *intra* vestes alligato. Noli tamen credere, quidquam mutandum esse h. l. Nam reapse feminam ἐπεζωσμένην exhibet anaglyphum illud Matthaeianorum, quod pompam Isiacam praestat, ubi conspicimus feminam sistrum tenentem, et mamillas nudantem, h. e. ita cinctam, ut fascia s. *retinaculum ab humeris suspensum vestem sub pectoribus retineat.* Vid. Museum Chiaramont. tab. II. fig. 4. Atque ibidem p. 9. not. 34.

Philippus Aurelius Visconti haud inepte verborum Herodoteorum mentionem fecit. Eadem fere vestimenti ratio apparet in Iside depicta in fasciis mumiae Gottingensis. Vid. Heynii Notitiam p. 11. et cf. Boettigeri librum Ideen zur Archaeologie der

---

1) Quoniam navium mentio facta est, verbo monere liceat: ὑποζωννύειν *nauticum* esse vocabulum. Polybius in Excerpt. Legat. nr. 64. (XXVII, 3. 3.) de parandis instruendisque navibus usurpat ὑποζωννύειν ναῦς, cf. Schweigh. Lex. Polyb. in voc. Junge Act. Apost. XXVII, 17. et Wetsten. in N. T. Tom. II. p. 642. Περιζώννυσθαι autem frequens per libros N. T. de modo *vestiendi.* Quam rem non praetermisit, qui nuper Praeside Joanne van Voorst, V. Cl. mihique amicissimo, *de usu verborum cum praepositionibus compositorum in Novo Testamento* luculentas *Animadversiones* Lugduni Bat. 1818 edidit Guil. van der Leeuw, vir juvenis eruditus Specim. I. p. 73.

Malerei I. p. 59. Malim tamen, Herodotum h. l. potius respexisse ejusmodi genus cinguli, quale conspicitur in figurâ exsculptâ Philis in porticu templi majoris. Quam imaginem nunc exhibet grande opus, quod inscribitur: Description de l'Egypte Antiqq. Vol. I. pl. X. nr. 3. Et vero omnem dubitationem tollunt feminae funus ducentes plangentesque in anaglypho colorato sepulcrorum urbis Ilithyiae, hodie Elkab. Vide ibid. pl. LXX. nr. 5. Quae feminae et ipsae *pectora nudant, ita tamen, ut cingulum valde tenue et angustum medium corpus circumdet.* Quae imago [2]) ad oculorum sensum explicat verba Herodotea, et ex asse respondet verbis Diodori, qui item de lugentibus Aegyptiis ita I, 72. p. 83. Wessel: *καὶ περιεζωσμένοι σινδόνας ὑποκάτω τῶν μαστῶν.* Videlicet fasciae vestesque cogitari debent admodum deductae ac tenues.

Καὶ φαίνουσαι τοὺς μαζούς. Homericum. Odyss. XVIII, 67. — — *φαῖνε δὲ μηροὺς* — — *φάνεν δὲ οἱ εὐρέες ὦμοι.* Unde natae illae *φαινομηρίδες* Ibyci ap. Plutarch. Compar. Lycurg. et Num. cap. 4. p. 159. Coray. Hesiodus *Ἐργ.* 733 sq.: *Μηδ' αἰδοῖα – παραφαίνεμεν.* In quo argutantur grammatici. Vid. Moschopul. p. 156. Sed Scholiastes simpliciter accipit pro *δεικνύειν.* Similiter Scholion codicis Schellersh.: *ἁπλῶς δὲ νοεῖται οὕτω μὴ παράφαινε τὰ .... ἤγουν τοὺς ὄρχεις ἐμπελαδὸν καὶ πλησίον τῇ ἑστίᾳ καὶ τῷ μαγειρίῳ, τουτέστι τῷ πυρί· ἀλλ' εὐσχημόνως κάθησο καὶ μὴ ἀπροσέκτως καὶ ἀσελγῶς.* Eodem voca-

---

2) Vid. tabulam ad calc. Comment. nostrae adject. nr. 1.

bulo utitur Pollux VII, 55. p. 724. Hemsterh. in Lacaenarum tunicâ describendâ — *ἐκ τῆς κάτω πέζης παρέφαινον τοὺς μηρούς.* Vertunt: *juxta exserebant.* Quod ibidem φανομηρίδας legitur, mendosum judicabat Stephanus in Thesauro II. p. 1643. e. At pluribus mendis laborare videtur Pollucis locus. — Caeterum *hunc planctum Aegyptiorum* propter defunctos Moses etiam agnoscit in Josephi pietate memorandâ. Genes. L. 1 seqq. Et Babyloniorum similes lamentationes eâ in re fuisse perhibet Herodotus. I, 198. cui loco adhibe Zoegam de obeliscis p. 268. not. 60. Alia de hujusmodi mulierum planctu e peregrinationum libris congessit Heynius in Spicileg. antiquit. mumiar. in Commentt. Soc. Scientt. Gotting. Vol. III. p. 80 sqq. Magis nos advertere debet illud, quod eosdem lugendi plangendique ritus hodieque per Aegyptum obtinere docti Francogalli testantur, quales et Herodotus descripsit et picturae illae Thebaicae in sepulcris ante oculos ponunt. Vid. Royer et Jomard in Descript. de l'Egypte. Livr. X. p. 43. et Antiqq. II. p. 383. Tantopere sibi multa per secula constant orientalium hominum mores. Quae res quam vim habeat ad religiones veterum populorum recte intelligendas, hoc loco longum est exponere.

Οὕτω ἐς τὴν ταρίχευσιν κομίζουσι. Ad condiendum Valla et Schweigh. *à l'endroit, où on les embaume* Larcherus. Cf. autem cap. 89. *διδοῦσι ταριχεύειν.* Caeterum probabile est, in singulis vicis et pagis aedificia fuisse, ubi cadavera condirentur, plura etiam in qualibet urbe majore; ut v. c. Alexandriae fuit Necropolis vid. Strabon. XVIII. p. 1743. A. et cf. Heynii Spicileg. antiq. mum. p. 83. Alio loco

idem Strabo XVI. p. 1109 loquitur de quibusdam Aegyptiacae terrae locis — ταῖς καλουμέναις Ταριχείαις, ibique cum ταριχείας ἰχθύων memorat, tum τὰς ταριχείας τῶν νεκρῶν. Jam cum Herodotus II, 15 et 113. gemina loca eodem nomine ταριχηΐων agnoscat: Jacobus Gronovius p. 91 ad calc. ed. Wessel. a piscium salsamentis appellata vult ea loca: Wesselingius contra p. 110. nominis caussam a contumulatis ibi hominum animaliumque cadaveribus fortasse repetendam existimat. Tu adjice nunc, quae Jablonskii diligentia congessit in Vocc. Aegyptt. p. 302. Atque haec ipsa nos eo deducunt, ut moneamus de hoc vocabulorum genere, quod Herodotus cum alibi, tum hoc ipso loco tantopere frequentat; vid. cap. 86. 87. 88. 89. ubi etiam ταριχευταὶ memorantur. Jam primum, etsi scriptores veteres ταριχεύειν promiscue usurpant, tam de quolibet salsamenti genere, quam de condiendis cadaveribus; (vid. Plat. Sympos. XV, 3. Wolf. et Phaedon. p. 80. p. 39. Wyttenb.) tamen huic negotio universo condiendorum cadaverum proprium adhaesit, observante etiam Wesselingio ad Diodor. Sicul. I, 91. Salsamenti significatum saepius retinuerunt veteres medici. Vid. v. c. hujusmodi locos in Corpore, quod ex Oribasii codice nuper edidit Matthaei, p. 23. 154. 253. 255. 353. et alibi; ut aliorum scriptorum testimonia omittam, in his Athenaei III. p. 119. qui etiam de genere vocis τάριχος disputat; cf. Hamackeri Lectt. Philostratt. p. 60 seq. Ab illa autem duplici potestate vocis τάριχος pendet vis ostenti, quod Herodotus refert lib. IX. cap. 120; ubi est τεθνεὼς καὶ τάριχος. A quo loco copiosae annotationis initium duxit Gatakerus

ad illa Antonini Imp. lib. IV. §. 48. *τάριχος ἢ τέφρα.* — Alterum usum jam agnovit Homerus, cui *ταρχύσαι* est *θάψαι, ἐνταφιάσαι,* explicantibus Apollonio et Eustathio ad Iliad. VII, 85. et XVI, 674. cf. etiam Heyn. Obss. ad locum priorem, et adde Zoegam de obel. p. 268. Atque hunc usum attendere nos jubet Hesychius II. p. 1349. Alb. ubi ita: *ταριχευτόν· τηκτόν, ξηρόν.* Ad quem locum adhibe interprett. et Bielii Thesaur. T. III. p. 421. Inde etiam *αὖοι* dicti Aegyptiorum mortui, docente Solano ad Luciani locum proxime citandum. Inde eleganter Sophocles in Phineo ap. Athen. III. p. 119. p. 461. Schwgh. *νεκρός, τάριχος εἰσορᾶν Αἰγύπτιος,* quod de Phineo dictum videtur longâ fame confecto. Sequor enim h. l. Jacobsii viri elegantissimi rationem, expositam in Additamm. Animadvv. ad Athen. p. 83. Lucianus autem, si Scholiastae fides, in Necyom. §. 17. p. 23. Bip. vocabulo *ταριχοπωλοῦντας* tangit condituram cadaverum; quae lucidius ab eodem §. 15. p. 18. ita describuntur: *καὶ μάλιστα τοὺς Αἰγυπτίων ἀλύτους* (indissolubiles) *διὰ τὸ πολυαρκὲς τῆς ταριχείας,* ut eum locum egregie restituit Hemsterhusius, quem adhibe. In eadem re *διαλύεσθαι καὶ διαπίπτειν καὶ διαπνεῖσθαι* usurpat Plato in Phaedone p. 80. p. 39. ed. Wyttenbachii, qui in annotatione accurate exposuit de discrimine inter *συμπίπτειν* et *διαπίπτειν.* Ego h. l. proferam, quem idem laudavit neque vero apposuit, locum eam in rem classicum *Aeneae Gazaei,* qui quidem ita in Theophrasto p. 68 sq. ed. Casp. Barth: *Θεο. ἔστω ἃ πείθεις. ἀλλ' εἰ μὲν τὸ σῶμα μεμορφωμένον διέμεινεν, οὐκ ἀπίθανον ἦν αὖθις ὥσπερ εἰς ἄγαλμα*

τὴν ψυχὴν ὑποδῦναι· εἰ δὲ πολλῶν ἐτῶν ἡ τοῦ σώματος ἁρμονία λέλυται, πῶς ἂν ὕστερον αὐτῷ χρήσεται ἔτι; *ΑΙΓ.* ἢ ποῦ ἄρα τὰ παρ' ἡμῖν σώματα ῥαδίως ἀναβιώσεται. κεῖται γὰρ τεταριχευμένα καὶ πρὸς ὑποδοχὴν ψυχῆς ἕτοιμα. *ΑΞ.* ὡς εὔχαρις Αἰγύπτιος· ὁ δὲ Θεόφραστος οὔπω κατενόησεν ὡς οὐδὲν διαφέρει νεκρὸς διαχυθεὶς, καὶ ἔτι συμπεπηγώς. ὁμοίως γὰρ ἐν ἀμφοτέροις ἡ ἁρμονία διαλέλυται. οὐ γὰρ ἂν ἀποσταίη σώματος ἡ ψυχὴ, μὴ τῆς ἁρμονίας λυθείσης, ὥστε τοῦ γεγραμμένα (leg. γεγραμμένου) ὁ νεκρὸς ἄνθρωπος οὐδὲν ἄμεινον, ὅτι μὴ καὶ ἀσθενέστερος. Ὁ μὲν γὰρ εὔχρους τὲ καὶ ἐν ὥραις δὲ ἀπηνθηκὼς, (leg. ἐν ὥραις· ὁ δὲ ἀπηνθηκὼς) καὶ ὅλως ἔξωρος. ἢ τοίνυν τὰ χρώματα καὶ τοὺς εἰργασμένους λίθους εἰς ὑποδοχὴν ψυχῆς νεκροῦ σώματος χρὴ προτιμᾷν, ἢ οὐδὲν διαφέρειν ὁμολογεῖν εἰς κοινωνίαν ψυχῆς τὸ συνεστηκὸς σῶμα τοῦ διεσκεδασμένου. Quo in loco quae de corpore tamquam animae receptaculo ex conditurae instituto ducuntur, ea infra attingemus: nunc attendamus praecipue proprietatem verborum ab Aeneâ in hac re usurpatorum. Ab hoc communi fere scriptorum loquendi usu recedit Athanasius in vitâ S. Antonii Tom. I, 90. p. 689 ed. Patav. cum dicit: οἱ Αἰγύπτιοι τὰ τῶν τελευτώντων σπουδαίων σώματα καὶ μάλιστα τῶν ἁγίων μαρτύρων φιλοῦσι μὲν θάπτειν καὶ περιελίσσειν ὀθόναις κ. τ. λ. ubi θάπτειν dictum videtur pro ταριχεύειν, cf. Walchium de mumiis Christianorum p. 52 — 56.; etsi justam veteremque illam ταρίχευσιν a Christianis esse usurpatam addubitat Heynius Spicileg. p. 97. qui θάπτειν h. l. de solâ conditurâ ne-

que vero de incisione et quae eam sequuntur accipi vult. ταφαὶ universe usurpavit initio hujus capitis Herodotus, ubi aditum sibi parabat de omni re funebri Aegyptiorum exponendi.

Videamus de ταριχευταῖς (cf. cap. 89.) Eos Diodorus I, 91. omni honore cultuque dignatos et sacerdotibus familiares prodit: alia omnia Pseudo-Manetho VI, 459 sqq. qui eosdem tamquam miserum hominum genus describit. Et revera si turpissima ipsorum facinora reputaveris ab Herodoto cap. 89. memorata: honoratorum hominum ordini eos eximere merito allabores. Verumtamen haec quodammodo conciliari possunt. Videntur enim taricheutae adscripti fuisse pastophoris, h. e. infimi ordinis sacerdotibus. De his cf. quae posuimus in Mythologiâ I, p. 278. et adhibe Zoegam de obelisc. p. 255. qui idem ex Horapollinis Hieroglyph. I, 39. hoc in medium profert: pollinctorem (ἐνταφιαστήν) eodem hieroglyphico charactere ab Aegyptiis significatum esse, quo et propheta et hierogrammateus, nimirum canis effigie, quae Anubidis s. Hermae est. Quam rem ante oculos ponunt picturae in mumiis — de quibus infra. — Caeterum in hoc ipso negotio praeter taricheutas *scribam* et *paraschisten* memorat Diodorus I, 91. Quod nec Heynium fugit. Vid. ejus Spicileg. p. 83.

§. 2.

Cap. 86. „Sunt autem ad hoc ipsum certi homines, qui *artem* hanc *condiendi mortuos* exercent. Hi, ubi illis allatum est cadaver, ostendunt his, qui illud afferunt, exemplaria lignea cadaverum

picturâ verum imitantia. Et praestantissimam quidem condiendi rationem dicunt ejus esse, cujus nomen in tali re effari nefas duco. Monstrant vero et exemplar alterius, quae huic inferior est et minus pretiosa; denique tertiam, vilissimam. Quibus expositis, quaerunt ex illis, quonam genere parari velint cadaver. Tum hi, postquam de mercede convenit, abeunt: et illi, suis in aedibus manentes, si *praestantissimâ ratione condiendum cadaver* fuerit, rem ita peragunt: Primum incurvo ferro per nares extrahunt cerebrum; et partem quidem cerebri ita extrahunt, partim vero infusis medicamentis. Deinde acuto lapide Aethiopico circa ilia incidunt cadaver, et totam alvum exenterant, et purgatam eluunt vino palmeo, iterumque tritis aromatibus extergunt: tum tritâ purissimâ myrrhâ et casiâ aliisque odoribus, thure excepto, alvum complent, atque completam rursus consuunt. His ita factis, nitro condiunt, conduntque cadaver per dies septuaginta; nec enim licet diutius. Praeterlapsis septuaginta diebus, lavant cadaver, et totum corpus sectis ex sindone byssinâ fasciis involvunt, gummi sublitis, quo pro glutine maxime utuntur Aegyptii. Inde ubi cadaver receperunt propinqui, capsam conficiendam curant hominis figurâ, cui includunt cadaver, atque inclusum reponunt in conditorio sepulcrali, rectum statuentes ad parietem. Haec est ratio apparandi ea cadavera, quae pretiosissime condîta volunt."

Fidem Herodoti auctoritatemque hoc in loco ita definit Heynius in Spicil. Ant. Mum. p. 78. ut alia eum visu, alia narratu accepisse dicat. Quem judicandi modum excedit Beckerus in August. I.

p. 6 sq. cum Herodotum Diodorumque negat plus scire *potuisse*, quam vulgi ore ferretur. In qua levitate miror etiam Royerium deprehendi in Descript. de l'Egypte Mem. X. p. 208. Sed idem tamen aliquanto cautior reperitur altero loco p. 211. Neque tamen ipse Blumenbachius in Symbolis vernaculis ad Histor. natur. II. p. 121. ed. alter. non conatus est pronuntiare, quae utervis rerum scriptor de mumiis tradat, haec eos non tam suis ipsos oculis usurpasse, quam ex aliorum narrationibus hausisse. Nimirum illi viri docti judicium suum de horum scriptorum fide suspensum fecerant, vel potius facere debebant, ab earum mumiarum ratione, quales hodieque per Europae musea servatae reperiuntur. At vero advertere nos debet intelligentissimi Jomardi sententia, quam ille pronuntiare non dubitat in Descr. de l'Egypt. Antiqq. II. p. 348. cum dicit, ante expeditionem Francogallorum Aegyptiam nemini accurate cognitam fuisse condiendorum cadaverum artem quae apud veteres Aegyptios floruerit. Et reverâ quidquid mumiarum Europaeis hominibus adhuc obvium fuerat, id omne fere ex Memphitici agri finibus Saccaraeque erutum fuerat. Contra Herodotus Diodorusque Thebaïdis incolarum opulentiam et apparatum maxime respexisse putandi sunt. Quae res quam vim habeat ad lectionem quoque dijudicandam in ipso Herodoteo loco, infra monstrabitur.

Non major eruditorum hominum consensus *in explorandis caussis, quae Aegyptios commoverint, ut tam operose condirent defunctorum cadavera.* Nam primum Heynius l. l. p. 75 plures ejus instituti caussas enumerat. Zoega contra de obelisc. p. 264.

negat operae pretium esse inquirere in originem caussamque moris, qui non solum apud Aegyptios, sed apud permultos per universum terrarum orbem populos diffusus fuerit. (Tu vide, quae ipse eam in rem collegit et adde Zachii geograph. Ephemerid. 1806. I. p. 54.) Verumtamen, ut Aeneam Gazaeum taceam, cujus locum eam in rem classicum supra exhibui: ad religiones Aegyptiorum ipse nos advocat Historiae pater III, 16. cum neque igne absumi corpora, nec vermibus confici eos voluisse memoret, et magis etiam hoc ipso capite, in quo versamur, ubi sacrum simulacrum a cadaverum conditoribus pro exemplo propositum esse refert. Sed quando religiones dicimus, plura cogitari possunt, quae probe distinguenda sunt. Nam primum potuit in caussâ fuisse migrationis animarum tam efficax doctrina. Atque hoc ipsum arguunt Herodotei loci II, 123. atque Diodori I, 91. cum nostro loco collati; videlicet quoniam ex vulgi opinione anima defuncti ab infelici orbe migrationis diutius retineretur circa integrum cadaver libenter quasi commorans. Cujus rei recte admonuit nuper etiam Lauthius, vir doctus in Histoire l'Anatomie Tom. I. p. 9. Alius caussae mentionem injicit Tib. Hemsterhusius ad Luciani Necyom. III. p. 356. Bip. cum dicit: „ut ne post obitum quidem carissimorum pignorum conspectu privarentur.“ Et reapse huc nos revocat ipse Herodotus II, 78. quo loco cadavera in arcis picturâ exornatis ad Aegyptiorum convivia adhibita narrat. Pertinet haec res ad *sacra* veterum populorum *gentilitia.* Ac quam vim habeant cultus defunctorum apud priscos populos, orientis maxime, sepultura in aedibus vel in viciniâ

aedium, [3]) inferiae statis temporibus peractae, jura Manium, igitur haec omnia quam potestatem habeant in familiarum sacra, jus gentilitium adeoque hereditarium, breviter sed docte nuper adumbravit Bunsenius de jure heredit. Atheniensium p. 122. Quam in rem plura dicentur infra ad Herodot VI, 68 seqq. et I, 67 seq. Nunc hoc unum adjiciam, hinc intelligi posse quae peregrinatores commemorant de sepulchris ad moenia ipsasque aedes Graecarum urbium, Athenarum, Corinthi, Syracusarum, aliarum repertis; unde vasa illa eruuntur picturarum ad religiones antiquiores pertinentium largam messem exhibentia.

His praemissis sigillatim exponamus insigniora: *παραδείγματα νεκρῶν ξύλινα, τῇ γραφῇ μεμιμημένα* cf. II, 78. Utrobique *simulacra mumiarum lignea coloribus inducta* explicat Heynius l. l. p. 78. debebat potius: *picturâ*, nimirum eâ, quae Isidem Osiridem ut plurimum aliasve res sacras exhiberet. Herodoteae orationis diligens imitator Pausanias lib. X. cap. 34. extrem. ita: *καὶ ἐπείργασται τῇ ἀσπίδι τὸ Ἀθήνησι μίμημα κ. τ. λ.* ubi commode explicat Facius, Herodoti etiam admonens. Quo magis eundem miror intactum reliquisse haec ejusdem Pausaniae lib. V, 11. init. *ἔστι καὶ ζῶα ἐπ' αὐτοῦ γραφῇ μεμιγμένα.* Sed attigit medicâ manu Schaeferus recteque reposuit *μεμιμημένα*, ad Dionysium de composit. p. 291.

3) Sed tamen quae hac in re circumscribenda sunt, ne forte ad unum omnes Aegyptios in aedibus suis suorum cadavera asservasse credas, infra ad cap. 86. exponemus, ad verba *ἐν οἰκήματι θηκαίῳ.*

Τὴν — σπουδαιοτάτην — δευτέρην — τρίτην. Illud referendum ad remotius *ταρίχευσιν*, non ad *γραφὴν*, recte judicante Heynio l. l. p. 82. Nec minus recte illud ponit, cujusvis classis modos fuisse plures, testantibus mumiis, quae hodieque supersint, adsentiente etiam Zoëgâ de obelisc. p. 258. Quum vero idem Heynius de hoc loco ambigat, et rectius a Diodoro traditum credat, qui *sumtuum* ad unum quodque conditurae genus necessariorum *rationem* s. *computationem* a taricheutis propositam narret: recte utique Herodoti auctoritatem tuetur Zoëga libr. l. p. 252. not. 15, monstrans, commode haec sic expediri posse, ut cogitemus, singula lignea exempla fasciis, pro cujusque conditurae ratione diversis involuta fuisse, unde ex cujusvis mumiae adspectu, vel ex picto mumiae schemate distingueretur, cujus classis esset. Atque Zoëgam ea in re verum vidisse nunc nemo non intelliget, qui quidem tabulam adspexerit e sepulchris Ilithyiopolis Aegypti erutam iconeque expressam, quam *Nr.* 1. *nostri* exempli habet. Videlicet quae deinceps proferentur, ea unumquemque docebunt: *hanc universam Aegyptiorum condituram sacrae initiationis vim ac potestatem habuisse.* Sic, ut hoc utar, tertia condiendi ratio minimo constabat, ita ut vel pauperrimi hoc quidquid erat impensarum erogare possent. Inde credibile fit, antiquitus quidem, h. e. florentibus Pharaonum rebus, Aegyptios ad unum omnes conditurâ usos esse, non minus quam aliunde constat ad unum omnes Atticos mystas factos esse, h. e. minoribus certe Eleusiniis initiatos.

Caeterum quod apud Diodorum I, 91. prima conditura talento Attico constitisse dicitur, altera viginti minis, Larcherus ad rationem nostram redegit, ut prima rediret ad 5400 libras Francicas (h. e. 1200 thaleros Saxon.) altera ad 1800.

Τὸ οὔνομα. Quod Pignorius de mensâ Isiacâ p. 51 ed. Amstel. *Hori* nomen Herodotum h. l. reticuisse opinatur, possit veri simile videri ei, qui lugubria etiam de Horo apud veteres scriptores narrari meminerit. Sed tamen Athenagoras in legat. pro Christ. cap. 25. p. 32 ed. Paris. 1655. Herodoti locos attingens in hac ipsâ caussâ non dubitavit diserte nominare Osiridem: *οὐ μόνον ὁ τάφος τοῦ Ὀσίριδος δείκνυται ἀλλὰ καὶ ταριχεία.* Unde efficitur Athenagoram hoc Herodoti loco *Osiridis simulacrum in mumiae formam compositum* cogitasse. Atque recte eum cogitasse, nemo ambiget, qui legerit Herodot. II, 61. ubi in Isidis festo die lamentationes fiunt; qui item ritus expenderit, qui II, 132. [4]) describuntur; et qui denique locos II, 170 sq. nostro loco adhibuerit. Et aliunde quoque idem comprobaveris. Nam ipso Herodoto teste Osiris est idem, qui Bacchus II, 144. In Bacchi autem priscis sacris lugubria spectacula ad lacum exhibita a Graecis esse, similiter atque ab Aegyptiis, alibi exposuimus. Et icunculae ipsae arguunt,

4) Quem locum quum non intelligeret, falso ad Typhonem retulit Jablonski in Panth. Aegypt. Part. III. p. 72. Neque enim *τύπτονται τὸν θεὸν* est *verberibus caedunt deum*, sed est *plangunt*, *se verberant*. Eam vim verbi, post Kusterum in Herodoto monstraverat dudum Jac. Gronovius ad II, 61. Tu adde Wesseling. ad II, 41. et Matth. Gramm. gr. §. 419. 5.

vel in sepulchris repertae, vel in mumiarum picturis exhibitae. Sunt enim Osiridis imagines. Sed de his infra dicetur. Hîc tantummodo commonstrare volebam, quam jaceat Pignorii opinio, composita cum fide Athenagorae, quem etiam recte secuti sunt interpretes ad h. l. Heyniusque cum in Spicil. p. 82. tum in Comm. de fontibb. Diodori p. 50 Bip.

Caeterum quod Larreyus in Descript. de l'Egypte Tom. II. (Etat moderne) ubi ternas mumiarum classes secundum Herodotum et ipse facit, illud adjicit: „Chacune de ces momies porte les attributs de l'art, ou de la profession que l'individu a exercé pendant sa vie, et ses utensiles sont renfermées avec lui dans le cercueil" — ipse viderit. Neque enim sine certâ fide scriptorum veterum hoc posuerim. Blumenbachius ad distinguendas mumiarum classes illud facere arbitratur (Symbol. vern. ad Histor. natur. II, 95. 127.) quod nonnulla cadavera medicata digitos habeant rubro colore pictos, quam rem ab ipsis vivis factam existimat ex more orientalium, item quod in aliquot mumiis extrema dentium hebetata ac praepilata appareant. Idem ex gentium demum discrimine accurate explorato mumiarum classes rite distingui posse censet, hujusque rei periculum et ipse fecit; de quo infra paucis agemus.

— *Οἱ μὲν ἐκποδὼν, μισθῷ ὁμολογήσαντες, ἀπαλλάσσονται.* Zoëga de obelisc. p. 256. Herodotum et Diodorum inter se conciliare studet, quorum ille omnibus semotis condituram peractam dicit, hic populo coram solemnibusque ritibus adhibitis prodit perpetratam. Ponit enim vir doctus haec ipsa: „Potest tamen sic intelligi Herodotus, quod

cadavere tradito, abire *liceret* necessariis, ut pote qui justa jam persolvissent defuncto: vel Diodorus ita explicari, ut caeremonias illas in secreto observatas credamus ab iis, qui corporis curam susceperant.“ Haec ille. Nec mihi displicet haec ratio. Caussam si quaeris, adspice tabulam nostram Nro. 1. e necropoli urbis Ilithyiae deprompiam, et videbis alterum hominem e taricheutarum collegio monstrare *adstantibus defuncti necessariis* ipsius erectum cadaver, nimirum ut condiendi negotium rite peractum demonstret: alterum (pollinctorem) jam in eo esse, ut corpus a se conditum sacro libamine adspergat. Quod officium ante illam monstrationem peractum cogita.

Οἱ δὲ ἀπολειπόμενοι ἐν οἰκήμασι, Schweighaeuserus vertit: suis in aedibus. Ego, quo perspicuitati consulatur, omiserim possessivum, quandoquidem cogitanda sunt aedificia publica, ubi conditura peragatur. Vid. quae supra ex Strabone posuimus ad voc. *ταρίχευσιν*.

— *διὰ τῶν μυξωτήρων ἐξάγουσι τὸ ἐγκέφαλον* — *φάρμακα*. Cerebri per nares educti apud Diodorum nulla mentio. Quapropter in diversas partes iverunt eruditi. Attigerat eam rem Clauderus in arte balsamendi p. 57. pluresque deinceps in examen vocarunt quos laudat Zoëga p. 252, in his haud pauci, qui Herodoti hoc testimonium confirmarent. Eandem tuetur experientissimus Blumenbachius in Götting. Magaz. I. p. 155 et iterato in Beitr. z. Naturgesch. I, p. 131. ed. alter. qui partes narium ferro laesas reperit. Ac ne de praestantissimo cadaverum medicatorum genere dubites, vid. quae Royerius et Jomardus ves-

tigia memorant scriptoris loco congrua in Descript. de l'Egypte p. 215 et p. 544. (Vol. II. Antiqq.) *Medicamenta* quod attinet in cranium injecta, de resinâ aliisque materiis in cranio mumiarum repertis plura te docebit Gmelin in experimentt. in mumiis institutt. (Commentt. Societ. Scient. Gotting. Vol. IV.) p. 4 seq. Ei junge Blumenbachium cum in libro proxime laudato p. 93 sq. tum in Collectionis craniorr. Decad. VI, qui quidem aliis in craniis plurimam repertam dicit: in aliis prorsus nullam. Ad eandem diversitatem etiam nos attendere jusserat doctiss. Goënsius luculentâ annotatione ad Porphyr. de Nymph. antro cap. 16. p. 106; qui et ipse patrocinatum ivit Historiae patri.

λίθῳ Αἰθιοπικῷ. Lapides ad secandum adhibitos nemo nescit, ut in circumcisione. Sacri codicis locos laudat Wesseling. Joh. V, 2. Exod. IV, 25. ubi LXX. simpliciter ψῆφον. Quibus locis adhibe Bielium in Thes. III. p. 624, haud protrita exhibentem, nec Herodotei testimonii oblitum. Quodsi tamen quaeras, quodnam genus lapidum h. l. intelligi debeat, respondet Caryophilus de marmoribus p. 38 sq. esse eundem lapidem, cujus etiam Strabo mentionem faciat. Ego in medium proferam. Ita enim Geographus (XVII. p. 808. p. 1158. ed Oxoniens. Falconerii p. 608. Tzschuck.): se Syenen inter atque Philas reperisse *πέτρον ἠλίβατον στρογγύλον, λεῖον ἱκανῶς, ἐγγὺς σφαιροειδοῦς τοῦ μέλανος καὶ σκληροῦ λίθου, ἐξ οὗ αἱ θυεῖαι γίνονται.* Tu adde Plinium H. N. XXXVI, 7. 11. Indidem artis quoque opera confici solita, docentibus Caylo comite in Recueil d'antiqq. Vol. V. p. 11. et Winckelmanno in

Hist. art. Vol. I. p. 123, ipsiusque editoribus ibid. p. 356. ed. noviss. Dresd. Quam rem et ipse attigi in Dionyso p. 203. Caeterum tria genera Basaltae orientalis nigri distinguunt naturae exploratores, in quibus quod maxime frequentatur, maxime durum est, docente Ferbero in libro vernaculo: Briefe aus Welschland p. 270 sq. cf. Martinii Excurs IV. ad J. A. Ernesti Archaeolog. liter. p. 158 sq. Sunt etiam qui ex Strabonis loco geminisque Syenitae lapidis nomen introduxerunt, in quibus est ipse ille Wernerus, in Beckeri Augusteo Vol. I. p. 41. Utut appellandum censeas: hoc unice tenendum nobis est, duritiem lapidis, a Strabone memoratam, vehementer congruere ei usui, cui Herodotus adhibitum testatur.

Quod Wesselingius in Monumentis Middletonianis tab. XXIII. p. 263 ejusmodi lapidem in manibus Anubidis corpus secantis agnoscit: mavult Boettigerus in Ideen z. Arch. d. Malerei p. 60 pro vasculo, sive *σπονδείῳ* habere universamque rem ad sacra libamina referre [5]). Ego, qui ipse inspexi iconem, nil confidentius decernam. Contra idem vir doctus ejusmodi cultrum existimat exhibitum conspici in sinistrâ manu mumiae masculae Dresdensis (ibid. p. 72.). At vero vel maxime pertinet ad fidem Herodoti confirmandam culter ex Aethiopico lapide confectus inque Gothanâ mumiâ repertus ab Herzogio. cf. Blumenbach. in Goetting. Magaz. I. p. 139.

---

5) Geminam fere iconem sed elegantiorem illam ornatioremque, erutam ex hypogaeis Thebaicis quae Regum sepulchra dictitantur, e Descript. de l'Egypte Vol. II. Antiqq. pl. 92. infra tabulâ aeneâ expressam subjeci nr. 2.

παρασχίσαντες παρὰ τὴν λαπάρην. Hinc παρασχίστης Diodori loco gemino I. 91. Incisionem autem faciendam a *scribâ* praemonstratam perhibet idem ibid. De λαπάρᾳ copiose ex medicorum veterum doctrinâ disputat Foësius in oeconomiâ Hippocrat. p. 226 sqq. [6]) Unde etiam Homero lux adfertur. cf. Heynium ad Iliad III, 359. VI. 64. Nobis sufficit tenere, λαπάραν esse partem mollem inter ossa pectoris et ossa ilium interjectam. Illud memorabile, ab Herodoto unam tantummodo incisionem agnosei sub costarum parte factam; contra in picturâ ex mumiae involucro desumtâ apud Kircherum Oedip. Aegypt. III. p. 512, quam nuper exhibuerunt editores Winckelm. hist. art. Vol. I. tab. 2. incisio fit supra umbilicum, nec minus Gryphius mumiam Vratislaviensem in lineâ albâ incisam refert p. 52. Quae si admittas, quo Herodoti fidei patrocineris, binas incisiones in uno eodemque cadavere factas dixeris necesse est. At vero praestat in medio relinquere quae ex recentioribus et partim fortasse mangoniis mumiis referuntur, et circumspicere potius germanas ex Thebaicis sepulchris erutas. Atqui in iis unam duntaxat incisionem offenderunt Francogalli, eamque in sinistrâ corporis parte factam, ut est apud Diodorum, testantibus Villoteau apud Silvestr. de Sacy ad Abdollatifii Relat. de l'Egypte Tom. I. p. 20 et Royerio in Descript. de l'Egypte livr. X. p. 215 sq. Quorum hic mumias etiam reperit, quae

---

6) Erotianus explicat τὴν πλευράν. Cf. Adriani Heringae Medici Observatt. Cap. I. p. 8. hanc Erotiani Glossam tractantis.

nullum incisionis vestigium exhiberent. Quam rem ille ibid. subtilius explicat, et utrumque cadaverum genus per suas classes docte persequitur. Unde etiam Lauthius profecit in Histoire de l'Anatomie p. 15. 23 sqq. Atque hic ibidem hoc adjicit: neque usum condiendorum cadaverum quidquam pertinere ad anatomiae scientiam vel mediocrem, neque universe veteres Aegyptios anatomiae scientiâ arteque valuisse videri. Lenius judicat Royerius p. 211 hoc insuper docens: Aegyptios in historiae naturalis scientiâ satis versatos fuisse, qui condituram tam efficacem ac perennem reddere calluerint. Atque plura amplioraque iisdem etiam assignare non dubitat Jomard. in Descript. de l'Egypte Antiqq. I. cap. 5. §. 4. p. 25. Etenim ex artis operibus in Thebaïde residuis plane effici arbitratur, Anatomiae haud mediocriter peritos fuisse priscos Aegyptios.

Οἴνῳ φοινικηΐῳ [7]) cf. Herodot. III, 20. I, 194. *βίκους φοινικηΐου οἴνου πλέους.* Qui locus admonet Ephippi apud Athen. I, 53. p. 29. (p. 111. Schweigh.), ubi *φοινικίνου βῖκός τις* commemoratur. Antea Athenaus dixerat: *φοινικίου οἴνου*, et postea usurpatur: *φοινικικοῦ*, ubi Schweighaeuserus (p. 219 animad.) tres formas tuetur, nec trium Herodoti locorum immemor. Athenaeo ibidem ad partes vocatus Xenophon Anabas. I, 5. 10. luculenter, uti assolet,

---

7) Illud *διαθήσαντες*, in quo codices Herodotei fluctuant (vid. Wesseling. et Schweigh. in var. lect.) confirmes loco Aëtii medici cp. IX. p. 2. (in Andr. Mustoxyd. et Demetr. Schinae *Συλλογ. Ἑλληνικ. Ἀνεκδοτ.* quam nuper mecum communicavit vir Cel. Jacob. Morellius) ubi est *εἶτα διηθήσαντες τὸ ὕξος κ. τ. λ.*

de eo vino ita: *οἶνον ἐκ τῆς βαλάνου τῆς ἀπὸ τοῦ φοίνικος*, ubi nemo non agnoscit vinum ex palmulis expressum. Ac palmarum proventu claruisse Babyloniam libro primo cap. 193. ipse Herodotus prodit; cui loco junge Strabonem XVI. p. 1078, insertum etiam Schneideri Eclogg. physicc. p. 193, et quae in eam rem disputavit ad Geoponica Niclasius X, 5. p. 651. Phoeniciam item iisdem arboribus redundasse docet l. l. Xenophon; unde, licet Phoenicia protulerit etiam nobile *vinum viteum*, illud *Βύβλινος οἶνος* in Archestrati versibus apud Athenaeum l. l. de *vino palmeo* accipere mavult Schweighaeuserus p. 218.[8]) De *palmis* Aegypti vid. Larcher. ad I, 193. p. 509 et ad III, 20. p. 285., qui, eâ quidem in terrâ, arte subveniri palmis docet, universeque de hac arbore potioneque agit, secutus Dioscoridem V, 40. p. 339. Plin. H. N. XIII, 4. Salmasium in Exercitt. Plinn. p. 938 alios. Tu consule Strabonem XVII, 818 (p. 610. Tzsch. et praecipue Abdollatifium in Relat. de l'Egypte p. 32, qui copiose de hoc arborum genere exponit. Ab eodem edocemur, esse quidem magnam palmarum copiam in Aegypto,

---

8) Quae idem vir doctus ibid. de confusione *βύβλινος* et *βίβλινος* adde *βίμβλινος*) disputat, de eâ jam inter veteres discordia fuit. Quam dirimere studet Eustath. ad Odyss. XXI, 319. (p. 765. Basil. 1913 Rom.), eamque rem nuper attigerunt Gaisford. in poët. minorr. ad Hesiod. *Ἔργ.* 587. Blomfield. ad Aeschyli Prometh. 836 eique oblocutus vir doctus in the classical Journal XII. p. 413, qui de hujus vini historiâ laudat Mazochium ad Tabb. Heracleenss. p. 200. De confusione inter *βύβλος* et *βίβλος* monuit etiam novissime Jacobs. ad Anthol. Palat. p. 490. 618.

neque tamen eâ praestantiâ atque in Asiâ. Ad quem locum Sacyus v. c. plura in medium profert lectu dignissima, ex Reinerii observationibus, p. 288. Arbores id genus universe descripsit nuper Curt. Sprengel. in Histor. rei herb. p. 19. 29. 107. Efficacem vim quod in conditurâ tribuere videtur ei vino scriptor noster: in locum vini e palmis confecti alia quoque successisse arbitratur Gmelin. in experimentt. mum. p. 18 ibidemque p. 19 universe monet, insigniter variatum esse in materiis conditurae corporum apud Aegyptios. — At vero in vino palmeo cum Herodoto plane facit etiam Diodorus I, 91. gemino loco; et universe caute in his rebus est versandum, ne accuratiorem doctioremque condituram, Pharaonum aetate cadaveribus adhiberi solitam, confundamus cum recentioribus et subinde rudioribus institutis.

ἐξ ὧν εἷλον τὴν κοιλίην πᾶσαν· ἐκκαθήραντες δὲ αὐτὴν — — ἔπειτα τὴν νηδὺν — — — — πλήσαντες, συῤῥάπτουσι ὀπίσω. Super hoc loco accuratam Schweighaeuseri Annotationem cum lectoribus nostris communicabo, ita ut in extremo margine meas aliquot annotationes subjiciam: „Haec Larcherus sic vertit: *Ils tirent par cette ouverture les intestins, les nettoient et les passent au vin de palmier; ils les passent encore dans des aromates broyés; ensuite ils remplissent le ventre de myrrhe* etc. Id si dixit Herodotus; si, quod de diligenti expurgatione, elutione extersioneque multis verbis commemorat, id ad *intestina* pertinet: merito mirabimur cum eodem erudito Interprete, cur non doceat Scriptor noster, quid deinde hisce intestinis fecerint isti homines. Mirarique item subit, Diodorum Sic. I, 91.

perpurgata memorare *intestina* (τῶν ἐγκοιλίων ἕκαστον: paullo ante dixerat, ἕκαστα ἐξαίρει πλὴν νεφρῶν καὶ τῆς καρδίας) nec tamen, quid illis dein factum sit, tradere. De quo quum sileant hi scriptores, poterunt videri significare, postquam diligenter perpurgata fuissent intestina, rursus in cavitate ventris fuisse reposita. Atque id fieri solitum esse, intestina probe perluta mox iterum intra ventrem recondita fuisse *Heynius* etiam in Spicilegio Antiquitatis Mumiarum p. 84 refert, tanquam diserte et ab Herodoto et a Diodoro traditum [9]); quod mihi quidem apud neutrum illorum reperire contigit. Contra Porphyrius (*Larchero* citatus) de Abstinent. An. IV, 9. purgationis quidem nullâ mentione factâ, intestina ait, arcae inclusa, sacris quibusdam precibus peractis, in fluvium esse projecta: quem morem item Plutarchus attigit in VII. Sap. Conv. p. 159. B. [10]) et de Carn. esu

---

9) Ita solius *Diodori* verba accipit Zoëga de obeliscis p. 253, addens, sic eum cum Herodoto componi posse, ut nobiliores viscerum partes in corpore repositas cogites, viliores in fluvium conjectas, ni potius narratio Euphanti apud Porphyrium pro Graeculorum commento habenda sit. — Hoc quidem male. Nec illud mihi persuadet vir eruditus, nam ut taceam, quae ex diligenti Schweighaeuseri vocum νηδὺς et κοιλία h. l. interpretatione contrariam in partem efficiuntur, tam accuratus scriptor, qualis Herodotus est, diserte lectores suos monuisset de hac insigni differentiâ, quae primam inter condiendi rationem et secundam intercessisset. Nunc edocemur ab ipso, primâ illâ condiendi ratione manibus pollinctorum exenteratam esse alvum: alterâ medicamentorum vi et potestate.

10) Pag. 627. ed. Wyttenb. πάνυ μὲν οὖν ἔφη ὁ Σόλων, μὴ καὶ τῶν Αἰγυπτίων ἀκριτώτεροι φανῶμεν, οἳ τὸν νεκρὸν

Or. II. p. 996 E. Cum quibus hactenus *Sextus. Emp.* Pyrrh. Hyp. III. §. 226. consentit, ut dicat, *Aegyptios, extractis intestinis*, *τὰ ἔντερα ἐξελόντας*, condire cadavera. [11]) Jam satis quidem novimus, *κοιλίαν* interdum intestina dici, et hac ipsa ratione id vocabulum a *Porphyrio* et Plutarcho locis citatis usurpari. Immo etiam vocabul. *νηδὺς*, quod, sicut *ἡ κοιλία*, proprie *ventrem* et *alvum* significat [12]) apud

---

ἀνατέμνοντες ἔδειξαν τῷ ἡλίῳ εἶτ' αὐτὰ μὲν εἰς τὸν ποταμὸν κατέβαλον, τοῦ δὲ ἄλλου σώματος ἤδη καθαροῦ γεγονότος ἐπιμέλονται. De cujus loci lectione, quam item attingit Larcherus, vid. Wyttenb. in Animadvv. p. 974, qui ibidem alterum quoque locum, de Esu Carn. p. 54. nov. edit. exhibuit, nec Herodoti nostri oblitus, *qui pretiosissimam condituram prodat, qua κοιλία eximeretur.* Ubi vir doctissimus Plutarcheum vocis *κοιλίας* usum spectasse est putandus atque ipse nostri scriptoris locum ita accepisse, ut intestina haudquaquam rursus in alvo reposita fuerint.

11) Haec ad secundi ordinis condituram trahi vult Zoëga de obelisc. p. 253. Male. Nam vide mihi illud Herodoteum de primo condiendi modo: *ἐξ ὧν εἷλον;* contra de altero: *οὔτε ἐξελόντες τὴν νηδύν.* Unde recte Sexti illud *ἐξελόντες* Fabricius et Schweighaeuserus accepisse putandi sunt: *extrahentes.* Caeterum quod Sextus ibid. (p. 184. ed. Fabric.) addit: *ταριχεύουσιν αὐτοὺς (τοὺς κατοιχομένους* nimirum Aegyptii), *καὶ σὺν ἑαυτοῖς ὑπὲρ γῆς ἔχουσιν*, haec ex Herodoti loco II, 78. sunt explicanda. Nam licet Aegyptiorum plurima cadavera *in hypogaeis* reposita fuerint, tamen credibile est partim quoque, certe ad tempus, privatorum in aedibus asservata fuisse.

12) Haud abs re alienum judico h. l. adponere luculenta verba ipsius medici Philomeni apud Aëtium: *περὶ τῶν κατὰ τὸ στόμα τῆς κοιλίας παθῶν καὶ αὐτῆς τῆς κοιλίας, καὶ ἐντέρων* in Andr. Mustoxyd. et Demetr.

ipsum Nostrum cap. 87. 10. de „*stomacho* et *intestinis* accipiendum videtur. At hoc quidem loco, ad quem nunc haeremus, ubi *τὴν νηδὺν* ait — — — *πλήσαντες συῤῥάπτουσι ὀπίσω* (c. 19—21.) dubium esse nullum potest, *τὴν νηδὺν ventrem* ipsum vel *alvum* dici, non *intestina*. Atqui in eâdem hac narratione vocabula *νηδὺς* et *κοιλίη*, quem l. 17 dicit, prorsus synonyma sunt Nostro: nam pro eo, quod hîc *ἐξ ὧν εἷλον τὴν κοιλίην*, et *τὴν νηδὺν πλήσαντες* dixit, vicissim cap. 87. 4 sq. *ἔπλησαν τὴν κοιλίην* ait, et *ἐξελόντες τὴν νηδύν*. Quare, quod h. l. de expurgatione, elutione et extersione dicit, id non ad *intestina* sed ad cavitatem *ventris*, e quâ exemta intestina et viscera erant, spectare consentáneum est." Haec Schweighaeuserus. Tu adde Herodoti locum IV, 72. ad nostri loci difficultatem tollendam plane factum: *ἐξελόντες αὐτέων τὴν κοιλίην, καὶ καθήραντες, ἐμπιπλᾶσι ἀχύρων, καὶ συῤῥάπτουσι,* quae verba Schweighaeuser. ita convertit: quos, exemtis *intestinis*, *expurgatâque alvo*, paleis implent" et nostro loco adhibita vult. Recte.

§. 3.

Jam posteaquam vidimus Herodotum nihil tradere de intestinis rursus in alvum conjectis, potiusque ex ipsius narratione concludi posse ea rejecta fuisse, neque tamen magis eundem exponere, quid iisdem

---

Schinae *Συλλογ. Ἑλληνικ. Ἀνεκδοτ.* p. 15. — *συνεργητέον δὲ καὶ τῇ διὰ τῆς ἕδρας ἐκκρίσει· ἐγκαθημένον γὰρ τὸ ἀλλότριον καθάπερ φάρμακον, καὶ δάκνον τήν τε κοιλίαν καὶ τὰ ἔντερα, ἕλκει ἐκ τοῦ παντὸς σώματος τὰ ὑγρά.*

postea factum sit: anquiramus necesse est quid eum impulerit, ut rem tam insignem silentio praetermitteret, quam et Plutarchus iterato attigerit, et Porphyrius copiose enarrarit. — Atqui, ne longum faciam, haec ipsa Porphyriana narratio magno argumento est, *noluisse Nostrum eloqui*, quae nos in posteriorum scriptis tantopere offendunt. Erat nimirum, si quis alius, hic scriptor obnoxius religionibus; in quibus quae arcana essent, ea ille ubivis premebat silentio. Ut in Aegyptiacis me contineam, adi modo lib II. cp. 3, ubi diserte profitetur: „quae igitur audivi ad res divinas (*τὰ θεῖα*) spectantia, ea mihi non est animus in publicum edere“ addens: coactum se nonnulla id genus proditurum. Jam ut illuc revertar, parum hoc loco sibi constitisset Herodotus, egregieque ineptum se dedisset, si, qui supra Osiridis necem religione prohibitus siluerat, nec magis infra picturarum hujusmodi sacrarum mentionem fecerat, idem tamen h. l. rituum funebrium et precum arcana eloqui non dubitasset. Etenim quid quaeris? Recens mortuus apud veteres Aegyptios, ex reconditioris disciplinae praeceptis, fuit nil aliud nisi recens initiatus, s. novitius, et quid in eo condiendo componendoque administratum est, id omne ad sacrorum initiorum vim potestatemque spectavit.

Quo tamen lucidius appareat, quantopere ad mysteria pertinuerint hi ritus funebres: age insigniora subjiciamus ex loco Porphyrii de Abstinentiâ, annotationeque in margine reponendâ explicemus. Ita enim ille IV, 10. p. 329 seq. Rhoer: — *ἐκεῖνο μέντοι οὐ παραπεμπτέον, ὅτι τοὺς ἀποθανόντας τῶν εὐγεγονότων ὅταν ταριχεύωσιν, ἰδίᾳ τὴν κοιλίαν ἐξελόν-*

τες, καὶ εἰς κιβωτὸν ἐνθέντες, μετὰ τῶν ἄλλων, ὧν διαπράττονται ὑπὲρ τοῦ νεκροῦ, καὶ τὴν κιβωτὸν κρατοῦντες πρὸς τὸν ἥλιον μαρτύρονται, [13]) ἑνὸς τῶν ὑπὲρ τοῦ νεκροῦ ποιουμένου λόγον τῶν ταριχευτῶν. ἔστι δὲ καὶ ὁ λόγος, ὃν ἑρμήνευσεν Εὔφαντος [14]) ἐκ τῆς πατρίου διαλέκτου, τοιοῦτος· [15]) Ὦ δέσποτα ἥλιε, [16]) καὶ θεοὶ πάντες, οἱ τὴν ζωὴν τοῖς ἀνθρώποις

---

13) Hinc mutatum volebant Plutarchum de esu carn. l. l. πρὸς τὸν ἥλιον ἀνασχίζοντες in πρ. τ. η. μαρτύροντες. Nil mutavit Wyttenbachius, nec rationem mutandi idoneam video. In altero Plutarchi loco est: ἔδειξαν τῷ ἡλίῳ. Eâdem locutione in eâdem re utitur Sextus Empiric. l. l.

14) Vid. Rhoer. ad h. l. qui hunc Euphantum a Fabricio pro eodem haberi dicit, qui *Euphanti* nomine in Pythagoreis numeratur Jamblicho de vit. Pythag. cp. 36. (§. 267. p. 522. Kiessling.)

15) Proclus in Platon. Tim. p. 65 cum de naturâ precum universe praecipit, tum de hoc genere ita: *οὐκ ἄρα σμικρόν τι μόριόν ἐστιν ἡ εὐχὴ τῆς ὅλης ἀνόδου τῶν ψυχῶν, οὔτε ὁ ἀρετὴν ἔχων ἀπροσδεής ἐστι τῶν ἀπὸ τῆς εὐχῆς προσγιγνομένων ἀγαθῶν, ἀλλὰ πᾶν τοὐναντίον ἡ ἄνοδος δι' αὐτῆς ἐπιτελεῖται.* Quae quantopere pertineant ad has Aegyptiorum preces, in quibus et *defuncti virtutes* praedicantur et *animae reditus* diis commendatur, non est necesse multis verbis exponere.

16) Nemesius de natura homin. cap. 36. p. 294 seq. Matthaei: *πρὸς δὲ τοὺς σοφοὺς τῶν Αἰγυπτίων, λέγοντας ἀληθεύεσθαι μὲν τὴν διὰ τῶν ἄστρων εἱμαρμένην, τρέπεσθαι δὲ αὐτὴν εὐχαῖς καὶ ἀποτροπιασμοῖς· (εἶναι γάρ τινας καὶ τούτων αὐτῶν τῶν ἀστέρων θεραπείας, τὰς ἐκμειλισσομένας αὐτούς, καὶ ἄλλας τινὰς ὑπερκειμένας δυνάμεις τὰς τρέπειν αὐτοὺς δυναμένας, καὶ διὰ τοῦτο τὰς εὐχὰς καὶ τὰς θεραπείας τῶν θεῶν, καὶ τοὺς ἀποτροπιασμοὺς ἐπινενοῆσθαι·) ἐροῦμεν·* etc. Habes h. l. ejusmodi preces cum ad solem astraque tum ad

δόντες, προςδέξασθέ με, καὶ παράδοτε τοῖς ἀϊδίοις θεοῖς [17]) σύνοικον. ἐγὼ γὰρ τοὺς θεοὺς, οὓς οἱ γονεῖς μοι παρέδειξαν, εὐσεβῶν διετέλουν, ὅσον χρόνον ἐν τῷ ἐκείνῳ αἰῶνι τὸν βίον εἶχον, τούς τε τὸ σῶμά μου γεννήσαντας ἐτίμων ἀεί, τῶν τε ἄλλων ἀνθρώπων οὔτε ἀπέκτεινα οὔτε παρακαταθήκην ἀπεστέρησα, οὔτε ἄλλο οὐδὲν ἀνήκεστον διεπραξάμην. [18])

---

superiores astris deos flectendos compositas. Sol item memoratur in inscriptione Aegyptiacâ quam ex Evandro Graece profert Theo Smyrn. de Musicâ cap. 47. p. 164. quaeque nec minus vitae ad numerum ordinemque compositae mentionem habet: *πρεσβύτατος βασιλεὺς πάντων Ὄσιρις. Θεοῖς ἀθανάτοις, πνεύματι, καὶ οὐρανῷ, ἡλίῳ καὶ σελήνῃ, καὶ γῇ, καὶ νυκτὶ, καὶ ἡμέρᾳ, καὶ πατρὶ τῶν ὄντων καὶ ἐσομένων Ἔρῳ τε μνημεῖα τῆς αὐτοῦ ἀρετῆς καὶ βίου συντάξεως.*

17) Recte Rhoerius in hoc sermone multa inesse dicit quae Decalogi et sacrorum librorum nos admoneant laudans virum doctum Le Moyne Diss. in Jerem. XXIII, 6. Tu adde Palinum in libro sur l'étude des hieroglyphes III. p. 117 seq. etiam in his rebus bibliorum locos laudantem. Caeterum hunc locum de *animâ* in *aeternorum deorum domicilium* evectâ pluribus modis cum doctrinâ migrationis animarum Aegyptiacâ conciliari posse, diligenter monstravit Rhoerius. Extremae ipsius annotationi adde nunc Porphyrii locum in epistolâ ad Marcellam cap. XIII. p. 27. ed. princ. Mediol. ubi *mens* jubetur deum sectari, *animus* mentem, *corporea figura* animum.

18) Recte ad defunctorum laudationem apud Diodorum Sic. I, 92. nostri sermonis admonuit Wesselingius. Ita enim ille de laudibus defunctorum apud Aegyptios celebrari solitis: *τὴν δὲ ἐκ παιδὸς ἀγωγὴν καὶ παιδείαν διελθόντες, πάλιν ἀνδρὸς γεγονότος τὴν εὐσέβειαν καὶ δικαιοσύνην, ἔτι δὲ τὴν ἐγκράτειαν καὶ τὰς ἄλλας ἀρετὰς αὐτοῦ διεξέρχονται, καὶ παρακαλοῦσι τοὺς κάτω θεοὺς σύνοικον δέξασθαι τοῖς εὐσεβέσι.*

εἰ δέ τι ἄρα κατὰ τὸν ἐμαυτοῦ βίον ἥμαρτον, ἢ φαγὼν, ἢ πίων, ὧν μὴ θεμιτὸν ἦν, οὐ δι' ἐμαυτὸν ἥμαρτον, ἀλλὰ διὰ ταῦτα. [19]) Subjiciamus certe sermonis formulam e translatione latinâ: „O domine sol, et dii omnes qui vitam hominibus tradidistis, me suscipite atque in aeternorum deorum cohabitationem traducite. Ego enim deos, quos a parentibus colendos accepi, pietate semper prosecutus sum, quamdiu

---

Nec absurde cum his precibus apud Porphyrium comparare possis inscriptionem Phoeniciam, in qua Thebe memoratur defuncta, quae benedicat Osiridi, a quo ea pura fuerit inventa, quae nemini maledixerit, neque cujusquam arcana sit elocuta apud Palin. sur l'étude des hierogl. III. p. 136. Magis etiam congruunt his precibus Aegyptiacis Indorum preces, quarum idem mentionem facit p. 125. Tu, si componere utrasque cupias, adi *Guil. Jones* Commentatt. Asiatt. Societ. Calicutt. translat. Germ. Fickii Vol. I. p. 277. Ego insigniora duntaxat excerpta praestabo. Ordiuntur autem ita: „quo ii abeunt qui Unum illum Maximumque norunt, per sacras caeremonias, per pietatem, eodem ignis me conducat." Deinde Aër, aqua, sol et luna et postremo Brahma jubentur animam eo traducere, quo redierunt animae eorum, qui Unum illum Maximumque norunt. Caeterum quod Palinus l. l. hunc ipsum sermonem qui apud Porphyrium legitur, cognovisse sibi visus est in mumiarum fasciis, hieroglyphis expressum, v. c. in mumiâ ap. Kircher. Oedip. Aegypt. Tom. III. p. 428. hac de re ipse viderit. — *παρακαταθήκης* sive depositi mentio fit etiam in disciplinâ Pythagoreorum ap. Porphyrium de vitâ Pythagor. Sect. 39.

19) Alia omnia philosophoque digniora Porphyrius ipse praecipit in Epistolâ ad Marcellam cap. 29. p. 50. *Μηδὲ αἰτιώμεθα τὴν σάρκα ὡς τῶν μεγάλων κακῶν αἰτίαν, μηδ' εἰς τὰ πράγματα τρέπωμεν τὰς δυςφορίας, ἐν δὲ τῇ ψυχῇ τὰς τούτων αἰτίας μᾶλλον ζητῶμεν.* Similia antea docuerat Plutarchus de esu Carn. p. 54. ed. Wyttenb.

eo in aevo vitam traduxi: semperque eos honoravi, qui corpus meum procrearunt. Ex aliis vero neque interfeci quempiam, neque deposito defraudavi, neque alio quopiam pernicioso malo affeci. Si quid vero in vitâ meâ vel comedendo, vel bibendo ex iis quae fas non erat, peccavi, id non per me, sed per haec peccavi." Pergit in Graecis Porphyrius: *δείξας τὴν κιβωτὸν, ἐν ᾗ ἡ γαστὴρ ἦν, καὶ ταῦτα εἰπὼν, εἰς τὸν ποταμὸν ἀφίησι·* [20]) *τὸ δὲ ἄλλο σῶμα ὡς καθαρὸν, ταριχεύει.*

Haec ego explicatius tractanda duxi, cum, quo consuleretur fidei auctoritatique Hisoriae patris, qui solâ religione se impediri passus sit, quominus tam

---

20) Similiter Plutarchus l. l. *τὴν κοιλίαν ἐξελόντες — ἐκβάλλουσιν, ὡς αἰτίαν ἁπάντων ὧν ἄνθρωπος ἥμαρτεν.* Confer nunc Porphyrii epistolam ad Marcellam c. 33. p. 55. *Ἐδεδέθημεν γὰρ φύσεως δεσμοῖς οἷς ἡμᾶς περιέβαλε, κοιλίᾳ, μορίοις, λαιμῷ, τοῖς ἄλλοις μέρεσι τοῦ σώματος κ. τ. λ.* Accommodate ad hoc argumentum precum Aegyptiarum Origenes, et quidem in libello de precibus eoque in loco ubi *reditus* animarum purgationisque mentionem facit, ita p. 126. ed. Wetsten. — *ἵνα τῷ προςδιατρίψαι τῷ κακῷ, καὶ ἐμφορηθῆναι ἧς ἐπιθυμοῦσιν ἁμαρτίας κορεσθέντες αἰσθηθῶσι τῆς βλάβης, καὶ μισήσαντες ὅπερ πρότερον ἀπεδέξαντο δυνηθῶσι θεραπευθέντες βεβαιότερον ὄνασθαι κ. τ. λ.* — Quod autem Zoëga hanc viscerum projectionem in fluvium pro Graeculorum posterioris aevi commento haberi volebat: ut alia taceam ad Nili Gangisque sanctitatem pertinentia, debebant ab ea suspicione eum revocare, quae pervetusto more apud Atticos perpetrata refert Pausanias I, 28. 11. qui item buphoniorum festo cultrum, tanquam omnis flagitii auctorem, in aquam projiciebant. Qui Atticorum ritus eodem pertinebant quo hi ipsi Aegyptiorum, ad *carnium esum voluptatemque corporis luendam.*

insignes ritus funebres narraret; tum vero etiam, quia in his rebus judicandis hodieque maxime a viris eruditis, ut h. l. ab Heynio, Zoëga, aliis peccari videram.

Jam sigillatim agamus de hoc loco Herodoteo: — θυμιήμασι τετριμμένοισι, — τὴν νηδὺν σμύρνης ἀκηράτου τετριμμένης καὶ κασίης, καὶ τῶν ἄλλων θυωμάτων, πλὴν λιβανωτοῦ, πλήσαντες. Horum aromatum proventum, in Arabiâ felicissimum, ac percipiendi modum ipse *Noster* describit III, 107. 110. 111. Sed tamen quo intelligatur vis, quam harum rerum quaelibet ad condienda cadavera habet, placet h. l. de singulis breviter monere, ita ut Larcherianis annotationibus haud pauca adjiciamus. Proinde continuo adhibe huic universae descriptioni rei aromaticae Blumenbachii Institut. hist. med. p. 9. et Curt. Sprengelii Gesch. d. Arzneik. I. p. 81. Atque Gmelinus (Experimm. in mumm. institut. p. 18.) in his Herodoti verbis docet bina nobis tenenda esse: primum, adhibita fuisse *herbas* et *succos* aromaticos odoratosque, alterum hoc, ventris cavum non perfusum esse materiâ condiente, sed *subtilissimo per colum sive cribrum trajecto ejus pulvere repletum;* quod intelligatur ex his: θυμ. τετριμμένοισι et τετριμμένης. De herbarum autem *pulvere* cogitat etiam Heynius in Notit. mumiae Gottingensis (Commentt. Soc. Scientt. Gotting. Vol. IV.) p. 18. in hoc tamen falsus, quod viscera in alvo reponenda eo pulvere adspersa putat. In alia omnia abit Rouellus in Memoirr. Academ. Parisin. Scientt. ann. 1750. p. 120 sqq. Negat enim pulverem aromatum in viscera injectum; ejusque rei duas

caussas adfert; neque enim idoneum esse solum pulverem ejusmodi siccandis corporibus, neque vero reperiri ejus pulveris reliquias in mumiis. Contra haec disputat Lauthius in Histoir. de l'Anatomie Vol. I. p. 20 seq. et oblocutus priori argumento hoc alterum ita infringit, ut dicat: pulverem eum adhibitum esse nonnisi pretiosissimo generi condiendorum corporum, eaque cadavera medicata perrara esse, proinde facile potuisse fieri, ut Rouellus hoc genus mumiarum non viderit. Haec Lauthius, recteque si quid video. Nam quae per Europam asservantur mumiae, eae pleraeque herbarum ipsarum aliarumque rerum farragine repletae sunt. Atqui ex istiusmodi centonibus haudquaquam pendet auctoritas Herodoti, ut qui in Thebaïde hypogaeisque Regum alias mumias spectaverit. Caeterum in exitu hujus loci juvat adscribere verba Appuleji in Apologia p. 295. Elmenh. — „ut si *thus* et *casiam* et *myrrham* ceterosque id genus odores *funeri* tantum emptos arbitreris; cum et *medicamento* parentur et sacrificio."

§. 4.

θυωμάτων. Laudant hunc locum Eustathius ad Odyss. IV. p. 157. ed. Basil. et Thomas Magister p. 462. Bernard. Atque hic quidem cum alterum *θυμίαμα* ejusmodi auctoritate ejicere conatus esset, dudum explosus a viris doctis in annotationibus est. Vid. p. 459 seqq. Et Noster ipse proxime scripserat *θυμιήμασι.* Vicissim Alberti ad Hesych. I. p. 1751. *θυωμάτων* recte tuetur adversus Gronovium; et Wesselingius cum aliis veterum locis tum ipsius Nostri II, 40. III, 115. firmat. Adde Ruhnken. ad

Tim. p. 143. et Suid. II. p. 214. ubi Kusterianae rationi adstipulatur nuper editus Photius in Lex. Gr. p. 76. — Caeterum in aromatum nominibus ad conditurам adhibitorum ab Herodoto nonnihil discrepat Diodorus I, 91. docente etiam Heynio in Spicileg. Antiq. mumm. p. 94. — Ac *mel* quoque *Aegyptiacum* cadaveribus nonnunquam circumfusum esse prodit Abdollatif in Relation de l'Egypte p. 199. ed. Silv. de Sacy.

σμύρνης ἀκηράτου τετριμμένης: myrrhae purae contritae. De voce *ἀκήρατος* (Homero usurpatâ, cf. Apollonii L. Hom. p. 72. 75. Tollii) non est quod multis verbis dicamus post Valckenarii annotationem ad Nostri IV, 152. et Ruhnkenii disputata ad Tim. p. 7. Frequentatur enim ea vox per philosophorum scripta, maxime Platonicorum, ad Nathanaëlem usque, philosophum Christianum. Cf. ejus locum ad calcem Plotini de pulcr. p. 442. — Videtur autem locus Herodoteus haud incommode comparari posse cum V. T. oraculo Exod. XXX, 23. in LXX. interprr. *Καὶ σὺ λάβε ἡδύσματα, ἄνθος σμύρνης ἐκλεκτῆς πεντακοσίους σίκλους.* Quod ipsum breviter sed optime explicat *J. David. Michaëlis* in commentario, hoc pacto, ut sit succus myrrhae *sponte fluentis*, neque incisione aliquâ eductus. Illum enim generosiorem esse. Manat nimirum id liquoris ex Africae arbusculâ acaciarum consimili. Ac copiosius de Exodi loco l. egit Fr. Fortunat. *Scacchus* in Thesauro Antiqq. sacroprofan. II. cp. 8. p. 328 sqq. a nemine, quod sciam, adhibitus, licet Herodoti nostri et ipse mentionem fecerit. Pluribus laudatur Ol. Celsius in Hierobot. I. p. 520. et Foësius in oecon. Hippocrat.

p. 361. Schneiderus Eclogis suis physicc. inseruit Theophrati locum insignem Hist. Plantt. IX, 2. p. 967 ed. Bod. a Stapel. — Galenus autem de Antidott. I. p. 433. σμύρνην τρωγλοδύτην dicit τὴν καλλίστην, i. e. eam, quae in confiniis sinus Arabici gignitur in terrâ Troglodytarum, docente Bocharto in Phaleg. II, 23. et, qui eum adhibuit, Niclasio ad Geopon. VII, 36. p. 526. — Quod ab Herodoto h. l. myrrha condiendis cadaveribus adhibita narratur, illud convenit N. T. Joann. XIX, 39. ubi item condiendo Jesu corpori inservit. Quo de loco uberrime disputavit in Plinianis Exercitt. magnus Salmasius; et mumiarum quoque mentionem ita fecit, ut discrimen monstraret inter exenterata cadavera Aegyptiorum et pollincta tantummodo, qualia apud Judaeos fuere. Idem aliis locis pluribus de myrrhâ egit, quos citare nil attinet.

Κασίης. Hoc loco eam nemo confundet cum cassiâ Plinii (XX, 9. 29.) sive *cneoro* (Zeiland). Herodotea cassia est *κασία σύριγξ*, sive *cassia fistula* (cannelle) et vero fortasse *Laurus cassia* Linnaei, consimilis cinnamomo. Ac *κινναμώμῳ* condita Aegyptiorum cadavera prodit loco gemino (I, 91.) Diodorus. *Casia fistula* quomodo percipiatur, Herodotus ipse exponit III, 110, a cinnamomo casiam diserte distinguens; ad quem locum de utroque aromate post Salmasium ac Bodaeum pluribus verbis egit Larcherus Tom. III. p. 375—380. Tu confer Herodot. III, 107, et recentioribus a Larchero laudatis adde Needhamum et Niclasium ad Geoponica VII, 13. p. 493; J. Henr. *Voss.* ad Virgil. Bucol. II, 49. et Georg. II, 213. 466; Corayum ad Heliodori Aethiop. X, 26. Annott. p. 352; Curt.

Sprengel in Hist. rei herbar. I. p. 172 sq. p. 260 sq. et Silvestr. de Sacy ad Abdollatifii Relat. de l'Egypte p. 135 sq. — Ac quoniam Arabicum scriptorem laudavimus, verbo dicamus de sententiâ Caryophili in libro de usu et praestant. thermarum p. 4. Qui quidem ita pronuntiat: ignotum fuisse veteribus Graecis Casiae usum, nec magis nota iisdem alia medicamenta e plantis deducta, et mirificam ad purgandos humani corporis humores vim habentia; haec omnia demum ab Arabum medicis inventa esse introductaque. Qua de re judicent peritiores. Mihi tamen haudquaquam persuasit. Caeterum Philostratus in monte Indiae Caucaso cum alia aromata tum cinamomum dicit nasci, in Vit. Apollon. III, 14. p. 69. Olear. mira addens de capris ejus arboris odore ductis. Atque casiam cum aliis aromatibus ex Indiâ ad Chalifarum etiam aulas advectam prodit Mohammed Ebn Batuta in itinerario nuper admodum edito operâ *Kosegartenii* p. 4. Hebraico in sermone nunc accipiunt pro קִדָּה, nunc pro קְצִיעוֹת, vid. Celsii Hierobot. II. p. 360. et Fr. Fortunat. Scacchi Thesaur. Antiqq. sacr. prof. II. p. 346 sq.

λιβανωτοῦ. De thure nos edocet ipse Noster III, 107; ubi vid. Larcherum (p. 369) ab eoque laudatos scriptores. Adde Bodaeum ad Theophrasti H. Pl. p. 964. (collatis etiam Schneideri Eclogg. physs. §. 95. p. 126.) Interprett. ad Geopon. VII, 13. p. 491. ed. Niclas. Foësii oeconom. Hippocrat. p. 233. Interprett. ad N. T. Matth. II, 11. Interprett. ad Thom. Magistr. p. 577. Bern., et Curt. Sprengel in Histor. rei herbar. I. p. 172. Elicitur autem ex arbore thuriferâ quam pro *Junipero Phoeniciâ* s. *thuriferâ* habent nonnulli, suc-

cus duplex: major, s. *stagonias*, et minor s. *orobias*; vid. J. Henr. Voss. ad Virgil. Eclog. VIII, 65. et praecipue ad Georgicc. II, 117. unde Larcheri annotatio potest suppleri; qui, Plinio auctore putans, nonnisi in Arabiâ provenire eam arborem, non meminerat loci Philostratei in Vit. Apollon. III, 4. (non III, 1. ut apud Voss. l. l. scriptum est, nimirum p. 96 ed. Olearii.)

ταριχεύουσι λίτρῳ. Vid. Wesseling. et Schweighaeuser ad h. l. et ad cp. 87, ubi ex cod. Schellersh. in meo exemplo dudum correxeram λίτρον. In Hippocrate tamen solam alteram formam νίτρον cognoscere videtur Foësius; quam in libro de Aquis, aëre et locc. cp. 35. p. 30. nec minus intactam reliquit Corayus. Neque codices varietatis quidquam exhibebant; quos tamen arbitror non minus ad communem dialectum redactos esse quam multos Herodoteos. Et λιτρώδη reddidit Schweigh. Theophrasto ap. Athenaeum II. p. 159. Quem locum miror a Corayo non adhibitum esse Hippocrati l. l. Nam quod hic princeps veterum medicorum aquas nitrosas alvum adstringere dixerat: Theophrastus alia omnia; ut qui Nili aquam ait ventrem bibentium solvere, cum admixtam quandam vim habeat nitrosam. Erant autem in Aegypto nitritae paludes et mons Nitriae atque urbs ejusdem nominis adeoque universus nomus ex eâdem re appellatus circa Momemphim, hodie Menouf. Vid. Strabon. XVII. p. 1139. ed. Oxoniens. Falconer. ibiq. notatt.; adde Champollion l'Egypte s. l. Pharaons II. p. 298 sqq. ibiq. laud. Andreossy Mem. sur la vallée des lacs de Natron in Decade Egypt. Tom. II. p. 93 sqq. Atque Champollion ipse ibid. ex cod. mscr. copt. Vatic. locum profert, unde

discimus sanctum Macarium cum sociis ex monte Nitriae (Pihosem, i. e. natri) natrum petiisse. De *νίτρῳ* autem veterum locus classicus est Theophrasti de igne, p. 434 sq. nuper etiam a Schneidero exhibitus in Eclogg. physs. p. 154. quem cf. in notis p. 90 ab eoque laudatum Beckmannum ad Aristotel. qui fertur mirab. auscc. LIV. et ad Antigon. Caryst. p. 216. Ac priori loco (p. 111.) Beckmannus pluribus verbis contendit: *νίτρον* veterum *natrum* esse i. e. salem alcalinum mineralem (mineralisch-alkalisches Salz cf. ejusdem Beitrr. z. Geschichte der Erfindd. V, 4.) variisque in aquis ac terris reperiri, praesertim australibus, indeque confici ab orientalibus populis saponem; nec minus eodem hodieque per Aegyptum lintea purgari. Vasa quoque ex natro et sulphure confecta esse ab Aegyptiis, Plinius docet H.N. XXXIII, 57. quae Schneiderus l. l. ea esse arbitratur, quae *Alexandrina* dicta veteribus. Et *νίτρον* quoque memoratur *Alexandrinum*, vid. Needham ad Geopon. VI, 16. p. 461. Niclas. De nitro *βερενικείῳ* s. *βερενικαρίῳ*, et ipso Aegyptio consule Caryophilum in libro de usu thermarum p. 24 sqq. Qui idem de vario nitri apud veteres usu multa congessit. Cui jungendus Corayus in Notes sur le traitè d'Hippocrate des airs etc. p. 109 sq.

Jam ut ea explicem quae cum Herodoteo loco arctius sunt conjuncta: omittere nequeo singularem sententiam hominis haud indocti, Itali, nuper denuo in medium prolatam. Etenim cum inter eruditos fere omnes hodieque conveniat, *nitrum* veterum esse *natrum* quod nunc quidem dicitur: ecce contra eos insurgit *Requeno* in libro, qui inscribitur: Saggi sul

Ristabilimento dell' antico arte de Greci e Romani Pittori. Parma 1787 Tom. II. p. 112 seqq. Qui quidem probatum it veterum *νίτρον* esse reverâ *nitrum* (*salis petrae*) neque vero natrum; eamque caussam ad Herodoti etiam hunc locum convertit, graviter increpans interpretes Gallicos, qui h. l. de *natro* cogitaverint (p. 114.). — Quam ego sive sententiam sive opinationem nunc non magis moror, quam interpretationem Beckeri; qui quidem in Augusteo Tom. I. p. 8. Herodotum narrantem facit Aegyptiorum cadavera nitro (*Salpeter*) esse perfricata. — *Νίτρον* autem hac in re apud Diodorum loco gemino nulla mentio. Quae res suspensum tenuit et Heynium in Spicil. mum. p. 94. et Gmelinum. Qui quidem, licet alii e mumiis eluerint indicia *fixi alcali materiaeque lixiviosae*, cum ipse tamen suis explorationibus chemicis vestigium *alcali mineralis* certum non reperisset, hac de re pronuntiare non videtur voluisse. (Vid. Experimm. in mumm. p. 7. p. 16. et de aliorum periculis cf. Zoëgam de obelisc. p. 257.) At vero dubitare nos non patitur experientissimorum virorum recens auctoritas, in his Blumenbachii, qui cum eam rem attigisset in Introd. in Histor. medic. p. 9. nuper admodum pluribus periculis edoctus diserte est professus, se natri haud ambigua in cadaveribus Aegyptiorum medicatis vestigia offendisse, neque carnem solum, verum etiam spondylos natro arrosos vidisse. Cf. ejus Beiträge z. Naturgeschichte II. p. 53. 87. p. 113. ubi etiam natri e mumiâ Aegyptiacâ desumti et despumati frustum, aeneâ laminâ per artem linearem expressum videas. Caeterum quod Schweighaeuserus h. l. referente

Larchero, profert: Herodoti praeposterum in his rebus narrandis ordinem notari a Rouello: hoc eo pertinebat, quod hic vir doctus sibi persuaserat, natrum, si post aromata in cadaver fuerit immissum, eam vim fuisse habiturum, ut quidquid in aromatibus efficacitatis inesset ad conservandum corpus, id omne fere per natrum postea accedens in saponem converteretur et ad nihilum redigeretur. Quam rationem jam infringere studuit Beckerus in Augusteo I. p. 12. Gravior tamen hac in caussâ censeri debet medici auctoritas ejusque docti. Atque cum Lauthius in Histoire de l'anatomie (h. l. breviter laudatus a Schweighaeusero) et alia disputaverit, quae ad medicata corpora inprimis facere viderentur, et hac quoque in re Herodoti nostri auctoritatem defenderit: paucis ego verbis summam ipsius argumentorum ex Tom. I. p. 20 sq. h. l. subjiciam. Nam primum aromata, docet, ut myrrham, casiam, contrita, inque cadaver infusa, per se absorbere exsiccareque quidquid humoris in cavitatibus residuum sit. Deinde nunquam saponem inde effici, si quis salem alcalicum cum resinâ (cedriâ) confuderit et commiscuerit. Propterea nihil impedivisse, ne corpus conditum aromatibus iis, quae Herodotus memoret, si probe siccatum fuerit sale alcalico [21]) eoque pacto compositum ut penitus siccaretur, igitur ne illud in terrâ adeo aridâ, qualis Aegyptus sit, posset per septuaginta dies adeo indurescere, ut a putredine nihil metuendum esset. Haec Lauthius. Royerius item (in Notice sur les Embaumemens des anciens

21) De calidâ naturâ *νίτρου* ejusque ad siccandum efficacitate consule Galenum de simpl. vict. II.

Egyptiens — in Descript. de l'Egypte X. libr. p.211 sq.) *calcem* et *natrum* adhibita credit potissimum *absorbendo* et *siccando*. Idem hoc addit: dubitari non debere, licet nemo scriptor vetus memoret, quin cadavera, posteaquam vino palmularum perlota fuerint aromatibusque et bitumine vel resinâ repleta, aliquantisper reposita fuerint in *sudatorio* (balneo), quo resina et bitumen diluta penitus in corpus penetrarent. Haec ille. Judicium faciant harum rerum peritiores.

Κρύψαντες ἡμέρας ἑβδομήκοντα — ταριχεύειν — αἱ ἑβδομήκοντα. Septuaginta dies excedere non debebant homines, quia, natro diutius incluso, solidiores quoque corporis partes dissolutae essent, unde etiam *lotio* deinde adjecta, quo natri vasorumque lymphaticorum reliquiae abstergerentur a Cadavere. Sic hunc locum accipit Larcherus. Contra Wesselingius, qui in Diodoro Siculo I, 91. reperisset *quadraginta* dies aut *triginta*, (variant enim codices.) Herodotea verba ad omne luctus tempus referri mavult; ac quadraginta etiam diebus universam Jacobi Patriarchae condituram absolutam esse, teste Moyse Genes. L. 3. Qua in caussâ prorsus suffragantem nactus est Zoëgam de obelisc. p. 253. qui et ipse septuaginta dierum spatium justo longius existimat. Nec longe discedit Heynius in Spicil. mumm. p. 8. hos septuaginta dies ad universam referens condituram, non ad salitionem solam. Ego, si quaeris, vereor, ut hae explicationes conciliari queant cum verbis Herodoti, qui quidem h. l. diserte dicit *ταριχεύουσι λίτρῳ*, quod posterius vocabulum cogitando videtur repeti debere cum ad sequens *κρύψαν-*

τες tum ad *ταριχεύειν*, ita ut *ταριχεύειν* h.l. proprie *salitionem* videatur significare.[22]) Et vide mihi, quae proximâ annotatione ex Galeno et Lauthio de vi *siccandi*, quae in natro inest, in medium protuli. Quo ipso tollitur omnis difficultas, quae h. l. viros doctos suspensos tenuit. Neque hic quoque negligendum est illud, operosissimam ac praestantissimam h. l. conditurам a Nostro commemorari.

σινδόνος βυσσίνης. Etymol. m. p. 713. p. 647. Lips. exhibet *σιδών*, et Sidoniorum admonet; ubi tamen Sylburgius annotat usitatiorem esse formam *σινδών*. Alii, commoti loco Hesychii p. 1189. Alb.: *Σινδούς. χιτῶνας σινδόνας*, de Indis cogitarunt. Photius L. Gr. p. 379. ita: *σινδονίτης χιτών, λινοῦς*. Plurimi tamen ab Aegyptiaco etymo repetunt סָדִין Judic. XIV, 12. cf. Bielii Thesaur. III. p. 275. Atque Aegyptiam harum vestium originem agnoscit etiam R. Forster. de bysso antiqq. p. 86. Eandem viam ingressus est item nuper *Rossius* in Etym. Aegypt. p. 265. Plura in eam rem disputarunt Jablonski et Te Water. in Vocc. Aegyptt. p. 297 sqq. De Agyptiâ sindone est locus primarius Pollucis VII, 72. Frequentatur vocabulum ab Alexandrinis scriptoribus, docente Sturz de dialecto Alex. et Aegypt. p. 95; nec minus in N. T. Cujus interpretes ad locum Matth. XXVII, 59. de Jesu sepulto haec ipsa Herodotea verba adhibere solent; in eo tamen ex parte falsi, quod in Herodoteo hoc loco vestimenti *lintei* significationem praecise inesse volunt.

---

22) Similiter Persas mortuos *νίτρῳ ταριχεύειν* dicit Sextus Emp. Pyrrh. Hyp. III, 228. p. 185.

— βυσσίνης. Etiam in inscriptione Rosetanâ lin. 17 sq. βυσσίνων ὀθονίων mentio fit. De re locus classicus est Nostri III, 106. ubi ex Indicis arboribus lanae speciem admodum subtilem enasci prodit. Quo in loco sicut in nostro *cotoneum* interpretantur post Goguetium et Forsterum eruditi, in his Larcherus T. II. p. 357. III, 386 sq. Idem locum primarium in suum usum convertit; quem eundem Eclogis suis physicc. intexuit Schneiderus §. 112. p. 132. Horum rationem etiam sequitur J. H. Voss. ad Virgil. Georgg. II, 120. (p. 312 sqq.), qui veram byssum pro *cotoneo fulvo* habendam conjicit, nec Philostratei loci oblitus de bysso Indicâ II, 20. (non II, 9. videlicet p. 71. Olear.) quem sophistam hoc nomine vituperat Curt. Sprengel. in Hist. rei herbar. I. p. 15. quod ejus arboris folia salicis similia fecerit. Consule etiam interprr. ad Evang. Luc. XVI, 19. Apoc. XVIII, 12. quem locum Diodoro Sic. I, 85. optime adhibuit Wesselingius.

Vocem βύσσος dici non potest, quam varie derivaverint eruditi, aliis Persicam, Phoeniciam aliis agnoscentibus. Forstero tamen haud pauci se applicuere ex Aegyptiaci sermonis fontibus repetenti. Idem *gossypium* et ipsum Aegyptiacae putat originis, ac pro ea arbore habet, unde *byssus sepulcralis* proveniat. De *gossypio arboreo* s. lino xylino consule Sprengelium l. l. De voce Ignat. Rossium Etym. Aeg. p. 320 sq. Praeterea huc pertinet vox in V. T. obvia שֵׁשׁ, quam et ipsam pro Aegyptiacâ accipiunt doctiores. vid Jablonskii Vocc. Aegyptt. p. 291. ibiq. doctissimum mihique amicissimum Te Water. cf. etiam Rossium l. l. p. 186. adde Quatremère de Quincy Recherches critiques sur la langue de l'Egypte alio-

rumque doctorum hominum disputata in the classical Journal Vol. I. p. 105. Vol. V. p. 255 sq. et Vol. IX. p. 154 sq. Sunt autem V. T. loci, ubi vox *schesch* legitur, cum alii tum hi primarii: Levit. XIX, 19. Exod. XXV, 4. in quibus J. Dav. Michaëlis et ipse pro cotoneo habet. Aliam tamen ejus vocis explicandae viam ingreditur Gesenius in Lex. Hebr. II. p. 1188. qui ab albedine et liliaceo colore dici potuisse conjectat. Ac reapse in hoc vocabulorum genere a veteribus etiam *colores* respici, arguunt ea, quae Suidas I, 460 sq. in *βύσσον* et *βύσσινον* suppeditat, cum explicat: *βαφὴν ἐκ πορφύρας*. Atque Kusterum, qui hoc ineptum judicasset, vehementer refutat Zonarae auctoritas Lex gr. p. 411. in *βύσσ.* Et vero universe hoc tenendum est: et *linteum* (Flachs) *flavum* byssi nomine venire apud veteres,[23]) et hoc ipsum *cotoneum*, et vero etiam Sericum (Seide). Utrum bombycinum, equidem non decernam, etsi Hagerus nuper in libro, qui inscribitur Pantheon chinois, *βύσσον* hoc ipsum sericum bombycinum esse, pronuntiare non dubitaverit. Sed illud serici genus, quod ex pinnâ marinâ percipitur, byssi nomine a veteribus esse appellatum, pro certo pronuntiant periti. Quo de genere nuper admodum subtiliter exposuit Joseph. Capece — Latro Tarenti

---

23) Pausanias tamen Eliac. II. cp. XXVI, 4. accurate distinguit *τὴν — καννάβιδα καὶ λίνον καὶ τὴν βύσσον*, nec minus sericum. Idem loco gemino Eliac. I. cp. V, 2. byssum, quam Eliaca terra proferat, minus flavam esse dicit Hebraicâ bysso. Byssi fabricam, apud Carthaginenses aliosque populos obviam memorat *Muenter* V. C. in antiquar. Abhandlungen p. 174 sq. (Havniae 1816.)

Archiepiscopus in Appendice ad Itinerarium nobilissimae matronae Elisae von der Recke (Tagebuch einer Reise durch Deutschland u. Ital. herausgeg. v. Böttiger. Tom. III. nr. 5. p. 331 seqq.)

Vides diversarum pericula explicationum quae in voce *βύσσινος* fieri et possint et vero etiam factae sint. Restat ut bifariam anquiramus: primum an in cadáveribus Aegyptiorum involvendis alia quoque adhibita fuerint, praeter cotoneum, deinde quid h. l. Herodotus significatum voluerit, cum scriberet *σινδόνος βυσσίνης*. Qua in re rursus inter se discedunt eruditi. Etenim Fea Abbas locis Nostri II, 37. III, 106. (non 116.) ita est abusus, ut post Herodoti demum aetatem *cotoneum* in Aegypto provenisse contenderet, in annott. ad Winckelmanni Hist. art. I. p. 333. ed. secund. Dresd. *Blumenbachius* contra linteas mumiarum fascias esse negatum it, in Beitr. z. Naturgesch. II, 75. valde tenues esse nonnullas dictitans. Heynius cum rem universe conficere noluisse videatur, in Spicileg. p. 86 sq. Gottingensis mumiae fascias pannosque dicit ad baracani (Bercan) similitudinem accedere. Prudentissime in hac caussâ judicasse putandus est Zoëga de Obelisc. p. 259. ita pronuntians: *primi* et *secundi* ordinis mumias constanter fasciis *byssinis* involutas esse. Quam vocem quomodo h. l. acceperit, docent sequentia, quibus idem *lintea* quoque velamina agnoscit, sed illa quidem in vilioribus duntaxat. Ac vide mihi quantopere haec ipsa confirmentur iis periculis, quae hac in re instituerunt docti Francogalli. E quibus *Jomardus*, vir intelligentissimus, (Descript. de l'Eg. Antiqq. II. X. §. 8. p. 339.) ut plurimum *cotoneum* a se repertum

circa sepulcra dicit; sed tamen in hypogaeis insulae Philarum se nec minus *linteos* pannos offendisse testatur, qui tamen pauperrimis tantum amiciendis inservierint. Idem p. 340 sqq. sigillatim persequitur eam rem, exponitque de variis velamentis, quae ex hypogaeis Thebaicis sunt protracta. Quod ibidem *laneum* pannum repertum dicit, ex caprae pilis artificiose confectum, non potest illud, ipso judicante, ad cadavera pertinuisse, quando laneas vestes a sepulchris alienas esse ex Aegyptiorum moribus diserte testatur Herodotus II, 81. *Linteas* item fascias, easque tenuiores quam *cotoneas*, se ipsum multis in mumiis reperisse memorat *Royer* in Descript. de l'Egypt. Mem. X. p. 215.

Verumtamen ut concludamus rationem nostram: dubitari nequit, quin h. l. nil aliud nisi *cotoneum* intelligi voluerit Herodotus. Nam primum, si de linteis fasciis cogitasset: hoc ipso vocabulo non minus hîc usurus fuisset, quam idem cp. 81. init. usus est his: *κιθῶνας λινέους*. Deinde quae circa Thebas nuper reperta sunt operose condita cadavera et ad primam classem haud dubie pertinentia, ea plurimum cotonei exhibuerunt sciscitantibus.

§. 5.

Κατειλίσσουσι πᾶν αὐτοῦ τὸ σῶμα — τελαμῶσι κατατετμημένοισι. Noster VII, 181. de Persis vulneratum curantibus: *καὶ σινδόνος βυσσίνης τελαμῶσι κατειλίσσοντες.* Sextus Emp. Pyrrh. Hyp. III, 228. item de Persis mortuos involventibus: *εἶθ' οὕτω τελαμῶσι συνειλεῖν.* Quem locum nostro loco adhibuit Valckenarius, a Wesselingio laudatus, ad Euripid.

Phoeniss. vs. 1663. Atque hic Cuperum citat in Observv. II, 9. [24]) p. 216. (potius p. 214. Tu vid. eundem Obss. I, 6. p. 34), qui ex grammaticorum graecc. testimoniis efficit: usurpari in eâdem re etiam vocem *ταινία*, pro qua posteriores Latinorum *φασκία* utebantur. Hesych. (Vol. II. p. 1360. Albert.) *τελαμὼν· λῶρος, ἢ δεσμὸς, ἢ φασκία.* Moschopulus: *Κειρία ὁ τῶν νηπίων δεσμός· ἤγουν ἡ κοινῶς φασκία καὶ ᾗ δεσμοῦσι τοὺς νεκρούς.* Hinc *δεσμοὶ ἐντάφιοι* apud scriptores. Idem Cuperus in Apotheosi Homeri p. 143. ita: „Constat *τελαμῶνας* fuisse fascias, quibus vulnera alligabantur, et corpora mortuorum vel aliae res involvebantur." Arnobius advers. gent. I, 46: Pollinctorum voluminibus expediri, i. e. *εἰλήμασι*, antea eo loco lectum *velaminibus*; vid. p. 333. ed. Orell. Adde Elmenhorst. ad Appulej. Metamorph. Lib. X. p. 699. ed. Oudendorp. qui eandem lectionem amplectitur. Appulejus autem ibid. haec eadem

24) Ubi, Salmasio obloquens, negat vir doctissimus, apud Graecos Romanosque in componendis mortuis, fascias vulgo usurpari solitas esse. Quod idem Cuperus l. l. proverbii usum in locutione *καλὸν ἐντάφιον* a vestimento sepulchrali ductum monstravit, in eamque rem interpretum stuporem, qui pro epitaphio acceperant, notavit: eundem errorem castigarunt Graevius et Gesnerus ad Luciani Dialogg. Mort. X. p. 159. (Annott. p. 448. Vol. II. Bip.). Doctius autem de locutione egerunt Henr. Valesius Emendatt. p. 220. Perizon. ad Aelian. V. H. I, 16. Moll. ad Longi Pastoral. IV, 134. et Dorvillius ad Chariton. p. 456. ed. Lips. De dicto Alexandri Magni: *μέγαν ὁρῶ μοῦ τὸν ἐπιτάφιον ἐσόμενον*, quod et ipsum in proverbium quodammodo evaluit, vid. Wyttenbachium in Annott. ad Eunapium p. 265. ed. Boissonadii.

feralia amicula dicit. Uterque interpres ibid. verborum Joannis Evang. XI, 44. admonet, ubi de Lazaro resuscitato: — δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις, ubi adhibe Wetst. Tom. I. p. 918. Athanasius in vit. S. Antonii cp. 90. p. 862. a Wesselingio laudatus de eâdem re: καὶ περιελίσσειν ὀθονίοις, quod ipsum vocabulum supra exhibuimus ex inscriptione Rosetanâ. Verba Herodotea sic reddidit *Le Moyne* ad Var. sacr. p. 302: *involvunt totum corpus dissectis loris sindonis byssinae*. Pro eo tamen fortasse malueris *fasciis*, quod solenne hac in re etiam Vallae placuit et Schweighaeusero; atque hic idem clarius ita: *sectis ex sindone byssinâ fasciis*.

Satis dictum videtur de verbis. Agamus de re. Ac quam diligenter suis verbis hanc expresserit Herodotus, agnoscat necesse est qui in picturis, magno operi cui titulus Description de l'Egypte adjectis, paullo accuratius examinaverit delineatas cotoneas fascias e mumiis evolutas. Sed tamen hoc ipso loco scriptorem nostrum non omnibus eruditis usquequaque satisfacere continuo videbimus. Prius tamen adumbrabimus, quae Francogalli hanc in rem nuper uberius exposuerunt. Ac primum *Jomard.* in Descript. de l'Egypt. Antiqq. II. Sect. X. §. 8. p. 338. inprimis luculenter et subtiliter describit summum artificium, quod adhibuerint Aegyptii veteres in amiciendis cadaveribus, quorum quidem potior quaedam ratio esset; et quam studiose iidem illud spectaverint, ut singula membra presse apteque eminerent velut in signo sculptoris. Idem p. 351. *capsam* memorat e conglutinatis pannis confectam, in qua repositum fuerit fasciis rite obvolutum cadaver. Duplices autem

capsas in aliquot mumiis, videlicet ambitiosius exornatis, se reperisse dicit *Royer.* (ibid. partic. X. p. 219.) alteram concinnatam ex segmentis conglutinatis panni, alteram e ligno sycomori; ut adeo, si marmoream arcam adjicias, nonnulla cadavera ternis capsis inclusa essent. Idem vir doctus nec icunculas neglexit, quas saepiuscule in mumiis offendas, nec *volumina papyracea* in sepulchris Aegyptiorum reperta; cujusmodi voluminum characteres, arte lineari expressos, suppeditant ejusdem operis tabulae 61 — 65. Atque ut paullo altius descendamus in hoc argumentum: *larvas* quoque sive *personas* papyraceas erant qui vidisse sibi viderentur in hujusmodi mumiis. Refragatur Blumenbachius in d. Beitr. z. Naturgesch. II, 4, 5. p. 69 sqq. qui et de fasciis et de personis coloribusque picturarum lectu dignissima in medium profert.

Nimirum universe tenendum est: *super fasciis* applicita esse duplicia tripliciave ac saepe plura etiam integumenta e cotoneo contexta, atque in his demum integumentis picturas esse exhibitas varii generis. Quae tegumenta, sive *personas*[25]) dicere malueris, non confundenda esse cum *ipsis fasciis extimis* quibusdam, recte monet Zoëga de obelisc. p. 260; addens has rarius memorari a scriptoribus, atque ut plurimum puras esse, nonnunquam tamen et ipsas

---

25) Sunt aliae quoque *personae* sive *larvae*, ex Aegypto advectae, neque tamen unquam, uti videtur, cadaveribus applicitae, sed potius in pompis Aegyptiorum sacris usurpatae. Cujusmodi unam, expressam laminâ aeneâ, nuper vulgavit *Boettigerus* in libello, qui inscribitur: Antiquarische Aehrenlese tab. 5.

picturis exornatas; ac de his fasciis exterioribus fortassis accipienda esse verba Herodoti h. l.; neque enim *interiorum fasciarum* ab eo mentionem fieri. Atque hic ipse locus molestiam exhibuit etiam *Blumenbachio* in Symboll. ad Hist. natur. II. p. 122. praecipue cum de Aethiopum cadaveribus condiendis sigillatim agat Noster et *picturam* quoque accurate memoret. [26])

26) Herodotus III, 24. *Μετὰ δὲ ταύτην, τελευταίας ἐθηήσαντο τὰς θήκας αὐτέων, αἳ λέγονται σκευάζεσθαι ἐξ ὑέλου, τρόπῳ τοιῷδε. ἐπεὰν τὸν νεκρὸν ἰσχνήνωσι, εἴτε δὴ κατάπερ Αἰγύπτιοι, εἴτε ἄλλως κως, γυψώσαντες ἅπαντα αὐτὸν, γραφῇ κοσμέουσι, ἐξομοιεῦντες τὸ εἶδος ἐς τὸ δυνατόν· ἔπειτα δέ οἱ περιϊστᾶσι στήλην ἐξ ὑέλου πεποιημένην κοίλην.* Schweighaeuserus ita convertit: „Post hanc, ad extremum spectarunt sepulcra eorum, qui e vitro perhibentur esse parata hoc modo. Postquam arefecerunt cadaver, sive eâdem ratione atque Aegyptii sive quo alio modo, totum gypso oblinunt, et picturâ ita exornant, ut speciem quam maxime similem vivo referat; deinde cavam columnam ei circumdant, ex vitro confectam.“ Locus memorabilis multorumque mentionibus frequentatus. Nam ut Ctesiam aliosque omittam a Wesselingio laudatos, attigerunt nuper eundem haud pauci, in his *Heynius* in Notit. mumiae Gottingensis p. 8. *Heerenius* in libro celebrato Ideen Vol. II. p. 373. Zoëga de obeliscc. p. 261, 266. Comes de *Palin* in Fragmens sur l'étude des hieroglyphes Tom. I. p. 4 sq. p. 12. et *Boettigerus* in libro: Ideen zur Archaeologie der Malerei p. 57. Blumenbachii supra mentionem fecimus. — Pellucidum vero penitus sarcophagum ex uno lapide Alabastrite confectum, ipsis Thebis Aegyptiacis e sepulchro nuper admodum eruit Belzoni Britannicorum negotiorum Procurator, ut ipse quidem perscripsit in epistolâ ad Viscontium datâ (vid. Journal des Debats d. 30. Mart. 1818.). Quae res numquid ad Herodoteum locum l. faciat, non

Ego, ut meum qualecunque judicium hoc de loco interponam, *scriptorem nostrum dico haec ipsa strictim tandummodo summatimque et narrasse nec aliter narrare aut debuisse aut voluisse.* Etenim egregie stupidus erat Herodotus, si, posteaquam supra tam cauto silentio pressisset illa *exempla mortuorum lignea*, ad quorum similitudinem praestantissima conditura fieret, idem tamen h. l. et *fascias* et *picturas* ipsis impressas et vero etiam *icunculas*, mortuorum rite conditis cadaveribus adjici solitas, explicate describere voluisset. Videamus de singulis rebus, *quatenus cum Aegyptiorum mysteriis conjunctae sunt*, quo possit unusquisque *brevitatis Herodoteae* momenta explorare.

Ac primum in fasciarum hoc genere primario non solum h. l. cogitandi sunt hieroglyphici literarum characteres, quales fuerunt Aethiopici illi, de quibus ita Heliodorus lib. IV. p. 148 ed. Coray: ἐπιλεγόμην τὴν ταινίαν γράμμασιν Αἰθιοπικοῖς, οὐ δημοτικοῖς ἀλλὰ βασιλικοῖς ἐστιγμένην, sive τῶν σινδόνων ἀπόῤῥητα διαγράμματα quae dicit Damascius in vitâ Isidori ap. Suid. Vol. II. p. 68. Kuster: verum multo magis respicere debemus illas quas idem Damascius ibid. τὰς Ὀσίριδος ἐπὶ τῷ σώματι περιβολὰς, *Osiridis vestes*, *quibus* ibid. Heraïsci tamquam sacerdotis Aegyptii cadaver involutum esse narratur. Hoc eo pertinet, quod ipsa Isis

---

decerno. (Et lege quae in hanc rem modeste dubitans monuit doctiss. Jomard in Journal des Savans 1818. m. Maji p. 310 sqq.) Neque magis dicam de Alabastrite. Tu vid. Plinii H. N. XXVI, 8. 12. et Hillii obss. physs. et critt. ad Theophrastum de lapidibus p. 45 sq.

in Osiridis a Typhone necati membris colligendis componendisque *byssina* (*βύσσινα*) velamina usurpasse ferebatur; ut est apud Diodor. Sic. I, 85. fin. Ab utroque autem, et Osiride et Iside homines edoctos quomodo vitâ defunctos rite componerent (*περιστέλλειν*) tradit Hermes ap. Stob. Eclogg. I, 52. p. 978. ed. Heeren. Unde nemo non intelligit, *Osiridis* etiam hoc loco mentionem faciendam fuisse Herodoto, si in justam et fasciarum et picturarum descriptionem descendere volebat. Sed de *picturis* infra dicemus, etiam de iis, quae Osiridis imaginem praestant. Hoc loco illud comprobatum ibo, nec ipsam *hanc cadaverum fasciis involvendorum rationem significatione insigniore caruisse*. Ita enim Artemidorus, priscarum religionum peritus scriptor, in Oneirocrit. I, 13. p. 27. ed. Reiff. *Aegrotanti vitae finem portendi, si somniaverit, manus suas pressule corpori junctas*: *ἐπεὶ καὶ οἱ ἀποθνήσκοντες ἐσχισμένους ἐνειλοῦνται ῥάκεσιν, ὡς καὶ τὰ βρέφη, καὶ χαμαὶ τίθενται.* „Quandoquidem mortui etiam laceris panniculis involvuntur, nec secus atque infantes, et humi deponuntur." Similiter Gregorio Palamae orat. 1. infantum undique devincientes taeniae et fasciarum vincula *sepulchralibus ligamentis cognata dicuntur* (— *καὶ περισφίγγουσαι ταινίαι καὶ κειρίαι σπαργάνων, συγγενεῖς ἐνταφίων δεσμῶν.* Nec abludit idem Artemidorus sequente capite 14, ubi aegroto, qui partum a se in lucem edi secundum quietem viderit, mortem indicari docet: — *ὥσπερ τὸ βρέφος τοῦ περιέχοντος σώματος ἀπαλλάσσεται, οὕτω καὶ ἡ ψυχή.* Comparabant enim veteres uterum quodammodo sepulchro, in quo embryo membranis,

quasi quibusdam fasciis retineretur. Quid? ipsum virile semen, tanquam quoddam in tumulo cadaver ita in alvo matris commutari dicitur Pisidae de opific. mundi: — *καὶ παρ' ἡμῖν ὁ σπόρος, ὡς σῶμα νεκρὸν, ἐνταφεὶς τῇ κοιλίᾳ.* Verum ut taceamus quae poëtae potius ludibria dicas: illud taceri non debet: Herodotum II, 81. in vestimentorum sacrorum ratione memorandâ Aegyptios componere cum Orphicis Bacchicisque atque *Pythagoreis.* Atqui nemo nescit Pythagoreos potissimum mortem pro secundâ valetudine habuisse, et per suas tesseras, in quibus etiam illa *ὑγίεια* erat, significasse; inprimis autem ab iisdem philosophis *τὰ γενέσια,* sive *natalitia* cum *morte* esse composita, quoniam tunc demum et reverâ *vivere* et *valere* hominem sibi persuaserant: contra priorem illam nascentiam (*γενέθλην, γένεσιν*) pro turbidâ et contaminante terrestribus vitiis habebant. Quam in rem plura congessit Coel. Rhodiginus Antiqq. Lectt. p. 934. Adde Olympiodorum ad Platon. Phaed. in Wyttenbachii Annot. p. 333. et Boissonadum ad Marini Vit. Procli p. 104. Quae cum ita sint, valde credibile fit, Aegyptios illos veteres, unde Pythagoricae disciplinae magna pars manavit, cum mortuos suos fasciis tantopere amicirent, illud quoque spectasse, *eos nunc demum repuerascere* et *puros probosque* atque *insontes ad deorum domicilia accedere.* A qua significatione nec abhorrent *icunculae* quae haud paucae in mumiarum fasciis involutae reperiuntur, sive *phylacteria* 27) dicere malis, rite con-

---

27) Qualia in mumiis reperiantur phylacteria (icunculae, nummi, laminae perseae folia, alia) sigillatim ac-

ditis cadaveribus adjici solita. Nam si perpendas, Heraïscum illum Aegyptium sacerdotem ab eodem Damascio (ap. Suid. l. l. i. e. II. p. 68.) tradi pro *Baccho* habitum ex somnii augurio; Bacchum autem Cretensem sive mysticum in ipso mortis articulo *crepundia*, *ἀθύρματα*, manibus tractasse (vid. Clement. Alex. Protrept. p. 15. et quae plura congessi in Mythologiâ Vol. III. p. 407 sqq.): haud abs re alienum judicabis, etiam in illis icunculis, quas mortuis adjiciebant Aegyptii, illud eosdem respexisse, ut quasi *recens nati* et jamjam vera sua natalitia celebrantis *infantiam* cogites. — Obloquatur quispiam, et dicat: ea phylacteria esse hoc potius consilio mortuis in sepulchrum deferendis addita, quo eos tutos praestarent a malis geniis. Audio, et plane consentio; modo illud cogites, hodieque fascias, quibus orientalium hominum

---

curateque exposuit Zoëga de obeliscc. p. 262. Cui adde Blumenbachii Beitr. zur Naturgeschichte II, 85. et quae nuper admodum docti Francogalli id genus in medium protulerunt, cum *Denon.* tab. 98. itinerarii, tum alii, qui expeditioni illi interfuerunt, in Descript. de l'Egypte pluribus tabulis. Ejusmodi icunculas binas ex terrâ fictili confectas recens publici juris fecit *Boettiger.* in d. antiquar. Aehrenlese tab. I. Et novissime de gemmis etiam egit quae in mumiis earumque fasciis reperiuntur, J. Dubois in libro, qui inscribitur: Choix de pierres gravées antiques p. 24 sq. Atque ipse postea hujusmodi imagines *Osiridem* exhibentes manibus tractavi benevolentiâ *Batschii* Jenensis, qui redux ab Aegyptiaco itinere plures ex Saccarae puteis erutas secum adportaverat in Germaniam. Caeterum quo minus in his rebus adhiberi video Comitis de *Palin* Fragmens sur l'étude des hieroglyphes, hoc magis ego eum h. l. laudabo. Consule autem ipsum Tom. II. p. 6 sqq.

pueruli involvuntur, phylacteriis ornari munirique, quo ipsos malos genios ab eis arceant. Et credibile est, sicut in vivis hominibus faciebant Aegyptii, ut singula corporis membra genjis suis dicarent Decanis triginta sex numero (unde calendaria vulgaria hodieque eum numerum servant) similiter factum esse in mortuorum membris singulis tutandis. Huc pertinebat Juliani, Chaldaei philosophi, liber, compositus ad mala ab hominum singulis partibus propulsanda. Suidas Tom. II. p.123. de hoc Juliano ita: *Ἔγραψε περὶ δαιμόνων βιβλία δ'· ἀνθρώπων δέ ἐστι φυλακτήριον πρὸς ἕκαστον μόριον· ὁποῖα τὰ τελεσιουργικὰ χαλδαϊκά.*

Nimirum haec omnia pertinebant ad *κάθαρσιν* sive *purgationem*, qua mortuos impertiebant Aegyptii. Quae ipsa cum ad *religionum arcana* pertineret: jam idonea ratio apparet, cur *tam strictim* et *levi quasi brachio attigerit Herodotus*, cui religioni erat, mysteriorum quidquam in vulgus prodere.

§. 6.

ὑποχρίοντες τῷ κόμμι. Cod. F. *τῷ κόμι.* Atque sic saepius scriptum reperio; vid. ut hoc utar, Oribasii corpus opusculorum vett. medicc. p. 194. p. 389. ed Matthaei, ubi est *κόμεως.* De reliquâ lectionis varietate consule Wesseling. qui primarium Nostri locum citat, II, 96. ubi gummi arabicum ex spinâ manare dicitur simillimâ loto Cyrenacae; adde utrobique Larcherum (p. 359. 379 sq.) qui locum classicum exhibuit Theophrasti H. Pl. IV, 3. p. 303. ed. Bod. a Stap. Adhibe insuper Salmasium in Plinn. Exercitt. p. 375, ubi de confusione inter Aegyptiacam

acanthum et Arabicam agitur, ortâ e confinio locorum; itemque J. H. Voss. ad Virgil. Georgicc. II, 16 (p. 311.). Hodie spinam Aegyptiam s. Acaciam plurimi existimant *mimosam Niloticam* Linnaei. Ac vocem *κόμμι* cum graecam esse negasset Athenaeus II, 67 (p. 256. Schwgh.): ex Aegyptiaco sermone ejus originem eruere studet Jablonski Vocc. Aegyptt. p. 113; quem consule de ejus plantae historiâ utiliter disputantem. Aegyptiacam esse vocem nec minus suspicatur Ign. Rossi in Etymolog. Aegypt. p. 91 sq. ex hebraicis etiam scriptoribus ei sententiae firmamenta quaerens. Caeterum fidem Herodoti hac quoque in caussâ tuentur experimenta in mumiis instituta. Quae quidem resinam exhibuerunt tenaciorem, ignis admoti vi ex mumiarum involucris redundantem, teste Gmelino in Experimm. in mumm. instit. p. 5 sq. Neque tamen constanter byssinas fascias gummi aut alio medicamento fuisse infectas, exemplo mumiae, Romae in collegio Nazareno asservatae, docet Zoëga de obelisc. p. 259.

— *ποιεῦνται ξύλινον τύπον ἀνθρωποειδέα.* Diodorus Sic. I, 21. de Iside, posteaquam singula Osiridis membra collegerat, ita: — *ἑκάστῳ τῶν μερῶν περιπλάσαι λέγουσιν αὐτὴν τύπον ἀνθρωποειδῆ, παραπλήσιον Ὀσίριδι τὸ μέγεθος, ἐξ ἀρωμάτων καὶ κηροῦ.* Idem IV, 6. in eâdem historiâ: *τὰ δὲ τοῦ σώματος μέρη περιπλάσασαν εἰς ἀνθρώπου τύπον.* Vid. ibid. Wesseling. qui *τύπος* explicat *simulachrum*; quem tamen miror, cum plura de hoc usu docte moneat, Herodotei loci mentionem omisisse. De quo usu vocis *τύπος* non est quod pluribus agamus post Raphelii observata ex Polybio ad N. T. p. 468.

et Suiceri disputt. in Thes. eccles. Vol. II. p. 1340 sq. Quibus adjice Schweigh. Lexic. Polyb. p. 624. Bielii nov. Thes. philol. V. T. III. p. 476 sq. et Irmisch. ad Herodian. V, 5. 11. p. 71. — Quod vero Isis singula frusta truncati Osiridis in hominis speciem conformasse dicitur: hunc ipsum ritum imitatos dicas Aegyptios veteres; quandoquidem reapse hodieque ejusmodi mumiae reperiuntur, quae, ubi exploraveris, singula duntaxat ossa aromatibus condita includunt. Herodotus tamen h. l. *τὴν λάρνακα* voluit intelligi, igiturque addidit illud *ξύλινον*. Caeterum quod h. l. Heinsius desiderabat mentionem *cavandi*, recte opposuit Jac. Gronovius hoc ipsum posse facillime intelligi. Quodsi Manethoni fides in Apotelesm. VI, 496. agnoscenti:

Θήκας τεκταίνοντας ἀποφθιμένοισι βροτοῖσι

singulare fabrorum genus fuit, quod per Aegyptum istiusmodi capsas faceret. Cf. Heynii Spicil. p. 86. Fiebant autem hae arcae e ligno sycomori (est ficus sycomori Linnaeo; aliis ficus fatua itemque ficus Pharaonis). De cujusmodi arborum genere exponit Strabo XVII. p. 823. p. 629. Tzsch. Tu vid. Nordenii itiner. tab. 38. p. 117 et cf. Ab - dollatif. par Silvestr. de Sacy p. 19. p. 199. et viri docti disputt. in the classical Journal Vol. IX. p. 135 sq. Adhibe etiam Zoëgam de Obeliscc. p. 317 sqq. qui plura de his arcis ligneis congessit, itemque Becker. in Augusteo Vol. I. p. 30. et Blumenbachium in Beiträge z. Naturgeschichte II. p. 60 sqq. Binis autem involucris, adeoque ternis capsis, si lapideam adjicias, nonnulla cadavera ab Aegyptiis circumdata esse, supra monuimus, praeeuntibus Royerio et Jomardo in

Descript. de l'Egypte Mem. X. p. 219. et Sect. X. §. 8. p. 350 sqq.

§. 7.

Interponuntur Corinthiaca de arcâ Cypseli.

Caeterum, sicut alia, quae ad *primariam hanc Aegyptiorum fabulam* pertinent, ita *feralem* quoque *Osiridis arcam* a Graecorum ingenio ad novas fabulas esse *traductam* alibi monuimus, in Mytholog. Vol. IV. p. 54, ubi et Telephum memoravimus et Perseum in ejusmodi cumeram conjectos, mortique destinatos (Hecataeus Miles. ap. Pausan. Arcad. VIII. p. 558. Pherecydes ap. Scholiast. Apollonii IV, 1091.). Nunc quidem, si vacaret, posset a me fortasse probabiliter ex *Cypseli* rebus argumentum repeti, quantopere illa Aegyptiorum fabula ea quoque coloraverit, quae certâ quasi historiarum fide apud veteres scriptores traduntur. Nam ut hoc delibem, lege mihi apud Herodotum V, 91. servati Cypseli Corinthii historiam; attende ad matris nomen, adhibe item Etymolog. magn. p. 199. p. 181. Lips. *βλαισός, παραλυτικός. — ὁ τοὺς πόδας ἐπὶ τὰ ἔξω διεστραμμένος, καὶ τῷ Λ στοιχείῳ ἐοικώς· διὰ τοῦτο καὶ Λάμβδα* (alii scriptores *Λάβδα,* quod tantundem est, docente Valcken. ad Herodot. l. l.) *ἐκαλεῖτο ἡ γυνὴ μὲν Ἠετίωνος, μήτηρ δὲ Κυψέλου τοῦ Κορίνθου τυράννου.* Haec in memoriam redigunt quae varie de *claudis* diis tradiderant Aegyptii, ut de Harpocrate adeoque de Jove ipso (Plutarch. de Isid. p. 358. E. p. 470. Wyttenb. et 376. C. p. 540. Wyttenb.). Atque si memineris, illa ipsa lugubria diverso modo tradita esse apud Aegyptios, fuisseque famam quae ad filiolum

Horum transferret quae vulgo pater *Osiris* atrocia perpessus dicitur (Plutarch. libr. I. p. 358. E. p. 470. Wyttenb.): desines mirari, in Graecorum relationibus puerulum in ipso mortis discrimine potuisse et in arcam includi, et ab arcâ nomen invenire. Herodotus l. l. *ἀπὸ τῆς κυψέλης ἐπωνυμίην Κύψελος οὔνομα ἐτέθη.* Pausanias loco gemino, lib. V. cp. 16. *τὰς δὲ λάρνακας οἱ τότε ἐκάλουν Κορίνθιοι κυψέλας.* Quod vero apud eundem p. 419. et 424. haec ipsa cista, in qua inclusus Cypselus ferebatur, Junonis in templum Olympiae dedicata ambigue traditur, recte jam in dubium vocaverat Valckenarius ad Herodot. l. l. nuper autem Welckerus Prof. Gotting. in libro, qui inscribitur Zeitschrift für Gesch. u. Auslegung der alten Kunst. Part. II. p. 272. tam anceps judicavit, ut de ipso quoque Cypseli illo vitae discrimine sibi dubitandum arbitraretur. Prudenter ille quidem. Et licet non is sim, qui Cypselum ipsum e Regum Corinthiorum serie tollere gestiam: idem tamen pronuntiare non vereor, ipsius historiam ex *Herculis Bacchique* sive *Osiridis* fabulis colorem duxisse. Ad Herculem enim haec ipsa pertinere, ea docent quae supra de Telepho diximus. Bacchum autem Eleutherolacones ferebant, una cum matre Semelâ in arcam (*ἐς λάρνακα*) inclusum, maris fluctibus ad ipsorum oram advectum. (Pausan. Lacon. cp. 24.) Nolo Bacchiadarum admonere, ad quos Cypseli res spectant, qui, cum origine Heraclidae essent, a Bacchide novum nomen assumserant: nec magis *de Amphione*, Cypseli avo, dicam, licet nec illa a metaphoricâ ratione abhorreant: illud adjiciam: Cypselum ex arcâ non minus alacrem vindicem

exstitisse claudae matri Labdae, quam *Horum*, et ipsum, sicut fama ferebat, arcae inclusum, *debilitatae Isidi*, vel Bacchum *Semelae*. Usurpasse autem priscos illos Graecos hoc allegoriae genus, ut *mortem*, *somnum* et quidquid debilitatam naturam habere videtur per *impeditum gressum* declararent, magno argumento illa ipsa arca Cypseli Olympiae est, in qua Pausanias dicit feminam esse effictam, gestantem duo pueros alterum album, nigrum alterum, dormientes utrosque *ἀμφοτέρους διεστραμμένους τοὺς πόδας* i. e. valgos, recte explicante *Viscontio* in Mus. Pio-Clement. Tom. III. p. 59, recte item judicante *Heynio*, hoc ipso pedum vitio infirmitatem declarari. Et mirabimur priscarum religionum monitu Cypselidas illos Bacchi *cistam feralem aliquam* sive *Osiridis* dedicasse in sacrario Olympio Junonis, et postea famam aliquam increbruisse, quae feminam e Bacchiadarum gente nobilem cum Iside luctuosâ et deficiente adeoque claudâ (i. e. terrâ arescente ac contristatâ, cf. Plutarch. de Isid. p. 366. p. 499. Wyttenb.) compararet: puerulum autem ejusdem erectae indolis et qui expeditus e discriminibus, virtute suâ suam matrem insignem fecerit, *Osiridi* sive *Baccho*, tanquam *Soli*, ex arcae tenebris in lucem enixo? Et quidni potuit etiam religionum caussâ cum Cypselus tum Cypselidarum quilibet puerulus in Bacchi Osiridisve arcâ rite aliquando deponi, praesertim cum ex antecedentibus appareat, cunabula infantum a priscis hominibus cum arcâ illâ funebri per significationem composita esse? [28])

28) Consulto brevitatisque studio h. l. omisi multa, quae recte explorata haud aliena censeri queant ab hoc

§. 8.

— *θησαυρίζουσι ἐν οἰκήματι θηκαίῳ.* Noster II, 121, 1. de Rhampsinito *βουλόμενον δὲ αὐτὸν ἐν ἀσφαλήΐῃ τὰ χρήματα θησαυρΐζειν, οἰκοδομέεσθαι οἴκημα λίθινον*, et paucis interjectis: *ὡς δὲ ἐπετελέσθη τὸ οἴκημα, τὸν μὲν βασιλέα θησαυρίσαι τὰ χρήματα ἐν αὐτῷ.* cf. II, 150. *καὶ φυλασσόμενα ἐν θησαυροῖσι καταγαίοισι.* Alibi frequentat Noster de aediculis iis, in quibus sacra donaria servabantur, ut Delphis aliisque locis plurimis. Qua de re, post Valesium, exposuit Valckenaer. ad Herodot. IV, 162. Herodoteos autem locos Evangelio Matth. II, 11, ubi de Magorum thesauris, adhibuit Raphelius p. 125. et ibidem de hac voce monet in Obss. ad N. T. Alberti p. 8. Tu adde Valckenaerii Scholas ed. Wassenbergh. in Evang. Luc. VI, 45. p. 124. Unde satis apparet proprie *θησαυρίζεσθαι* dici aurum, argentum aliaque bona etiam grana et quaecunque ad victum servarentur. Inde quaecunque recondita volumus vetustatem ferre *θησαυρίζεσθαι* dicuntur. Quapropter *θησαυριζόμενον* idem quod *παλαιούμενον*. Ac proprie fruges arborumque fructus, quae sale condiuntur, dicuntur *ἀποθησαυρίζεσθαι ἐν ἅλμῃ*, ut loquitur Theophrastus ap. Athen. lib. II. p. 70. p. 272. Schweigh. Quam rem Dioscorides ita effert *ταριχεύειν εἰς ἁλμαίας.*

---

argumento, ut illam Moysis fiscellam, de qua Exod. II, 3. in LXX. interprr. *ἔλαβεν ἡ μήτηρ αὐτῷ θίβιν (θῖβην) καὶ κατέχρισεν αὐτὴν ἀσφαλτοπίσσῃ κ. τ. λ.* ut arcam Noachi, ut Cereris cistam (mundum), in quâ quidquid terrestris natura haberet, inclusum reconditumque ferebatur.

Hinc φοίνικες *θησαυριστοί* opponuntur χλωροῖς, docente Salmasio in Plinn. Exercitt. p. 160 sq. 732. 932. — Unde intelligitur quod volebam intelligi: utrobique elegantem esse h. l. usum verbi θησαυρίζειν, sive *sale condita* cadavera cogites adeoque siccata, ut summam vetustatem ferre possint, sive receptacula respicias *subterranea*, in quibus aurum et pretiosissima quaeque studiose reponuntur. Nam reapse haec corpora Aegyptiis auro cariora fuisse, constat ex eorundem legibus, quibus sancitum erat, ne sepulchro inferretur, qui patris aes alienum redimere et oppigneratum cadaver repignerare recusasset. Lege ipsum Nostrum II, 136. et cf. Diodor. I, 93.

Quae continuo sequuntur: *ἐν οἰκήματι θηκαίῳ*, cum impeditissima sint, videamus primum, quomodo interpretes acceperint, deinde ipsi experiamur, quid a nobis praestari queat:

„Ne Salmasius quidem [29]) alibi, opinor, legerat *οἴκημα θηκαῖον*, quod mihi oppido mirum videtur. Fac in antiquâ membranâ reperiri *οἰκηματηκαίῳ*, liter âintersertâ legem ego quam vocant criticam migrarem, atque ignotae notissimam vocem substituendo legerem *ἐν οἰκήματι καινῷ ἱστάντες ὀρθὸν πρὸς τοῖχον*: neque aliter legisse suo tempore suspicor *Diodorum Siculum*, cujus eâdem de re verba sunt lib. I. c. 92. *καινὸν οἴκημα ποιοῦσι κατὰ τὴν ἰδίαν οἰκίαν καὶ πρὸς τὸν ἀσφαλέστατον τῶν τοίχων*

29) Videlicet in Exercitt. Pliniann. (p. 1208.) p. 850. ed. nov. ubi ille ita: „Herodotus *ξυλίνους τύπους ἀνθρωποειδέας* loculos illos vocat quibus includebant cadavera condita Aegyptii. Sed et *θῆκαι* dicebantur. Unde et *θηκαῖον οἴκημα* appellat, in quo servabantur.“

ὀρθὴν ἱστᾶσι τὴν λάρνακα: hanc dixerat Herodotus *ξύλινον τύπον ἀνθρωποειδέα. οἴκημα* more satis usitato vocant *conclave.*" [30]) *Valckenaer.* — „Quidni vero Noster, cui frequenter *θήκη sepulchrum* est, *οἴκημα θηκαῖον* dixerit *conclave sepulchrale, cameram adservandis corporibus medicatis destinatam?*" *Schweighaeuser.* — — „*θηκαίῳ, θηβαίῳ* cod. *Ask.* et *F.* (*Schellersh.*) imperitâ literarum *β* et *κ* permutatione. Quatuordecim verba, *ἐν οἰκήματι* usque *νεκροὺς* desiderantur in *Arch. Vind.* — item in Pd. et apud *Vallam.*" *Wesseling.* et *Schweigh.* in *Variet. Lect.* — „Non in sacrario aedium, neque omnia corpora mortuorum domi servari poterant, sed *in loco quocunque recipiendis loculis constitui solito* (*ἐν οἰκήματι θηκαίῳ*)"

30) Nimirum aliis in locis ipsa illa *θήκη* est *conclave plurium arcarum capax.* Vid. locos a Salmasio congestos libr. I. p. 84 seq.; adde Dorvillium ad Chariton. p. 75. p. 245. Lips. quos primario loco Platonis adhibuit Astius. Ita enim ille de Legg. XII. p. 947. (p. 461. Astii) *θήκην δὲ ὑπὸ γῆς αὐτοῖς εἰργασμένην εἶναι ψαλίδα* (al. *ἀψῖδα*) *προμήκη λίθων προτίμων καὶ ἀγήρων εἰς δύναμιν, ἔχουσαν κλίνας παραλλήλας λιθίνας κειμένας, κ. τ. λ.* Similiter ipse Noster infra II, 136: *ἁπάσης κρατέειν τῆς θήκης*, ubi Schwgh. comparat nostrum *οἴκημα θηκαῖον.* Nec aliam potestatem vocula *θήκη* habet supra II, 42 fin. itemque III, 16. Alias *θήκη* est ipsa *arcula.* Tu vid. Suidam in voce, quem locum descripsit Zonaras in Lexico Graeco sub eodem vocabulo; adde Herodot. I, 67. ubi *σορὸν* ipse interpretatur et Wesseling. ad I, 53. p. 24. Caeterum *οἶκον* vocabulum in re sepulchrali usurpavit etiam Josephus Antiqq. VII, 15. Bell. Jud. I, 2. *Ἀνοίξας ἕνα οἶκον τῶν ἐν τοῦ Δαβίδου μνήματι.* De re consule *Muenterum* de Davidis sepulchro in antiquar. Abhandlungen p. 99.

Heynius in Spicil. antiq. mumiar. p. 88. — „Quin et peractis exequiis cadaver ab aliis in sepulchrum invectum inquit (Diodorus) ab aliis in nova aedicula domi structa conditum (lib. I, 91. 92.); ad quem morem forsan respexit Herodotus, ubi ait medicata cadavera poni consuevisse *ἐν οἰκήματι θηκαίῳ, quamvis vocabuli significatio late patens nihil certi arguendum offerat.*" *Zoëga* de obeliscc. p. 414. — — „ils font faire en bois un étui de forme humaine; ils y renferment le mort et le mettent *dans une salle destinée à cet usage*" *Larcher.*

Vides Valckenaerio excepto reliquos interpretes nil magnopere laborare de hujus lòci *lectione.* At vero quo copiosius hoc argumentum est quoque magis conjunctum cum *Aegyptiorum religionibus universis;* quo gravior item judicari debet illius critici auctoritas: hoc ego magis in eo loco immorabor. Atque, ut hinc ordiar, Schweighaeuserus in illa varietate *θηκαίῳ, θηβαίῳ* solam confusionem saepiuscule obviam agnoscit, illud prius haud dubie verum judicans. Qua de confusione non est quod universe dicam post Bastii observata in Comment. palaeogr. ad calc. Gregorii p. 708. 906: harum ipsarum vocum *θήβη, θήκη* (item *θίβη*), passim confusarum aliquot exempla in margine exhibebo. [31]) —

31) Luciani Timon. cap. 15. ubi vid. Brod. Jensius et Solanus I. p. 370. Bip. Athen. IV, 4. ibiq. Casaubon. et Schweigh. in animadvv. II. p. 395 sq. Polyb. I, 37. 9. p. 350. ibiq. idem Schweigh. — Advertit me de his ipsis sepulchris *Aegyptiacis* locus Strabonis XVII. p. 1171. Almel. p. 600. Tzsch. ubi in verbis, quae descriptionem Thebaicarum cryptarum habent, etiamnunc variatur inter scri-

Sed, quod viri venerabilis pace dictum volo, ubi in *utramvis* partem peccari poterat, ibi aliunde demum anquirendum est: in *utramne* fuerit peccatum. Et *aliunde* rationes judicii sui suspensas voluit summus criticus Valckenaerius, videlicet primum ex insolentiâ vocabuli *θηκαῖος*, deinde ex loco Diodori. Videamus de utroque argumento. Nimirum hoc voluit Valckenaerius, ne *Salmasium* quidem, quo tamen nemo hominum plura lectitaverat, vel unum exemplum ejus vocis ex tot scriptoribus eruere potuisse. Ego *Bentleji* auctoritatem adjiciam *Wyttenbachiique*, excitandam ex consimilis argumenti loco Plutarcheo. Explicatur (de Isid. et Osirid. p. 359. p. 471. Wyttenb.) Aegyptiorum ratio templorum — *πῇ μὲν ἀνειμένων εἰς πτερὰ καὶ δρόμους ὑπαιθρίους καὶ καθαρούς, πῇ δὲ κρυπτὰ καὶ σκότια κατὰ γῆς ἐχόντων στολιστήρια Θηβαίαις ἐοικότα καὶ σηκοῖς.* Locus corruptus. In promptu erat *θηκαίοις* reponere, et pervulgatâ ellipsi cogitare *οἰκήμασι*. At neque Xylander nec Bentlejus nec Squirius neque Wyttenbachius neque denique ille ipse Salmasius, qui omnes in eo loco desudarunt, ad illud remedium ejus voculae confugerunt. Dicamus caecutiisse tantopere eos viros, ut neglige-

---

pturam: *ἐν δὲ ταῖς θήκαις* et *ἐν δ. τ. θήβαις*, quod in suo codice legerat Mancinellus, quodque amplectuntur Hillius et Zoëga de obelisc. p. 6 et in Addendis p. 648. Quo in loco ut nunc quidem nil decerno: ita Tzschuckium miror ne verbo quidem monuisse de tam insigni varietate. De Plutarchi loco, qui eandem ambiguitatem habet, postea dicam. Neque ab aliis Herodoti locis abest hujusmodi varietas; v. c. I, 55. ubi *ἐν Θήβῃσι*, sed margo Stephani: *ἐν θήκῃσι* improbante Wesselingio.

rent vocem emendatricem: an ita sprevisse, ut ne mentione quidem dignam existimarent? Hoc ego crediderim. Et reapse — Cogita mihi quot funera descripta exhibeantur in veterum poëtarum, oratorum, historicorum monumentis; cogita illa tot Martyrologia Actaque Sanctorum graeco sermone conscripta: quis credat illam formam adjectivi sexcenties obviae voculae hactenus esse obliteratam, ut ejus nec vola etiamnum nec vestigium adpareat?

Satis dictum videtur de priore argumento Valckenaeriano. Nunc de altero dicendum est. Quod quoniam unice continetur loco Diodori I, 92: integrum apponam: *τὸ δὲ σῶμα τιθέασιν, οἱ μὲν ἰδίους ἔχοντες τάφους, ἐν ταῖς ἀποδεδειγμέναις θήκαις· οἷς δ' οὐχ ὑπάρχουσι τάφων κτήσεις, καινὸν οἴκημα ποιοῦσι κατὰ τὴν ἰδίαν οἰκίαν, καὶ πρὸς τὸν ἀσφαλέστατον τῶν τοίχων ὀρθὴν ἱστᾶσι τὴν λάρνακα.* Vides binas Aegyptiorum classes distingui a Diodoro, alteram eorum qui propria habeant sepulchra, alteram, qui iisdem careant. Atque ad hanc secundam classem referunt Herodotea verba Valckenaerius et Zoëga. Qua in re doctissimos hos viros ratio fefellit. Describit Herodotus nostro loco etiam nunc *primariam classem* et conditurae et sepulturae. Subjicit etiam: *οὕτω μὲν τοὺς τὰ πολυτελέστατα σκευάζουσι νεκρούς.* Jam cum ex loco Diodori appareat: alios Aegyptios habuisse *extra suas aedes propria sepulchrorum monumenta*, aliis eadem defuisse: quis sibi persuaderi patiatur, homines in Aegypto primarios ipsosque adeo fortasse sacerdotes caruisse peculiaribus conditoriis, in quae ipsorum cadavera post mortem inferrentur? Est enim hoc apud omnes

populos nobilitati gentis conjunctum, ut gentilitia sepulchra habeat. Quo ego referendum arbitror illud Herodoteum II, 136. ταφῆς κυρῆσαι μήτ' ἐν ἐκείνῳ τῷ πατρῴῳ τάφῳ. Contra qui minus nobiles essent minusve opulenti, eos credibile est deficientibus extra aedes conditoriis, suorum corpora domi suae asservasse. Atque de hoc genere viliorum hominum accipiendum duco illud quod nimis universe pronuntiat Sextus Empir. Pyrrh. Hyp. 24. p. 184. Αἰγύπτιοι αὐτοὺς (τοὺς νεκροὺς) σὺν ἑαυτοῖς ὑπὲρ γῆς ἔχουσι, licet regum Aegyptiorum aliquot exempla huc trahi nolim. [32]) Et reapse Athanasius in vitâ

---

32) Etenim reges nunc in suis regiis nunc in templis sepultos perhibent auctores idonei. Quis nescit, Osymandiam in palatio regio conditum ap. Diodor. I, 47? cujus loci situm definire aggressi sunt Francogallorum eruditi in Descript. de l'Egypte, Antiqq. II. p. 138 sqq. videlicet in agro Thebarum et quidem in Nili ripâ occidentali septentrionem versus. Item Noster ipse Mycerini regis filiam in paterno palatio post mortem conditam refert II, 129. 130. quem locum iidem viri docti ibidem p. 169. recte adhibuerunt loco Diodori laudato, quo probarent non in solis cryptis sive hypogaeis verum etiam in palatiis sepultos esse Aegyptiorum reges. Saïtae vero cunctos, qui quidem suâ in praefecturâ nati essent reges, in templo Minervae Saïtico sepelivere, teste Herodoto II, 169. III, 10 et 16. cf. Strabon. XVII. p. 802. p. 539. Tzsch. ubi de Psammeticho ibidem terrae condito. Quam rem parum tenuit vir eruditus, qui de operculo sarcophagi in regione Saïticâ nuper reperto et Vindobonam advecto exposuit in Actis liter. vernacul. Vindobonn. 1815. nro. 20. p. 549 et 1816. nr. 3. p. 20. Qui postea Aegyptiis imperitarunt reges Ptolemaeorum e gente in aedium suarum ambitu septum habebant (Σῆμα — al. Σῶμα): in quo et Alexandri Magni com-

Antonii cp. 91. p. 690. ed. Bened. Patav. Aegyptiorum sepeliendi genus memorans, haec subjicit: μήπως ἐν τοῖς οἴκοις ἀποθῶνται. Quae cum ita sint, non possunt Diodori verba: *καινὸν οἴκημα ποιοῦσι κατὰ τὴν ἰδίαν οἰκίαν, ut quae ad tenue ac mediocre genus hominum pertineant*, cum hoc Herodoti loco comparari, quippe qui *honoratorum vel certe opulentorum hominum condituram ac sepulturam contineat*. Ego contra, si Diodorus Herodotum respexisse dici queat, ex illo huc retulerim priora illa: τὸ δὲ σῶμα τιθέασι, οἱ μὲν ἰδίους ἔχοντες τάφους, ἐν ταῖς ἀποδεδειγμέναις θήκαις i. e. in designatis ad hoc conditoriis, [33]) ut intelligantur ipsa illa propria adeoque gentilitia conditoria, et οἴκημα θηκαῖον proinde nihil aliud quam hoc ipsum sit *conditorium, nulli alii rei quam solis arculis recipiendis destinatum*. Atque hoc pacto sententiae verborum Herodoteorum consuli potest, quae aliter accepta nescio quomodo languere videantur. Namque in ejusmodi loco, qui *magnificentiae* funebris tam insignem significationem habet, potius exspectasses ἐν οἰκή-

---

positum cadaver et reliquorum ex hoc genere regum. Vid. Strabon. XVII. p. 1153. p. 504. Tzsch. Nobilitatum etiam est Cleopatrae mausoleum, de quo Plutarchus in Anton. cp. 74. p. 117 ed. Coray. αὐτὴ δὲ θήκας ἔχουσα καὶ μνήματα — ἃ προςῳκοδόμησε τῷ ναῷ τῆς Ἴσιδος, quod templum et ipsum juxta illa avita sepulchrorum monumenta fuisse arbitratur Zoëga de obeliscc. p. 416. Praeterea constat, teste Strabone XVII. p. 508. Tzsch. Alexandriae etiam fuisse communem omnium Necropolin.

33) De qua vi verbi ἀποδεικνύναι ibidem monuerunt Rhodomannus et Wesseling. De alio usu ejusdem exposuit Wyttenb. in Selectt. Historr. ad Herodot. I, 1. p. 339.

ματι ἠσκημένῳ eleganti in conclavi, quo ipso *Noster* utitur II, 130. Quodsi vero *οἴκημα θηκαῖον* cogites conclave arcularum deinceps congestarum multitudine distinctum insignitumque, habet quo se tueatur loci sententia.

Jam eo est a nobis haec disputatio deducta, ut primum negemus, posse ad hunc Herodoti locum de pretiosissimâ conditurâ referri illa Diodorea *καινὸν οἴκημα*, deinde ut dicamus, posse satis commode explicari lectionem vulgatam, modo insigniore significatu accipias illud *θηκαίῳ*.

Verum enim vero, quo minus in vulgatâ acquiescam, obstant haud pauca; primum illud ipsum *θηκαίῳ* inusitatum, vel potius, uti quidem videtur, inauditum; deinde bonorum librorum auctoritas. Nam ut Askevii codicem omittam, primarius sane Schellershemianus nec Mediceo deterior, diserte praestat nobis alteram lectionem *θηβαίῳ*. Sed tamen hujus ipsius lectionis vis ac sententia tunc demum penitus dispici dijudicarique poterit, ubi accurate exploratum fuerit a nobis, qua auctoritate floruerit *Thebaica regio Aegypti in sepeliendis hominibus primariis ipsoque adeo primario deo Osiride.* Quae res sigillatim explicabitur sequenti capite nostro. Nunc redeundum est ad caput proximum, quo Herodotus viliora condiendorum cadaverum instituta persequitur.

Cap. 87. „Qui vero *mediam rationem* cupiunt,[34]) nimium sumtum fugientes, eorum cadavera

---

34) *Τοὺς δὲ τὰ μέσα βουλομένους*; alii *βουλευομένους*. Wesseling., qui hac datâ occasione frequentem utrius-

ita instruunt. Clysteribus adhibitis, implent cadaveris ventrem oleo cedrino, non incidentes ventrem, nec alvum exenterantes, sed per anum ingerentes: [35]) tum cohibentes illud lavacrum ne eâdem viâ retro exeat, nitro condiunt cadaver, per statutum dierum numerum. [36]) Horum dierum postremo cedriam, prius ingestam, e ventre emittunt; cujus tanta vis est, ut secum et intestina et viscera prorsus commacerata educat: carnes autem consumit nitrum; atque ita relinquitur cadaveris cutis tantum et ossa. His ita peractis, reddunt cadaver propinquis, nihil amplius negotii suscipientes.“

Huic ego capiti pauca duntaxat subjiciam, quae ad loci argumentum faciant: *τοῦ ἀπὸ τοῦ κέδρου ἀλείφατος — τὴν κεδρίην.*“ De *cedro* s. juni-

---

que verbi confusionem attigit. Inde nuper etiam Platonem tentarunt in Convivio cap. 4. p. 176. ubi tamen Bekkerus (p. 378 sequ.) recte intactum reliquit *βούλονται*. Nostro vero loco potius *βουλευμένους* fuisse scriptum nec absurde Schweighaeuserus suspicatur. Caeterum Heynius haec ita *περιφράζει* in Spicileg. antiqq. mumi. p. 89. *Τοὺς βουλομένους κατὰ τὴν μέσην ταρίχευσίν σφι τὸν νεκρὸν σκευασθῆναι.*

35) *Κατὰ δὲ τὴν ἕδρην ἐσηθήσαντες* Vid. Gloss. Sangermanenss. Tom. VI, 2. p. 347. ad calc. Herodot. Schwgh. ubi extremum vocabulum explicatur: *ὑλίσαντες*, i. e. purgantes. Sed vide quae supra posuimus ad cap. 86. ad verba *ἐξ ὧν εἷλον τὴν κοιλίην πᾶσαν.*

36) Per septuaginta dies. Vid. cap. 86. Larcherus ex primo die luctus initium ductum esse arbitratur, comparans Diodor. I, 72. p. 83. qui reges suos Aegyptium populum prodit per septuaginta et duo dies luxisse, Josephum autem patriarcham septuaginta dies. Genes. cap. L. vs. 3.

pero oxycedro s. cedro bacciferâ s. Ciliciâ plura disputavit Salmasius in Plinn. Exercitt. p. 233. 574. 668 sq 938. tractans plurimos locos veterum: Theophrast. H. Pl. I, 16. III, 12. (ubi consule interpretes) Junge Salmasianis quae de cedro exponunt J. H. Voss. ad Virgil. Georg. II, 126 sqq. p. 319 et II, 443. p. 423 sq. Blumenbach. in Beiträg. z. Naturgesch. II. p. 88. et Curt. Sprengel. in Histor. rei herbar. I. p. 106. p. 191. Vocabula autem quod attinet, pro illo Herodoteo τ. α. κέδρου ἀλείφ. Galenus de simpl. med. p. 89. utitur hac periphrasi: ἔλαιον τὸ ἐκ τοῦ κέδρου. Erotianus vero p. 33: κεδρίνῳ ἐλαίῳ. Ad vocem κεδρίην consule Niclasium in annotatt. ad Geoponica V. 9. 9, p. 341, XIII. 7. 2, p. 941, XVIII. 15. 5, p. 1192, qui in codicibus docet mirifice variari inter κεδρία, κεδρέα et κεδραία. Eadem diversitas passim obvia per medicorum veterum libros. Vid. v. c. Oribasii corpus scriptt. medicor. e codd. Moscovv. editum p. 183. p. 206. ibiq. Matthaei annotata. Caeterum, ut a verbis ad res transeamus, Gmelinus in experimm. in mumiis institutt. p. 15. jubet nos adtendere ad illud Herodoteum: ἀλείφατος, nimirum cogitari debere liquidam materiam, quam ex cedri ramis lignoque elicuerint veteres. Fiebat autem ita ut adurerent ejusmodi arborem, quo liquefacta resina efflueret, vid. Geoponn. l. l. ibiq. Niclas. Atque idem Gmelin. ibid. p. 19, periculorum chemicorum auctoritate fretus, dubitat cedriam aut aliam quandam resinam simplicem frequentatam fuisse in condiendis cadaveribus, dicens mixtae ut plurimum conditurae, nimirum compositae ex bitumine et resinâ, vestigia reperiri. Quam observationem Zoëga de obeliscis p. 256 adhibuit etiam

Diodori Siculi locis duobus, ubi cedriae mentio fit; scilicet lib. I. cap. 83. et cap. 91. Ac Blumenbachius in Beitr. z. N. G. II. p. 88. p. 123. rarum asphalti communis usum in parandis mumiis fuisse dicit, addens, cedriam ut plurimum admixtam fuisse. Fluidam autem cedriam clysteribus inserviisse. Tu adde nunc locos supra a nobis excitatos ex Oribasii corpore medicor. ubi interpositam etiam medicamentis videmus cedriam; nimirum ad clysteria est adhibita, v. c. pellendis ascaridibus; tum vero etiam purgandis naribus. Quae res hoc magis tenenda fortasse, quoniam ex cedri naturâ argumentum duxerunt eruditi homines ad refutandum Herodotum. Ego tantummodo referam quae in utramque partem disputata reperio. Etenim Dioscorides I. cap. 105. *cedri* oleum ob insignem in *servandis cadaveribus* virtutem *νεκρῶν ζωὴν* dictum perhibet. Quae quidem virtus haudquaquam congruere videtur cum eo usu, cui inserviisse Aegyptiis taricheutis h. l. memorat Herodotus. Atque eâ in re etiam Heynius haesit dubitans, vid. Spicileg. Antiqq. Mumm. p. 90. Zoëga autem etiam diserte obloquitur Nostro, cum dicit (de obelisce. p. 257.): „Conspirant praeterea Dioscorides, Galenus, Eustathius et Scholiastes Nicandri [37]) ad erroris arguendum Herodotum, dum taricheutas ad intestina per secessum efferenda usos ait cedriâ, cui

37) Dioscorid. l. l. Galenus de simpl. facult. med. libr. VII. nr. 16. Schol. Nicandri ad Theriaca vs. 80 (potius vs. 81. p. 52 sq. Schneideri. *Κεδρίδας, τὸν καρπὸν τῆς κέδρου· ἔχουσι γὰρ αὗται ὑγρότητα ἐλαιώδη* — et deinde ad vs. 83. *ξηραντικὸν* dicitur istud oleum.) Eustath. ad Iliad. Σ. p. 1146.

vis adstringens adest, et corroborans, nequaquam corrodens atque purgans.“ Haec Zoëga. At vero *purgantem* quidem cedriae vim agnoscunt ipsi veteres medici, quos modò diximus. Alio quoque modo haec expedire studuit Rouellus [38]). Videlicet, cum idem ille Dioscorides addidisset: eodem cedrino oleo viva corpora absumi: rem ita ait expediri posse, ut reapse intestina eo oleo absumta credamus, nitro autem (natro) adipem et vasa lymphatica. Haec illi. Alia autem ab aliis eam in rem disputata sunt. Arabicorum scriptorum locos de bitumine cedriâqne in mumiis collatos praestat Silvester de Sacy ad Abd-Allatifii librum de Aegypto p. 271 sqq. Et nuper admodum eam in rem denuo inquisivit, et Thebaicas mumias adhibuit Rouyerius Gallus. [39]) Inde potiora, quae huc faciant, apponam. Etenim ille mumias ait, aromatum vi siccatas, partim refertas esse resinis aromaticis, partim bitumine asphalto. [40]) In viliorihus mumiis et quae non incisae essent, sed salitae tantummodo, in iis igitur idem vir doctus bitumen minus purum, quod pissasphaltum dicitur, admixto nimirum petroleo, invenit. Cedriam vero, quoniam dissolvendis et conficiendis visceribus haudquaquam inservire potuerit, potius exsiccando cadaveri adhibitam videri dicit. Intestina autem absumta

38) In Mémoires de l'Académie des Sciences anni 1750. p. 140. Usus est Rouelli observationibus Larcherus ad h. l. (p. 361 sq.)

39) Mr. Rouyer in Notice sur les embaumemens des Egyptiens. Quae commentatio exstat in Descript. de l'Egypte Livrais. X.

40) Commentat. laud. p. 215.

esse immisso clysterio natri caustici, secus atque perhibeat Herodotus. [41]) Haec Rouyerius. Qui proinde et ipse litem intendit Herodoto. Quae quidem an veterum medicorum testimoniis dirimi queat, eâ de re viderint harum rerum peritiores. Caeterum Diodor. I, 91. et Manetho VI. vs. 460 sq. in eo quoque abs Herodoto discrepant, quod cedri usum in conditurâ cum ventribus resectis jungunt. Idem Manetho libro IV. vs. 191. *κεδροχαρεῖς* hac in re memorat; quae verba Heynius [42]) ad hoc secundum sive medium Herodoti genus revocat. Qua de re pronuntiare me vetat haec ipsa res, quam modo attigi. Quod vero Beckerus [43]) tertiam mumiam Dresdensem, quae infantis est, ad hujus secundi generis Herodotei similitudinem opinatur proxime accedere: hujuscemodi conjectura ab homine non medico prolata quam lubrica sit, nemo paullo eruditior ignorat.

Ad Herodoti haec de clysterio: *καὶ ἐπιλαβόντες τὸ κλύσμα τῆς ὀπίσω ὁδοῦ* adhibe alios locos Nostri, ut I, 46. Nam Suidas a Wesselingio laudatus *καταλαβεῖν*, ibi usurpatum Nostro, explicat *ἐπιλαβεῖν*. Cf. Herodot. III, 36. 52. V, 21. VII, 9. Ad universam loci nostri sententiam vel maxime faciunt Medici veteris verba in Corpore Oribasii p. 213 ed. Matthaei; unde insigniora duntaxat adscribam: — *ἢ πάλιν, ἐὰν βίᾳ τις τὸ κλύσμα ἐνθλίβων ὑπεπετὲς αὐτὸ ποιήσῃ πρὸς τὸν ἄνω τῶν ἐντέρων εἰλιγμὸν*

41) Ibid. p. 217.

42) In Spicileg. Antiq. Mumm. p. 89.

43) In Augusteo Vol. I. p. 26.

ἀνώσας, οὐκ εὐοδοῖ πρὸς τὴν πάλιν ἔξοδον ὁ κλυσμός ἐλθεῖν.

„*Cap.* 88. „*Tertia condiendi ratio* haec est, qua adparantur eorum cadavera, quibus tenuis admodum res familiaris est. Vulgari liquore purgatorio eluunt ventrem, tum per septuaginta dies nitro condiunt cadaver, atque ita dein propinquis reddunt auferendum.“

Συρμαίῃ διηθήσαντες τὴν κοιλίην. Quae ad vocem *συρμαίῃ* apposuit Schweighaeuserus ego non iterabo. Larcherus ad h. l. (p. 361.) amplecti videtur velle rationem Scholiastae [44]) Aristophanis, qui *συρμαίαν* succum plantae Aegyptiacae esse dicit; praecipue cum Aegyptus plantarum purgantium plurium ferax sit. Et Heynius de raphanorum succo h. l. cogitat in Spicileg. mumiar. p. 93. Tu adde Cangii Appendic. Gloss. graecc. Vol. II. p. 179, qui e Lexico Neophyti haec profert: *ἡ ἐπιμήκη ῥαφανίς· καὶ συρμαϊσμὸς, ὁ δι' αὐτῆς γενόμενος ἐμετός.* Zonaras tamen in Lex. gr. p. 1684 in *συρμαϊσμός* diserte illam vocem de potione accipit quae e sale et aquâ conficiatur. Idem ibid. cibum etiam [45]) hoc nomine insignem agnoscit, compositum e melle et adipe. E Photii Lexico nihil colligas, nisi quod is lexicographus aliquanto plenior quam Suidas, in

44) Ad Pacem vs. 1253. Eundem locum respexit Moeris Atticist. p. 351. ubi: *συρμαίαν. Ἀττικῶς, τὰ λεπτὰ λάχανα,* ad quem locum vid. Pierson.

45) Haec pertinere videntur ad Nostri II. cap. 125, et congruunt Glossae Herodoteae Vol. VI. part. 2. p. 348. ed. Schwgh. Altera glossa ibidem p. 347. recte relata est ad II. cap. 77.

hac voce (p. 410. Herm.) Herodoti nostri nomen ei loco adscripsit. Hippocrates de morb. p. 1057 *τὸ λίτρον Αἰγύπτιον*, i. e. natrum Aegyptiacum, ad clysteria adhibitum dicit. Cf. Caryophilum de thermis p. 24 sq. Et reapse Rouellus illam ipsam Herodoti *σύρμαίην* ex nitro (natro) potius confectam fuisse arbitratur in commentat. laud. p. 140. Cujus auctoritati suum judicium accommodavit nuper admodum ejus civis Rouyer. in Descript. de l'Egypte antiqq. particul. X. p. 217. — Quae cum ita sint, neque satis constet, utrum raphanus an nitrum (natrum) aut utrumvis fortasse ei lotioni cadaverum inservierit, laudanda est Schweighaeuseri, nec minus Langii viri eruditi, religiosa cura in hoc loco vertendo conspicua. Ille enim universe ita: „vulgari liquore purgatorio eluunt ventrem:" hic: „mit Reinigungswasser." Caeterum quod Zonaras in Lexici gr. loco altero, p. 1693, *Αἰγυπτιακὴν λέξιν* dicit *συρμαίαν*; debebat ea vox addi novae editioni Vocum Aegyptt. a Jablonskio collectarum, quam nuper Thesauro Stephaniano praemiserunt Britannici editores.

De *tertio* medicatorum corporum genere nonnulla disputat Becker. in Augusteo I. p. 28. Qui quidem arbitratur corpora illa siccata tantummodo, quae hodieque haud pauca per Aegyptum reperiantur, ex hoc tertio condiendi genere originem ducere. Plura de siccatis hujusmodi cadaveribus e peregrinatorum libris refert Heynius in Spicileg. Antiq. mumiar. p. 75. Inprimis lectu digna quae recens de hoc genere exposuit Rouyer. in Descript. de l'Egypte partic. X. p. 220., qui haec duo docet: primum, pauperrimorum hominum corpora post mortem etiam

pissasphalto condita esse. (De hoc medicamento supra monitum est.) Deinde carbonibus etiam contecta reperit viliora hujuscemodi cadavera, indeque recte efficit: veteribus Aegyptiis cognitam fuisse eam vim carbonum, quae putredini arcendae hodieque nemini non cognita est.

Cap. 89. „Uxores vero illustrium virorum, postquam decesserunt, non statim condiendas tradunt; nec si quae formosae admodum et in aestimatione fuerunt: sed post tres demum aut quatuor dies unctoribus hae traduntur. Id faciunt eâ caussâ, ne cum his mulieribus coëant unctores. Deprehensum enim esse ajunt eorum aliquem cum cadavere recens defunctae mulieris coëuntem, delatumque esse [46]) ab artificii socio.“

Cap. 90. „Quodsi quis vero reperitur, sive Aegyptius, sive perinde peregrinus homo, qui a

46) *Κατεῖπαι* ex codd. et vett. edd. restituerunt h. l. pro *κατειπεῖν* Schaefer. et Schweighaeuser. Tu vide hujus var. lect. Atque Noster infra III, 22. *εἶπας*, *εἰπάντων* et *εἶπαν*, item VIII, 68. *εἶπαι*, ubi consule Valckenaerium, adde Fischer. ad Weller. III. a. p. 89. Koen. et Schaefer. ad Gregor. Corinth. p. 482. Nec Atticis ignotas fuisse ejusmodi formas docet Schaefer. ad Dionys. Halic. de Compos. p. 436, ut nihil de Ctesiâ Cnidio dicam et similibus. Nec magis respuunt Atticorum imitatores. vid. quae Beckerus noster eam in caussam collegit in Specim. Philostrat. Vit. Apollon. p. 29 sqq. ubi ego Ctesiae admonui, a quo multa sumsit Philostratus. Praecipue tamen frequentarunt eas formas Alexandrini. Itaque in Inscriptione Rosetanâ p. II. lin. 8. legimus: *εἶπαν*. Ex Alexandrinis scriptoribus plura exempla congessit Sturz. de Dialect. Maced. et Alex. p. 61.

crocodilo raptus, aut ab ipso flumine haustus periit; apud quodcunque oppidum cadaver ejus in terram fuerit ejectum, ejus oppidi incolae necessario tenentur condiendum illud curare, et quam maximo honore adfectum in sacris conditoriis sepelire: neque alii cuiquam, nec cognato, nec amico, licitum est tangere tale cadaver; sed soli sacerdotes Nili, tamquam aliquid amplius quam hominis cadaver, tractant illud atque sepeliunt." 47)

---

47) — χειραπτάζοντες θάπτουσι Wesselingius in var. lect. ita: „χειραπάζοντες Askev. prave." Quibus haec subjecit Schweighaeuserus: „Adoptavit tamen hoc χειραπάζοντες *Schaeferus*, nec sine veri specie." Nimirum Ruhnkenius, a Larchero laudatus, in Auctario ad Hesych. Vol. II. p. 249. in hunc modum pronuntiat: „Compositum verbum ex χεὶρ et ἀφάζω. Hesychius: Ἀφάζει· ἀναδέχεται, ἀπὸ τῆς ἀφῆς. In Herodoto II, 90. pro χειραπτάζοντες nonnulli Mss. habent χειραπάζοντες, quam formam, quamvis a Cl. Wesselingio rejectam, tanquam simpliciorem atque adeo vetustiorem, praeferre non dubitem." Toupius in Notis ad Longin. Sect. 30. p. 337. ex Jamblichi vitâ Pythag. cap. 29. laudans memorabilem locum, cujus extrema haec sunt: ὥςπερ τινὸς ἀχειραπτήτου χνοῦ προςπνέοντα. „Antiquitatis colorem, tanquam *intactum* et *illibatum* quendam florem redolentia." haec adjicit: „Nihil melius aut expressius. Dicitur autem χειραπτεῖν et χειράπτητος ut χειραλειπτεῖν et χειραλείπτητος, de quo Suidas noster consulendus. Idem autem χειραπτεῖν et χειραπτάζειν. Quod verbum usurpat Herodotus II, 90. (Sequitur noster locus) ubi Mss. nonnulli χειραπάζοντες, *quod tantundem est.*" Tentaverat autem Kusterus in Jamblicho illud ἀχειραπτήτου, conjectans ἀχειράπτου. Alia nuper ibidem tentavit Kiessling (p. 331); quae nos nil moramur. Zonaras in Lex. gr. p. 1850. χειραπτήσας· ἁψάμενος τῇ χειρί, ubi

De Nili fluvii religionibus infra dicetur. Itaque h. l. illud nobis faciendum est, ut breviter exponamus de crocodilorum cultu sacro apud veteres Aegyptios. Quae res ad localia duntaxat sacra refertur ab ipso Nostro II, 69. cum dicit: *Τοῖσι μὲν δὴ τῶν Αἰγυπτίων ἱροί εἰσι οἱ κροκόδειλοι· τοῖσι δ' οὔ, ἀλλὰ ἅτε πολεμίους περιέπουσι.* „Sunt autem *crocodili* aliis Aegyptiis sacri; aliis non item, sed hi illos, ut hostes prosequuntur.“ Quam rem deinceps sigillatim pertractat Noster, [48]) ubi etiam Aegyptium ejus bestiae nomen prodit: *καλέονται δὲ οὐ κροκόδειλοι ἀλλὰ χάμψαι.* [49])

Tittmannus: „*χειραπτεῖν* ignorant Lexica: *χειραπτάζειν* Herodot. II, 90.“ Zonarae locus lucem nanciscitur e loco Jamblichi, et rursus confirmat Toupii rationem, qui ne tum quidem in dubitationem vocaverat formam verbi *χειραπτεῖν*. In Herodoto et ipse nil decerno.

48) Quae cap. 70 sequuntur de venatione crocodilorum, ea ab Hecataeo Milesio desumsisse Herodotum dicit Porphyrius ap. Euseb. in Praep. Evangel. lib. X. p. 466. B. cf. quae ad Hecataei Miles. fragg. p. 19. disputavimus. Adde Jomard. in Descr. de l'Egypte Vol. I. cap. 5. §. 5. p. 27, qui eandem plane hodieque venationem factitari perhibet.

49) Unde explicant nomen insulae ap. Herodotum II, 29. *Ταχομψώ*. De quo nomine vide Jablonskium et de Waterum in vocc. Aegyptt. p. 388 sq. itemque Champollion. l'Egypte sous les Pharaons I. p. 152. cf. 324. qui Tachempsah vel Tachimsah nil aliud esse dicit, quam locum crocodilis frequentem. Alterum bestiae nomen novit Strabo XVII. p. 1165. (p. 1150. Falcon.) Tom. VI. p. 580. Tzsch. *σοῦχος*, quam vocem natatorem designare arbitratur Bochartus, [cfr. quae Tzsch. ibi ex animadv. Ez. Spanhemii monuit]: Jablonskius libr. laud. p. 387 seq. p. 471. dubius haeret.

Jam de crocodilorum sanctitate etiam veteres quaesiverunt. Utilitatis admonet philosophus apud Ciceronem de Nat. Deorum I, 36. Eam duplicem produnt. Nam crocodilorum metu dicunt praedones et rapaces Arabiae et Libyae homines prohiberi, quominus Nilum transnatent (Euseb. P. E. II, 1. p. 50.); et ex ejus belluae accessu auguria capi accedentis Nili, esse enim crocodilum Aegyptiis nonnullis pro signo *ποτίμου ὕδατος.* [50]) Hinc qui nuper in Aegyptiarum rerum indolem inquisiverunt viri docti ab earum urbium incolis crocodilum praecipue cultum fuisse suspicantur, qui longiore aliquanto intervallo abs Nili ripâ distarent, ejusmodi hominibus crocodilos adnatantes praenuntios fuisse undarum salubrium, quibus et sitim pellerent, et arva irrigarent. In hisce hominibus censendos esse puto Ombitas superioris Aegypti, qui ejus superstitionis etiam poenas luere tenentur Romanorum Satirae. [51]) Ac fuerunt per Aegyptum plures urbes, quibus a crocodilis nomen esset. Primam in Labyrintho describendo memorat

---

De crocodilorum naturâ et indole exponit Noster in antecedentibus cap. 68. Cui loco adhibe Schaeferi Meletemm. p. 11 sq. et ad argumentum consule Schneiderum ad Aristotel. H. A. lib. V. cap. 27. Tom. IV. p. 415. 416.

50) Euseb. P. E. III, 11. Clem. Alex. Strom. V. p. 632. De cultu crocodilorum sacro confer etiam Lucian. de sacrificc. Vol. III. p. 78. ibique Solanum p. 425. Bip.

51) Vid. Juvenal. Satir. XV, 28 sqq. et consule Ruperti annotatt. ad eum locum. Quos in ejus superstitionis caussas inquisivisse dixi viros doctos, sunt duumviri Gallici Chabrol. et Jomard. in Descript. de l'Egypte. Tom. I. antiqq. c. 4. p. 8 sqq.

Noster.[52]) Secunda sita erat in Aegypto mediâ,[53]) tertia in superiore, sive Thebaïde.[54]) Atque in hujus urbis ruderibus se reperisse refert Costaz. duo crocodilos in lapide insculptos, quorum alter capite falconis insignis esset; [55]) quod symbolum ad ipsas has religiones spectare nemo ambiget. Atque ut in Thebaicis templis spelaeisque frequentantur crocodilorum imagines: sic dubitari nequit eam rem per varias Aegypti veteris provincias latissime patuisse, ita tamen, ut ab initio tantummodo localis is cultus belluae esset atque fortasse solorum piscatorum. Paulatim tamen etiam haec res cum communibus Isidis et Osiridis sacris quodammodo coaluisse videtnr. Ni fallor argumento est ipse Nostri locus alter II, 48; ubi in ipso Labyrintho loculi memorantur positi sacrorum crocodilorum (*θῆκαι τῶν ἱρῶν κροκοδείλων*). Luculentior etiam narratio Plutarchi, [56]) qui Isidem refert papyraceo lembo paludes pernavigasse, et frusta dissecti Osiridis conquisivisse, addens: „hinc esse, quod, qui papyrinis navigiis vehantur, *ii a*

---

52) II, 148. *ὀλίγον ὑπὲρ τῆς λίμνης τῆς Μοίριος, κατὰ κροκοδείλων καλεομένην πόλιν.* Nutriti ibi publice in lacubus sacri crocodili. De eâ urbe, quae etiam *Crocodilopolis Magna* dicta itemque *Piom* (Fajum) nec minus *Arsinoë* (*Ἀρσινόη*) cf. Strabon. XVII. p. 1165 sq. p. 580 sq. Tzsch. Pococke Descript. I, 59. Zoëga de obelisc. p. 242. 292. et Champollion l'Eg. s. les Pharaons I. p. 323—325.

53) *Atripe;* vid. Champoll. I. p. 266 sq.

54) *Tuphuim;* Champoll. I. p. 192 — 194. cf. Descript. de l'Eg. Antiqq. Vol. II. cap. 7. p. 24.

55) Descript. de l'Egypt. Antiqq. Vol. I. cap. 8. p. 17.

56) De Isid. et Osirid. p. 358. p. 467. Wyttenb.

crocodilis non infestentur, aut metuentibus aut venerantibus eos propter Deam." Vides hoc loco Isidis communia sacra cum crocodilorum timore copulari.

Atque ut ad nostrum locum (II, 90.) revertar: notum est, litem intendisse Herodoto nonnullos eo quod qui a crocodilo raptus fuerit, de ejus sepulturâ neminem fuisse quaesiturum, ut qui a belluâ devoratus fuerit. Quam rem cum jam attigerint Wessel. et Larcherus ad h. l. ego hoc unum delibabo, videlicet eadem prorsus narrari a Josepho; [57]) neque rationem obstare, quo minus reperta fuerint nonnunquam cadavera arrosa crocodilorum dentibus. Legis autem, quam memorat Noster, caussam si quaeris, probabiliter eam in rem disputat Zoëga, [58]) cum dicit: quam legem eum in finem sanxisse videntur sapientes in Aegypto, ut alacriores essent homines ad fluvium frequentandum, et hortos ei adjacentes colendos, nec ullum vel a fluctibus vel a belluis periculum reformidarent. Eamque fuisse accepimus plebis persuasionem, ut vel matres beatos praedicarent filios suos, ubi a crocodilis essent vorati." [59]) Haec Zoëga. Atque Indos nemo nescit beatam inprimis ejus mortem hodieque praedicare solere, qui sacris Gangis fluctibus immersus suffocatusque fuerit. Sed nunc Indica omittamus. Ad Aegyptia vero haec ipsa sacra illustranda facit haec

---

57) Contra Apion. II, 7. p. 475.

58) De obeliscis p. 294.

59) Laudat Josephi locum cit. itemque Aelian. H. Anim. X, 21. et Maxim. Tyr. Diss. VIII. cap. 5.

imago inter monumenta Philensia reperta. Exhibet hominem mortuum, compositum in modum mumiae, et crocodilo vectum. Haec infra geruntur. Supra lucent Sol, luna, stellae.[60]) Quae haud dubie ad id consecrationum genus referenda sunt, quod nostro loco attigit Historiae pater.

---

60) Vid. Descript. de l'Egypte Antiqq. Vol. I. p. 19. nr. 2.

CAPUT II.

DE PRIMARIIS URBIBUS SEPULCHRALIBUS PER AEGYPTUM CONSECRATIS.

EXPLICANTUR ORIGINES AC PARTES RELIGIONUM VETERIS AEGYPTI POPULARIUM.

Supra ad Herodoti II,86. extrema verba: *ἐν οἰκήματι θηκαίῳ* monere me memini, ea sic demum dijudicari posse, si Thebaicae regionis in sepulchrorum sanctitate colendâ auctoritas recte intelligatur. Verum haec res altius repetenda est, et universe inquirendum, *quam vim habuerint ad eligenda sepulchrorum loca veterum Aegyptiorum religiones.* Dicemus igitur de *primariis urbibus sepulchralibus per universam Aegyptum.* Quod cum faciemus, attingemus alios item *locos Herodoteos* ex his *Aegyptiacis*, nimirum II. cap. 2. 15. 40. 41. 42. 61. 128—132. 170. 171. III. cap. 26. rel. rel.

§. 9.

De Thebis Aegyptiacis insulâque Beatorum.

Jam primum, ut a Thebis ordiamur, unde nata nobis haec tota quaestio est: non attinet hoc loco universe dicere de Thebarum Aegyptiarum magnitudine et opibus. Et primarios veterum locos lau-

davi in *Meletematibus*, part. I. p. 94 sq. Atque Aegyptiacarum rerum omnium primordia Thebis esse oriunda et vetus appellatio arguit et fama hominum. Illam attingit *Noster* II. 15 fin: *τὸ δὲ ὤν πάλαι αἱ Θῆβαι Αἴγυπτος ἐκαλέετο*[61]): hanc refert Diodorus I, 50. cum narrat, Thebaidos incolas se ipsos omnium hominum vetustissimos judicare.[62]) Nil autem mirabilius *cryptis illis Thebaicis*, sitis Libyam versus in occidentali ripâ Nili, adeoque *sepulchris* regum, quae appellantur. Testantur id certatim veteres; in his Strabo XVII. p. 1171. Alm. p. 600. Tzsch. atque Diodorus I, 46. nec minus recentiores.[63])

In ipsâ autem Libyâ septem dierum intervallo a Thebis *Beatorum insulam* agnoscit Noster III, 26.

61) Sic plane etiam codex Palatinus noster nr. 129, qui Herodotea aliquot excerpta habet. (Vid. ad calcem adjectum a nobis *Appendicem Lectt. et Scholiorum.*) Quam eandem constructionem hoc ipso loco laudato nos attendere jubet Matthiae Gramm. gr. §. 304. Alii perperam: *ἐκαλέοντο*.

62) Quae comparanda sunt cum Herodoti II. cap. 2. de certamine vetustatis Phrygas inter atque Aegyptios. Cui loco copiosissimum Scholion Apollonii IV, 261 sqq. recte adhibuit Larcherus. Tu cf. nunc etiam Scholia Parisina p. 284 ed. Schaef. Rem attigit etiam G. J. Vossius de historicis gr. p. m. 422.

63) Vid. Pocock. p. 98 sq. tab. 58 et quos plures laudat Zoëga de obeliscis p. 279 sqq. cf. Denonii itiner. II, 108 et Tab. 42. et inprimis magnum opus, quod inscribitur Description de l'Egypte Antiqq. Vol. II. p. 370 sqq. et tabb. 83 sqq. et Hamiltoni Britanni Aegyptiaca p. 154. Qui excerpta ex his libris apte disposita et lucide narrata legere cupiat, adeat Heerenii V. Cl. librum Ideen etc. Vol. II. p. 649 et praecipue Appendic. p. 782 sqq. ed. tert.

cum dicit esse ibi locorum Oasin oppidum additque: *οὐνομάζεται δὲ ὁ χῶρος οὗτος κατὰ Ἑλλήνων γλῶσσαν, Μακάρων νῆσος.* Ac pervenisse ad Graecos homines famam *Elysii* in *Aegyptiorum finibus* siti, loquuntur veterum scriptorum excerpta, quae leguntur ap. Etymol. magn. p. 428. p. 388 Lips. Suidam in *Ἠλύσιον;* Tzetz. ad Lycophr. vs. 1194. 1204. et Eudociam p. 219. In loco Aegyptiaco accuratius designando variatum esse nemo mirabitur. Sic, ut hoc utar, Apion locum designaverat inter Canobum et Zephyrium, teste Eustathio ad Odyss. p. 1509. p. 186 infra Basil. Illud docte, si quid video, ex hoc ipso loco Homerico (Odyss. IV, 561 sqq.), ubi Aegyptius Proteus Menelao vaticinatur, efficere studuit Zoëga de obeliscc. p. 296: *universam fabulam de Elysio sive de Beatorum insulis Aegyptiacae esse originis.* Quam rem odorari quodammodo tibi videare, ubi legeris quomodo Herodorus et Olympiodorus ap. Phot. in Bibl. p. 191. p. 111. Hoeschel. Homericas res, veluti Phaeaciam adeoque Homeri patriam ad illas Aegyptias et Thebaicas insulas Beatorum retulerint. Nam ut Thebarum mentionem persequar, alio loco e Pherecydis, Antiochi, aliorum scriptorum testimoniis didicimus utrarumque Thebarum et Aegyptiarum et Boeotiarum primordia, miracula, et eventa multis partibus ab antiquis hominibus conjuncta esse (vid. Meletemm. nostr. I. p. 94). Hinc in hac urbe condendâ Ogygus Aegyptiacarum Thebarum rex dicitur: *πάντα ποιήσας εἰς ὄνομα τῶν Αἰγυπτίων Θηβῶν.* Eo referendum arbitror, quod Boeotiae Thebae suas habuere Beatorum insulas. Photius Lex. gr. p. 178 *Μακάρων νῆσος, ἡ ἀκρόπολις*

τῶν ἐν Βοιωτίᾳ Θηβῶν τὸ παλαιόν, ὡς Ἀρμένδας.[64]) Eam vero famam, si quaeris, ego ortam crediderim non solum ab agri Aegypti superioris fertilitate, verum inde quoque, quod in Thebarum Libyaeque confinio amplissima spelaea longe lateque patebant, ab antiquissimo inde tempore opulentorum Aegyptiorum, sacerdotumque ac regum cadaveribus recipiendis destinata. Malo enim hac in caussâ cum d'Anvillio facere (Memoires sur l'Egypte p. 188) quam cum Larchero (table Geogr. p. 376.). Nam antiquis Graecis illa sepulchra Thebaica ignota fuisse nemo crediderit, qui loci Homerici de magnitudine Thebarum vim intelligere calleat. At vero sufficit nobis ad nostram caussam illud tenere: sub rerum Aegyptiarum primordiis Thebas eo loco ac numero fuisse,

64) Suidas alii ὡς Παρμενίδης. Sed vid. Hermannum ad Photii l. l.; adde Scholia ad Apollonium Rhod. I, 551, ubi est Ἀρμενίδας (cod. Paris. Ἀρμενίδης) ἐν τοῖς Θηβαϊκοῖς (vid. p. 45. et 641 ed. Cl. Schaeferi). Utut nomen fuerit, hoc habeo persuasum, si illius hominis liber aetatem tulisset, clariore in luce ea cerneremus, quae nunc tantummodo per transennam adspiciuntur. Photio l. l. junge Hesych. II, 52. Suidam. p. 483 et Phavorin. p. 1206, qui eadem tradunt, nisi quod variant in μακάρων νῆσος et μ. νῆσοι, similiter atque in loco Herodoteo III, 26 libri scripti. Quod ibidem Schweighaeuserus νῆσος reposuit non contendo, quatenus optimi codices ita jubent: quod in var. lect. subjicit: „Mireris vero Nostrum quum de *Oasi* tanquam unâ urbe loquatur, eandem *insulas* plurali numero dixisse" opponat quispiam epigramma apud Tzetz. ad Lycophr. 1194. p. 952 Mueller, ubi de unâ urbe Thebarum Boeotiae ita: Αἵδ' εἰσὶ Μακάρων νῆσοι κ. τ. λ. Quod ad ejus fabulae vim attinet, in eâ re mirifice caecutiunt l. l. et ad vs. 1204 Tzetzae.

ut et reipublicae et religionum caput ac fastigium censeretur. Hoc eam vim habet, ut haec ipsa urbs apud Aegyptios multa per secula non minus clareret, quam apud Persas claruerant illae Pasargadae. Utrobique enim vestustissimo aevo reges et ad imperium capessendum sunt initiati et vero etiam vitâ exactâ sepulti. Quae res quam vim habeat ad Persarum imperii formam intelligendam cum docte copioseque exposuerit *Heerenius* in libro vernaculo Ideen Vol. I. p. 245 sqq. p. 272 sqq. non opus est haec a me multis verbis declarari.[65]) Illud faciam, ut cum Persicarum rerum scriptoribus componam testimonium de Aegyptiorum hac in re institutis. Dico locum Synesii, qui, si recte intelligatur, morum religionumque Aegyptiarum insignem significationem habet. Est vero longior, quam ut integer a me h. l. exhiberi queat. Exponit scriptor elegantissimus de Provident. p. 94 ed. Petav. quomodo ad regnum evectus sit Osiris, atque hac datâ occasione adumbrat ritus obeundos ei qui imperium capessere velit. Qua in re memorat binos montes hac in caussâ memorabiles: *καθίσταται δὲ Αἰγυπτίοις ὁ βασιλεὺς τρόπῳ τοιῷδε. ἱερὸν ὄρος ἐστὶ παρὰ τὴν μεγάλην πόλιν, τὰς Θήβας, καὶ ὄρος ἄλλο καταντικρὺ, μέσον ἀμφοῖν τὸ ῥεῦμα τοῦ Νείλου· τῶν ὀρῶν τοῦτο μὲν καταντικρύ, Λιβυκὸν, καὶ ἐν αὐτῷ δίαιταν ἔχειν νόμος τῆς παρασκευῆς τὸν*

65) Attende locum primarium, nec ab Heerenio neglectum, Plutarchi in vita Artaxerx. cap. 3. pag. 1012. Francof. p. 282. Vol. V. ed. Coray. Adumbrantur ibi initia, quibus Artaxerxes auspicando regno idoneus redditus est, peraeta in templo Pasargadis, h. e. eo in loco, in cujus finibus majorum sepulchra erant.

χρόνον τοὺς ὑποψήφους τῇ βασιλείᾳ, τοῦ μηδὲν ἐπαισθάνεσθαι τῆς αἱρέσεως· τὸ δὲ ἱερὸν, τὸ Αἰγύπτων· κ. τ. λ. nam in hoc Aegyptio monte esse et tabernaculum regis, ibique cogi universum consessum sacerdotum, et quicunque reliqui ad eam rem adhibiti fuerint. Deinde, rege legitimo modo suffragiis electo, diisque solenni modo consultis: ἵνα — αὐτοπτηθέντες αὐτὸν τὸν βασιλέα ἀναδείξωσι — rite creatus rex a Libyco monte advehitur maximo comitatu: — θεῶν, ἱερέων ἁπάντων ἁπλῶς ἅμα στέμμασιν ἱεροῖς καὶ αὐλοῖς ἱεροῖς παρὰ τὴν ὄχθην ἀπαντώντων, οὗ τὴν βάριν ἔδει καταῖραι τὴν ἀπὸ τοῦ Λιβυκοῦ μέρους τὸν νέον βασιλέα ἀναλαμβάνουσαν.— Quid quaeris? Verbis descripta legas h. l. quae oculis nunc quidem tuis usurpare queas, si Thebaica aliquot anaglypha picturasque in *Francogallorum Descriptione Aegypti* evolvere velis. Sed hoc non jam agimus. Illud significari volo: in regum auspiciis memorari binos montes: *Libycum* alterum, alterum *Aegyptiacum*. In illo exspectandum regni candidato, quoad in hoc regni insignia nanciscitur. Videlicet in monte *Libyco*, *ubi monumenta majorum suorum sepulchralia habebat*, igitur eo in loco haud dubie sacra ei facienda erant ante ineundi regni primordia. Nam quae reliqua Synesius habet de concione deque suffragiis, ea non ad Graecorum, sed ad orientalium hominum mores redigenda esse nemo adeo caecutiat, quin continuo perspiciat. Quocirca haec non morabor. Illud attendi velim, quantopere haec congruant cum Persarum ritibus in auspicando imperio; atque cum Pasargadis sciamus cadavera regum condita fuisse grandibus monumentis, simul

teneri velim, quam vim etiam in regum Aegyptiorum imperio auspicando *sepulchrorum sanctitas*, *jura Manium* et quae cum his conjuncta sunt, habuisse videantur.

Igitur exoritur nobis ex vetustatis caligine et quasi tenebris regio Aegyptiaca Thebais, in qua non solum lucem adspexerant primam et Juppiter Ammon [66]) et Osiris, verum in cujus finibus hic quoque, utpote mortalium sorti obnoxius, humi conditus ferebatur. Et mirabimur in hac terrâ, cujus incolas in vitâ beatos norat praedicatque Homerus, mortuorum quoque *beatas sedes* patere vulgo creditas esse?

66) Etiam hoc ad Boeotias Thebas traduxerant Graeculi, ut eas pro Jovis cunabulis haberent. vid. Tzetz. ad Lycophr. l. l. p. 952. — Possit etiam qui hariolari velit, convertere caussam et aliam fabulam a Boeotiis Thebis ad Aegyptias traducere. Fuerant enim, qui illas ferrent a Cadmo appellatas, nomine ducto ab *arcâ*, qua is pro navigio usus sit. Ita quidem ipsam agnosceremus arcularum s. loculorum urbem. Vid. Bocharti Geogr. sacr. p. 426 infr. Verum arcula vel fiscella e vimine plexa Alexandrinis potius est θίβη. Vid. Interprr. ad Athen. IV, 5. Animadvv. p. 396 Schw. Zonarae Lex. p. 1045 ibiq. Tittm. Bielii Thes. II. p. 43. Et Boeotiam illam alii nuncupatam tradebant a θήβα i. e. vaccâ, teste Etymol. m. p. 408 Lips. (p. 450 Sylb.) Tzetz. ad Lycophr. p. 1206 ibiq. Mueller. p. 959. Ego talia, licet nec ipsa prorsus negligenda, nunc quidem omitto. Illud omittere nolo, utpote cum nostrâ disputatione conjunctum, quod ex Aegyptiaco sermone nuper probare studuit Champollion l'Egypte s. l. Pharaons I. p. 216. Aegyptiacarum Thebarum nomen designare *caput, caput regni.* Formam autem adjectivi: Θηβαῖος cum ab aliis usurpatam videas, tum ab ipso Herodoto, v. c. II, 42. 166 et eodem sensu Θηβαϊκός II, 4.

Regum Thebaicorum sepulchra nunc et ipsi novimus, plena anaglyphis picturisque, defunctorum vicissitudines exhibentibus. Novimus item, ipsius Herodoti doctrinâ edocti, *sacros loculos ipsis Thebis* paratos. Vid. II, 42 fin. et II, 69. — Et mirabimur fuisse inter antiquos Aegyptios, qui nullibi se libentius humari vellent, quam ipsis Thebaicis in sepulchris? De florentis imperii Thebaici tempore nemo sanus dubitet. At dicat quispiam, quo tempore Herodotus Aegyptum peragrabat, dudum in Thebarum excisarum locum successerat Memphis et ipsa nobilitata sepulchrorum religionibus. Hoc igitur tempore nemo facile homo primarius Aegyptius Thebas cadaver suum deferendum curaverit. Audio. Sed, ut omittam, etiam Thebis dudum solo aequatis potuisse tamen permanere auctoritatem religionum Thebaicarum adeoque sepulchralium, illud maxime teneri velim: haud pauca reperiri in loco de mortuorum curâ Herodoteo, quae aliter expediri nequeant, nisi cogites *Thebaicarum morem* et *apparatum*, qualis nunc Gallorum Britannorumque studio accuratius a nobis cognoscitur. Quocirca credibile est, hunc locum Herodoteum de conditurâ mortuorum maximam partem fluxisse ex monumentis *Thebaicis*, h. e. vel ex narrationibus Thebaicorum sacerdotum, vel ex voluminibus, quae ab ipsis sibi curaverat exponenda. At objiciat aliquis brevitatem dicendi in Herodoteis illis: *θησαυρίζουσι ἐν οἰκήματι Θηβαίῳ*, quando hoc ipsum quid sit uberius debebat exponi; v. c. cur eo devecta sint honoratorum hominum cadavera, quid in eo itinere factum, quid in ipsâ sepulturâ. Cui nunc quidem nil amplius respondeo,

quam eandem brevitatem bis aut ter in hoc ipso capite jam nos advertisse. Nam his in verbis eandem brevitatis caussam exstitisse Nostro sequentia docebunt, quae deinceps adjiciemus. Verum, in utrâ lectione agnoscas manum Herodoteam, ego non contendo: illud in hac *Commentationum* (nam *Commentationes* scribo) parte praestare volo, ut Thebaica illa instituta, imprimis sacra, quoad a me fieri possit, in clariore aliquanto luce collocentur.

§. 10.

De Abydo Aegyptiâ et de sepulchrali contubernio Osiridis-Memnonis.

Adhuc hanc in sententiam disputavi, ut credibile foret, ipsis Thebis aliquo certe tempore humi conditos esse Aegyptiorum homines primarios. Neque vero necesse est, ut tam arctis limitibus eam rem circumscribas. Nam quanquam latissime pateant in eâ parte agri, ubi hodieque siti sunt pagi *Quournou* et *Medineh-Tabou*, sepulchra Thebaica, ut ingens vis cadaverum posset eo deferri: latius tamen, florente Pharaonum imperio, patuit Thebaicum nomen. Neque dubitari potest, quin per longum tempus haud exigua pars universae Aegypti hoc nomine comprehensa fuerit. Ad nostram caussam sufficit hoc tenere Thebaidem reapse pertinuisse usque ad Chemmin urbem; unde mediae Aegypti porrigebantur fines. Quidquid igitur per universam superiorem terram sepulchralium locorum fanorumque eidem usui destinatorum inventum est, id omne non minus poterat *Θηβαίων* nomine venire, quam urbica illa Thebarum spelaea.

Jam audiamus Plutarchum loco memorabili de Iside et Osiride p. 359 A. p. 471 seq. Wyttenb. — οὐχ ἥκιστα δὲ ἡ τῶν Ὀσιρείων δόξα· πολλαχοῦ γὰρ κεῖσθαι λεγομένου τοῦ σώματος, ὀνομάζεσθαι πολίχνην λέγουσιν ὡς μόνην τὸ ἀληθινὸν ἔχουσαν, ἔν τε Ἀβύδῳ τοὺς εὐδαίμονας τῶν Αἰγυπτίων καὶ δυνατοὺς μάλιστα θάπτεσθαι φιλοτιμουμένους, ὁμοτάφους εἶναι τοῦ σώματος Ὀσίριδος. [67]) „Non minimum huc faciunt Osiridis templa tam multis in locis celebria. Nam cum multis in partibus ipsius corpus sepultum dicatur: esse tamen urbem, quae sola verum corpus habeat, et *Abydi quidem humantur Aegyptiorum fortunis ac potentiâ praecipui, studiose hoc ambientes, ut eodem cum Osiride potiantur sepulchro.*" Plutarcho junge Strabonem qui XVII. p. 814. p. 592 Tzsch. ita: Ἐν δὲ τῇ Ἀβύδῳ τιμῶσι τὸν Ὄσιριν· ἐν δὲ τῷ ἱερῷ τοῦ Ὀσίριδος οὐκ ἔξεστιν, οὔτε ᾠδὸν, οὔτε αὐλητὴν, οὔτε ψάλτην ἀπάρχεσθαι τῷ θεῷ καθάπερ τοῖς ἄλλοις θεοῖς εἶδος. „Abydi Osiris colitur:

67) Exhibui lectionem quam ex codd. mss. emendatam praestitit Wyttenbachius. Attigit haec verba nuper Jacobsius V. Cl. in Comment. vernaculâ de Memnoniis in Actis Acad. Reg. Monac. 1809. p. 21 not. 58. Neque vero solos Abydenos respicit Plutarchus. *Aegyptiorum* enim optimates dicit hoc facere, et universi loci continuatio docet, recte accepisse illa verba Zoëgam de Obeliscc. p. 284 cum dicit „Praesertim Abydus, Thebaïdi contermina Libycisque arenis adjacens, antiquâ famâ nobilis, jam ante Memphin Osiridis corpus sibi vindicavit, quare et diu mos obtinuit, *ut ex universâ Aegypto opulentiores vitâ functi illuc deferri ambirent.*" Taphosiris oppidi admonuit Wyttenbachius in var. lect. ad Plutarchi l. l.

in ejus templo non licet nec cantori nec tibicini nec citharoedo sacrificium auspicari, quemadmodum mos est aliis diis.“ Tu cf. locum geminum Aeliani Hist. Animal. X, 28. Idem p. 813. p. 588, postquam Memnonem Ismanden dici Labyrinthumque ipsius opus videri prodiderat, sic pergit: *οὗπερ καὶ τὰ ἐν Ἀβύδῳ, καὶ τὰ ἐν Θήβαις· καὶ γὰρ ἐκεῖ λέγεταί τινα Μεμνόνεια.* [68]) Quibus continuo subjicit „Secundum Abydum est prima Auasis (*Αὔασις*) ex tribus quae sunt in Africâ, dissita inde iter septem dierum.“ [69]) Plin. Hist. N. V, 9. med. 5. 11. extr. de Abydo ita: „Infra quod *Abydus*, *Memnonis regiâ et Osiridis templo inclytum* VII. M. CCCC pass. in Libyam remotum a flumine.“ [70]) Praecipue advertere nos debet locus Athenaei XV. p. 680. p. 478 Schwgh.; ubi primum *Hellanici* [71]) fide in oppido Tindio spinis imposuisse

---

68) Primarium hunc locum non neglexit Jacobs. de Memnoniis p. 6, quem confer.

69) Eodem intervallo Oasin (magnam videlicet) a Thebis distare tradit Herodotus loco supra laudato III, 16. Neque vero tot dierum spatio sed pauciorum abesse docet Larcher. tabl. geogr. p. 376, laudans Brownii itinerar. I. p. 276.

70) Locum explicavit Salmasius ad Solin. p. 337. Cum Plinio facit Ptolemaeus Geogr. IV. p. 266 Basil. cui *μεσόγειος* dicitur Abydus.

71) Cf. Hellanici Fragmm. p. 41 seqq. ed. Sturzii, et adhibe Jablonskii Panth. Aegypt. lib. V. p. 53 et 103. Hellanici verba non usquequaque sana. Nonnulla, in quibus Sturzius et Schweigh. haerent, nunc quidem ex Descriptione Francorum Aegypti expeditiora videntur reddi posse, ut illa *θύρετρα λίθινα*. De Babye et bellis Pastorum in Aegypto infra dicemus ad locum Herodoti II, 128.

deos coronas suas ex acanthi flore et mali Punicae flore et vite nexas, cum intellexissent regnare *Babyn*, *qui est Typhon*, deinde subjiciuntur haec Demetrii: *Δημήτριος δ' ἐν τῷ περὶ τῶν κατ' Αἴγυπτον, περὶ Ἄβυδον*, (ex verissimâ emendatione Berkelii ad Steph. Byz. p. 14. pro *Ἀβυλόν*) *πόλιν τὰς ἀκάνθας ταύτας εἶναί φησι, γράφων οὕτως· Ἔχει δὲ ὁ κάτω τόπος καὶ ἄκανθάν τινα δένδρον, — λέγεται δὲ τις μῦθος ὑπὸ τῶν Αἰγυπτίων, ὅτι οἱ Αἰθίοπες στελλόμενοι εἰς Τροίαν ὑπὸ τοῦ Τιθωνοῦ, ἐπεὶ ἤκουσαν τὸν Μέμνονα τετελευτηκέναι, ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ τοὺς στεφάνους ἀνέβαλον ἐπὶ τὰς ἀκάνθας· ἔστι δὲ παραπλήσια τὰ κλωνία στεφάνοις, ἀφ' ὧν τὸ ἄνθος φύεται.* „Demetrius vero, in Rebus Aegypti, *circa Abydum* urbem istas esse spinas ait, ita scribens: Habet vero locus inferior etiam spinam quandam arborem, — Narratur vero etiam fabula quaedam ab Aegyptiis, *Aethiopas* Trojam missos a Tithono, *postquam cognoverunt obiisse Memnonem*, hoc in loco coronas in istas spinas conjecisse.“ Vides Aegyptios deos eodem ritu *lugendi Osiridis* initium fecisse, quo ipso *Memnonis lugubria* auspicabantur Aethiopes. Vides utrobique corollas spinis, verno tempore nascentibus (sic enim tradiderat idem Demetrius) luctus caussâ suspensas. Habes eâdem in urbe et *Osiridis fanum tumulumque* et *regiam Memnonis*. Possunt a me h. l. multa dici [72]) in eam

72) Quatenus Pyramides Aegypti probabiliter explicari queant et *sepulchra Osiridis* et *Solis sepulchra*, discant nostri lectores cum ex Phamenophi p. 95, tum ex libro vernaculo: Neue Theorie zur Erklär. der Griech. Mytho-

sententiam, quomodo non locorum modo viciniâ verum etiam reapse et ex doctrinâ veterum conjunctus sit Osiris, tanquam orbis anni solaris et vitae in orbe meantis symbolum, cum Aethiopico illo vocalique Aurorae filio Memnone. Verum hoc non agimus, et subsistendum est in luctuosis Osiridis religionibus, quae Thebaidem nobilitaverant et Abydum Thebaidis urbem. Nam haec sanctitas ei urbi permansit, posteaquam dudum in aliis rebus clarere desierat. „Abydus, inquit Geographus XVII. p. 813. p. 588. olim magna urbs videtur fuisse, *primo post Thebas loco: nunc in parvum pagum redacta est.*" Etenim cum antiquitus Nomi caput fuisse videatur, vetusto jam aevo adeo lapsa erat, ut accenseretur alii nomo, *τῷ Θινίτῃ.* [73]) Sed eadem tamen adeo tenax

---

logie. p. 427 *Dorneddeni* viri ingeniosi, qui egregie meruit de aliquot partibus rerum Aegyptiarum.

73) Ptolemaeus Geogr. l. l. Antiquitus contra Abydum caput fuisse decimi nomi Thebaïci ex nomorum Aegyptiorum recensu probabile reddidit Champollion in libro l'Egypte s. l. Pharaons I. p. 370 seq. Idem Pharaonum aetate lapsam esse eam urbem arbitratur. Quam rem firmare poterat silentio Herodoti, qui prorsus nullam ejus urbis disertam mentionem fecit. Strabonis l. l. ex Pockokio probatum it Falconer. p. 1152 ed. Oxon. noviss. hodieque eum locum dici *Medfune*, reliquias autem circumjacentes *el Berbi* narrat. De his reliquiis consule Granger Relation d'un voy. en Egypte p. 37. et Zoëgam de obeliscis p. 110 sq. Quatenus vocabulum *Berbi templum* ad pyramides pertineat, eâ de re consule Dorneddeni neue Theor. p. 381 ibiq. laudd. Antiquum nomen *Ἄβυδος* componunt cum eâ urbe, quam *Ἄβυτιν* dicit Hecataeus ap. Steph. Byz. p. 120 Berkel. et ex Coptorum linguâ ita eruere student, ut significet *mansio, habitatio pluribus communis.*

religionum, ut Constantii Imperatoris etiam aevo celebraretur *Besae* dei [74]) *et templo et oraculo*. Sed satis de recentioribus caerimoniis Abydenorum: veterum religionum quae reverentia fuerit arguunt formulae illae minaces, quorum memoriam servavit philosophus doctissimus Porphyrius. Qui quidem in Epistolâ ad Anebonen Aegyptium p. 6 ed. Gal. haec profert: *τὸ γὰρ λέγειν, ὅτι τὸν οὐρανὸν προσαράξει, καὶ τὰ κρυπτὰ τῆς Ἴσιδος ἐκφανεῖ, καὶ τὸ ἐν Ἀβύδῳ ἀπόῤῥητον δείξει, καὶ τὴν βᾶριν στήσει, καὶ τὰ μέλη τοῦ Ὀσίριδος διασκεδάσει Τυφῶνι, τίνα οὐχ ὑπερβολὴν ἐμπληξίας μὲν τῷ ἀπειλοῦντι, ἃ μήτε εἶδε, μήτε δύναται, καταλείπει;* quae bis attigit in responsione Jamblichus de myster. Aegypti. Sect. VI, 5. p. 147, et ibid. cap. 7. p. 149. Hoc quidem loco ita profert: — *τέλεια δὲ καὶ ὑπόκληρα διαμένει πάντα, ἐπειδὴ τὰ ἐν Ἀβύδῳ ἀπόῤῥητα οὐδέποτε ἀποκαλύπτεται.* „Deinde

---

74) *Τοῦ θεοῦ Βησᾶς* Euseb. Hist. eccles. lib. VI. cp. 41. Locus autem classicus est Ammiani Marcellini XIX, 12. „Oppidum est Abydum in Thebaidis parte situm extremâ; hic Besae dei localiter appellatum oraculum quondam futura pandebat, priscis circumjacentium regionum caerimoniis solitum coli.“ De eo deo ejusque nomine nil explorarunt interpretes. Vid. Valesium, et Wagner. in Commentar. p. 349 sq. Quodsi illud reputes *priscis caerimoniis:* possis fortasse huc referre quae nuper *Rossi* in Etymolog. Aegypt. p. 35. in medium protulit similia vocabula, ut *cadaveris* vel *frustatim dissecti corporis* memoriam reliquam fuisse dicas. Vocabuli nomen apud recentiores Geographos residuum. Vid. Hartmanni Geograph. vernacul. Aegypt. p. 992. Cfr., si placet, quae de Abydo dixi in Encyclopaedia ab Erschio et Grubero edita Tom. I. p. 231 sq.; alia commemorabo de Antinoë in eodem libro. *Spohn.*

perfecta et integra permanent omnia, quandoquidem quae Abydi recondita sunt nunquam aperiuntur." [75])

Jam, ut adhuc disputata in unum colligamus, proxime ostendamus: Graecorum aevo antiquas opes Abydi urbis adeo lapsas esse, ut earum exigua memoria superesset. Atque cum is locus ad Thebaidem pertineret; consequens erat, ut ejus sepulchra aliaque monumenta Thebaicorum universo nomine designarentur. Sed fac, frequentatum esse etiam Graecorum aetate Abydi nomen (quod tamen Noster ignorat) propter religiones: hae ipsae *arcanae* fuerunt. Arcana autem sacra quam taciturne tractare soleat Herodotus nemo ignorat, nisi qui ipsum

75) Quam lectionem Eusebius servaverat: ἐν Ἀβύδῳ, eam binis locis, utpote unice veram reddit Galeus, in eo parum sibi constans, quod codicum lectionem vitiosam ἐν ἀβύσσῳ uno in loco servavit. Verumtamen verum se vidisse docet in annott. p. 285. At quid faciamus novissimis editoribus Theodoreti Graec. affect. curat. disput. III. Tom. IV. p. 778 ed. Schulzii, qui non solum in textu intactum reliquerunt istud ἐν ἀδύτῳ, sed etiam in subjectis notis ita docent. „U. in impr. leg. καὶ τῷ ἐπ' ἀβύδῳ ἀπόῤῥητον δείξει. In Mss. καὶ τῷ ἐν ἀβύσσῳ. ἴσως ἐπ' ἀδύτῳ. ἐν ἀβύδῳ habet Euseb. sed ἀδύτῳ legendum, vel ipso auctore Eusebio, qui alibi Aegyptiorum adyta nominat, in quibus Isidis manes evocabant." Meliora vero! Nimirum illa ipsa κρυπτὰ τῆς Ἴσιδος, Isidis arcana, quae proxime praecedunt pepererunt nobis istud ἐν ἀδύτῳ. Abydus parum cognita imperitis librariis. Atque, ne dubites, in extremo Jamblichi loco diserte dat: ἐν Ἀβύδῳ codex Leidensis, cujus Excerpta a Mosero habeo. Sed, annuente Deo, aliquando aliis quoque Jamblichiani libri locis consulam, cum ejus codicis ope, tum praesidio apographi Gronoviani cod. Florent. quod Wyttenbachio meo refero acceptum.

ignoret. At contineamus nos in rebus Osiridis. Hunc respiciens Noster II, 61. ita loquitur: *τὸν δὲ τύπτονται οὔ μοι ὅσιόν ἐστι λέγειν*, item cp. 132. *ἐπεὰν τύπτωνται οἱ Αἰγύπτιοι τὸν οὐκ ὀνομαζόμενον θεὸν ὑπ' ἐμέῦ ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι*, et rursus cap. 171 de spectaculis Saiticis Osiridis calamitates exhibentibus: *περὶ μέν νυν τούτων, εἰδότι μοι ἐπὶ πλέον ὡς ἕκαστα αὐτέων ἔχει, εὔστομα κείσθω.* Jam hoc ipso cap. 86. idem praestantissimam dicit conditụram ad ejus exemplum factam: *τοῦ οὐκ ὅσιον ποιεῦμαι τὸ οὔνομα ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι ὀνομάζειν*, hoc est, *religioni sibi ducit efferre, optimates Aegyptiorum post mortem ad Osiridis instar conditos sive medicatos esse.* Nec magis describit *picturas* obvias in cadaverum nobiliorum *involucris*, ejusdem *Osiridis cadaver* saepius exhibentes. Et tamen memoranda etiam erat *sepultura optimatum*, quos Abydi conditos scimus *ὁμοτάφους τοῦ σώματος Ὀσίριδος*. Quid igitur? Memor sui silentii significabat potius quam narrabat Herodotus his verbis: *θησαυρίζουσι ἐν οἰκήματι Θηβαίῳ*, i. e. [76]) *deferunt in Thebaïdem, ibique in sepulchro condunt.* Hoc pacto necesse non erat aut *Osiridis* aut *Abydi* sanctissima nomina *ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι ὀνομάζειν*, adeoque *τὸ ἐν Ἀβύδῳ ἀπόῤῥητον δεικνύειν.* —

76) *Θῆβαι* pro Thebaide obvium II, 15 fin. cf. Larcher. et Schweigh. — Caeterum an in Thebaide corpora condiri solita sint, nunquam in dubitationem vocari debebat, licet eâ in re ancipites haeserint Pauwius et Heynius in Antiqq. Mumiar. p. 72 sq.; nunc vero ea, quae Francogalli ac Britanni in lucem protulerunt, neminem amplius dubitare sinunt.

Quocirca ego, licet consulto supra in alteram partem disputavi, reverâ existimem: *non tam Thebas ipsas h. l. significari quam celebratam sanctissimis exsequiis Abydum.* Verumtamen, utut statuas, hoc inprimis tenendum est hoc in loco, quod superiores interpretes omnes neglexerunt, videlicet *opulentorum* et *potentium hominum* hîc describi conditurам. Unde consequens est, ex *Plutarcheo loco* lucem afferendam Herodoteo. Ac dici non potest, quam late hoc pateat, et quoties Plutarchus ejusque consimiles scriptores, h. e. ii, qui se jam non adstringi patiebantur religioso silentio, interpretum opem praestent veteribus illis, Herodoto reliquisque, qui adstrictiore disciplinâ sacrâ tenebantur. Verum hanc rem alibi etiam monstrabimus, ubi in his commentationibus Herodoteis deinceps progrediemur. Nunc illud teneri velim: constare proinde certâ fide historiae et ipsius adeo Historiae patris: quae plurima in mortuorum corporibus faciebant Aegyptii, eos per quandam significationem (symbolice dicunt) fecisse, saltem ubi *justam conditurам* parabant; neque solum medicamenta cadaveribus adhibita huc pertinere, ornamentaque fasciis addita, verum etiam loca sepulchrorum. Neque vero ii soli, qui *Abydi* erant sepulti, igiturque eodem, quo Osiris, tumulo potiti et Beatorum adeo insulae civibus vicini, hujusmodi solatio ornamentoque gaudebant, verum alii quoque, qui aliis in locis sacris humi conditi essent. Quae res ut accuratius a nobis intelligatur: age jam de reliquis quoque locis videamus, quae per universam Aegyptum deorum sepulchris conservata ferebantur. Qua in caussâ nunc quidem brevior esse potero.

§. 11.

De Memphi, imperii capite Isidisque non minus quam Osiridis conditorio.

Atque, ut ab ea urbe ordiamur, quae post Thebarum opes universae Aegypti principatum tenuit, *Memphi* Apidem nutritum sepultumque perhibet Plutarchus de Isid. et Osirid. p. 359. p. 472 Wyttenb. addens: nomen urbis ab aliis explicari *portum bonorum*, ab aliis *sepulchrum Osiridis* (*καὶ τὴν μὲν πόλιν οἱ μὲν ὅρμον ἀγαθῶν ἑρμηνεύουσιν, οἱ δ' ὡς* (*οἱ δ' ἰδίως* Wyttenb.) *τάφον Ὀσίριδος*. Quam nominis rationem ex orientalibus sermonibus eruere studuit Jablonskius in comment. de *terrâ Gosen.* §. 4. p. 40 sq. ut sit Menuphi, i. e. *plena bonorum.* Michaëlis tamen improbans eam etymologiam (in Supplem. ad Lex. Hebr. p. 1536 sq.) tentatum ivit lectionem Plutarcheam, maluitque *ὅρμον ἀγαθὸν portum bonum.* 77) Cautior Champollion, qui nihil sollicitans in verbis Plutarcheis ostendit, videri Aegyptiis designasse *Mefi locum bonum* (l'Egypte sous les Pharaons I. p. 363.). Ac reapse nec codices adstipulantur isti conjecturae, nec ipsius rei ratio. Hanc ego, secutus Wyttenbachianam emendationem, in eam partem accipiendam existimo, ut alii Memphin universe dixerint *portum bonorum:* alii *proprie sepulchrum Osiridis.* Nam ut illos *bonos* (*ἀγαθοὺς*) pro *mortuis* habeamus, hortatur locus Diodori classicus I, 96. ubi de inferorum imagine a Graecis ex

---

77) Vid. Te Water V. Cl. ad Jablonski vocc. Aegyptt. p. 137.

religionibus Aegypti deductâ cum alia in medium profert, tum haec apponit: Pratum vero et defunctorum habitationem confictam, esse locum juxta paludem, quam Acherusiam vocant, *prope Memphin*, quam prata et stagna amoenissimis cum loti et calami sylvis circumdant. *Nec abludere, qui mortuos loca ista incolere fingat. Plerasque enim et maximas Aegyptiorum funerationes istic peragi, dum cadavera per amnem et Acherusiam paludem deportata in cryptis, illic sitis, reponant.*" (*ἀκολούθως δ᾽ εἰρῆσθαι καὶ τὸ κατοικεῖν τοὺς τελευτήσαντας ἐν τούτοις τοῖς τόποις, διὰ τὸ τὰς τῶν Αἰγυπτίων ταφὰς τὰς πλείστας καὶ μεγίστας ἐνταῦθα γίνεσθαι, διαπορθμευομένων μὲν τῶν νεκρῶν διά τε τοῦ ποταμοῦ καὶ τῆς Ἀχερουσίας λίμνης, τιθεμένων δὲ τῶν σωμάτων εἰς τὰς ἐνταῦθα κειμένας θήκας.* Etenim nemo nisi qui mortuorum in judicio absolutus esset, igiturque pro *bono* integroque haberetur, justo sepulchro et universi populi religionibus consecrato potiri poterat, ut idem scriptor refert. Et reverâ ager Memphiticus, si quis alius unquam, sacratus erat communibus omnium caerimoniis, quandoquidem non solum Apis ibi humatus ferebatur (vid. praeter Diodori locum etiam Plutarch. p. 485, qui cum superioribus conferendus), verum etiam Osiris (Plutarch. l. l.). Quid? quod ipsam Isin apud Memphin in luco Vulcani sepultam ferebant Aegyptii. Diodor. I, 22: *ὁμοίως δὲ καὶ ταύτην μεταναστᾶσαν ἐξ ἀνθρώπων τυχεῖν ἀθανάτων τιμῶν, καὶ ταφῆναι κατὰ τὴν Μέμφιν· ὅπου δείκνυται μέχρι τοῦ νῦν αὐτῆς ὁ σηκὸς, ὑπάρχων ἐν τῷ τε-*

μένει τοῦ Ἡφαίστου. [78]) Extrema verba imprimis tenenda sunt. Admonent enim Herodotei loci II, 170 init. ubi Osiridem in Minervae templo Saitico sepultum esse reverenter significat Historiae pater. Longum est exponere, quorsum haec spectaverint. Illud nemini potest obscurum esse: eos deos, qui humana pati adeoque mortem oppetere crederentur, in superiorum vel potius a mortalium sorte immunium deorum sacrariis humatos esse. Jam cum et ipsi homines juxta Osiridem ibidem humarentur, *hoc ritu, credibile est, nihil aliud spectasse Aegyptios, quam ut per gradum quasi et Osiride opitulante ad summos deos ascenderent, absoluto temporis*

78) Hinc gloriolam sibi parare possit aliquis ex barbatulis istis, qui si quando vir doctus memoriâ labitur continuo arrogantius in eum invehuntur. Nos ab hujusmodi more alienissimi annotabimus simpliciter: non meminisse Zoëgam virum doctissimum verborum Diodori cum haec scriberet de Obeliscis p. 373: „Nam Aegyptii Osiridem suum in ipsâ Aegypto sepultum tradebant, Isidis autem nullum agnoscebant sepulchrum. Graeci vero, quibus solemnis erat stelarum usus in tumulis, stelas, quas in Nysâ Osiridi et Isidi dicatas exstare acceperant ab Aegyptiis (Diodor. I, 28.), deorum sepulchra denotare fabulabantur." Igitur haec cum scriberet Zoëga alterius loci, ubi *Aegyptiorum* narrationem Diodorus refert, immemor fuit. In ipsius rei caussas (h. e. in eam quaestionem, cur deae in religionibus veterum rarius mortuae exhibeantur) h. l. descendere non vacat. Hoc unum attingam, videlicet caute versandum in hac caussâ esse, cum necdum satis liqueat, quatenus Argolica fabula de Semeles descensu ad inferos, itemque Attica de Proserpinâ a Plutone raptâ ex Aegypto advectae sint. Nam Venerem-Proserpinam habuerunt etiam Aegyptii, deam *Athor.*

finiti orbe, homines. Cujus rei fidem faciunt et preces illae funebres, quas supra ex Porphyrio protulimus, et vero hoc ipsum quod Herodotus (II, c. 86.) prodit: ad Osiridis exemplum medicata exornataque esse primariorum hominum cadavera. Nihil enim in his ritibus offendimus, quod quasi forte fortunâ factum dici queat: contra omnia inter sese aptissime juncta, ut certae disciplinae ratione praecepta instituaque appareant. Quae res quam vim habeat in cognoscendis religionibus veterum populorum nunc explicare nil attinet: illud adjicere non alienum sit: ex his caussis unice judicandam esse Memphiticorum sepulchrorum frequentiam celebritatemque. Hanc praedicat Strabo XVII. p. 808. p. 565. Tzsch. cum dicit quadraginta stadiis ab urbe abesse montanum quasi supercilium, in quo stent multae pyramides, *regum sepulturae* (τάφοι τῶν βασιλέων). Quae congruunt his Herodoteis II, 124, ubi in colle, in quo stant pyramides, factae dicuntur camerae subterraneae, quas Cheops rex pro sepulchro sibi destinaverat (*καὶ τῶν ἐπὶ τοῦ λόφου, ἐπ᾽ οὗ ἑστᾶσι αἱ πυραμίδες τῶν ὑπὸ γῆν οἰκημάτων, τὰς ἐποιέετο θήκας ἑωυτῷ κ. τ. λ.*). Quem locum attigit Nonnus in Scholiis ad Gregor. Naz. quae nuper edidimus (vid. Meletem. I. p. 96 sq. et quae plura ad eum locum ibi excitavimus). [79]) Et conjuncta fuerunt haec funebria postea

79) Alio loco Herodotus in *Labyrinthi* etiam partibus subterraneis aliquot regum sepulchra esse Aegyptiorum hominum fide refert II, 148. Cui loco adhibe Zoëgam de obeliscc. p. 471 sq. Quomodo autem ex rudi mole et aggere sepulchrali paullatim magna elegantiaque pyramidum aedificia effinxerint, exemplis et iconibus appositis expo-

quoque cum religionibus Serapidis, cujus templum omnium Serapiorum antiquissimum Memphi esse prodit Pausanias Attic. XVIII, 4; locum autem geographice describit Strabo (p. 807.) p. 564, quem valde arenosum dicit, adeo ut arenae colles a vento exaggerentur, ibidemque se vidisse sphinges alias usque ad capita obrutas, alias dimidiâ duntaxat exstantes. Quem locum alibi tractavimus, in Dionyso part. I. p. 284 seqq. Hîc illud annotabo, quae plurimae hodieque in Europam advehuntur mumiae, eas ex his sabuletis fere protrahi quibus nunc a Saccarâ vico nomen est, sito ad sinistram ripam Nili e regione Caïri urbis, eo ipso in loco, ubi antiquitus Memphitici cives defunctos suos sepeliverant.[80]) Ac primi ordinis hominum, regumque fortasse vel sacerdotum, cadavera ibi locorum reperta esse nemo dubitat, qui peregrinatorum fidei non prorsus derogare velit. Verum utut est, et infra eam rem rursus attingam: illud certo *inscriptionis Rosetanae* testimonio constat, Alexandri quoque Magni successores Reges Aegypti, cum Alexandriae imperii sedem fixam haberent, nihilo tamen secius ipsius imperii auspicia initiaque cepisse Memphi, ubi solemni ritu in templo sacro cingulo ornabantur. Unde illud rursus efficitur, quod supra in Thebarum memorabilibus monstravimus, eandem urbem, quae prisco-

---

nere instituit doctus Britannus E. D. *Clarke* in Travels Vol. V. p. 220. sqq.

80) Vide, quos laudant peregrinatores, Zoëga de Obeliscc. p. 285 et Blumenbach. in Symbolis vernaculis ad Histor. natur. p. 57 sqq. et adde Palin. Fragmens sur les hieroglyph. III. p. 125.

rum regum sepulchra sibi vicina haberet, nec minus posterioribus regibus regni auspicia impertiisse. *Ubi igitur sepultus Osiris cum Iside, adeoque qui reliqui sepulturae consortio consecrati erant reges, ibidem imperii universi quodammodo primordia esse credebantur.* Neque enim obscurum est lapsis Thebis universae Aegypti summam penes Memphin fuisse et religionum etiam majestatem sanctitatemque. Ad eam aetatem referendi sunt loci Diodori, Plutarchi, aliorum, quos supra excitavimus.

§. 12.

De Busiri et Atarbechi, bestiarumque apud veteres Aegyptios conditurâ ac cultu sacro, itemque de sacris Isidis, de Venere Aegyptiâ et Cretensium Atticorumque ritibus aliquot fabulisque.

Veniamus ad tertiam urbem, sacro sepulchro nobilitatam inprimis, *Busirin.* De qua cum dico, simul dicendum est mihi *de bestiis solemni conditurâ consecratis* adeoque breviter de *cultu bestiis dicato.*

Proficiscamur ex loco *Herodoteo* II, 59: — Altera Aegyptiorum panegyris agitur *ἐς Βούσιριν πόλιν τῇ Ἴσι· ἐν ταύτῃ γὰρ δὴ τῇ πόλι ἐστὶ μέγιστον Ἴσιος ἱρόν· ἵδρυται δὲ ἡ πόλις αὕτη τῆς Αἰγύπτου ἐν μέσῳ τῷ Δέλτα.*" Nimirum quatuor amplius oppida hoc nomine praedita habebat Aegyptus. [81]) At urbs celeberrima fuit haec ipsa, quam medio in Delta sitam prodit Herodotus. Atque hujus ipsius

81) Cf. Strabo XVII. p. 802, p. 541 Tzsch. Wesseling. ad Diodor. I, 85 et praecipue Champollion l'Egypte sous les Pharaons Vol. I. p. 365. II, 42 et p. 190.

religiones nunc attingamus, idoneam ansam praebente Diodoro Siculo, qui lib. I. cp. 85. ita: *τῆς δὲ τοῦ βοὸς τούτου* [82]) *τιμῆς αἰτίαν ἔνιοι φέρουσι, λέγοντες ὅτι τελευτήσαντος Ὀσίριδος εἰς τοῦτον ἡ ψυχὴ αὐτοῦ μετέστη, καὶ διὰ ταῦτα διατελεῖ μέχρι τοῦ νῦν ἀεὶ κατὰ τὰς ἀναδείξεις αὐτοῦ μεθισταμένη πρὸς τοὺς μεταγενεστέρους. Ἔνιοι δὲ λέγουσι, τελευτήσαντος Ὀσίριδος ὑπὸ Τυφῶνος, τὰ μέλη συναγαγοῦσαν τὴν Ἶσιν, εἰς βοῦν ξυλίνην ἐμβαλεῖν, βύσσινα περιβεβλημένην, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὴν πόλιν ὀνομασθῆναι Βούσιριν.* Gemina fere Plutarchus de Isid. p. 359. p. 472. *ἐν δὲ Μέμφει τρέφεσθαι τὸν Ἆπιν, εἴδωλον ὄντα τῆς ἐκείνου ψυχῆς.* Illa tamen Diodori doctrinae metempsychoseos, vel potius menteusomatoseos, luculentiora vestigia habent. Neque enim solum simulacrum animae Osiridis Apim dicit, verum etiam illius animam in hunc ita transfundi, ut quoties novus Apis appareat, toties Osiridis anima in eodem denuo existat. Graecam etymologiam nominis *Βούσιρις*, a *βοῦς* et *Ὄσιρις* ductam, fusius explicat Stephanus Byz. in voc. p. 240. Berkel. Quae nos non moramur. Jam Zoëga de Obeliscc. p. 288,

82) Apim dicit, quem quod in antecedentibus memorat *navi cubiculatâ θαλαμηγῷ* Memphin transportari a sacerdotibus, eam pompam luculenter repraesentant anaglypha Thebaica, ubi ejusmodi naves videas a sacerdotibus stolatis ductas. Vid. Descript. de l'Egypte Antiqq. Vol. III. pl. 32. 33 et attende ad capita navigio in ornamentis adjecta, arietis, *Isidis*. Ad vocem *θαλαμηγὸς ναῦς* adde iis, quae Rhodomannus ad Diodori l. l. annotavit, Salmas. in Plinn. Exercc. p. 312. 669. 856 et Valcken. ad Ammon. p. 68, qui de voce *θαλαμὴ* exposuerunt.

posteaquam haec ipsa attigit, ita pergit: „*Sobrior Herodotus id tantum prodit*, in Busiri oppido in medio Delta sito maximum fuisse fanum Isidis, atque in annuâ celebritate ibi obeundâ universum populum Osiridem plangere consuevisse.“ Deinde interpositis locis Herodoteis II, 59 et cp. 61. Coptici sermonis ope nominis rationem aliter explicans ductum arbitratur ex *Be-Ousiri* quod sit Osiridis *sepulchrum.* [83]) Tum sic pergit: „*Quod cum prave intellexissent Graeci, ad suam linguam respicientes Osiridem in bove sepultum finxerunt.*“ Qua in caussâ hactenus cum Zoëgâ facit Champollion, [84]) etsi in explicando nomine longissime ab eo recedit. Nam cum in Rosetanâ inscriptione Osiridis nomini articulus Aegyptiacus additus reperiatur, et Coptorum quoque monumenta emendatiora nomen urbis ita scriptum exhibeant: *Pousiri;* [85]) id ipsum

---

83) Hanc etymologiam primus explicaverat *La Crozius*, suffragante etiam Jablonskio in Vocc. Aegyptt. p. 54.

84) L'Egypte s. l. Phararons p. 185 sqq. Quod idem eo loco vehementius invehitur in *Kircherum* Oedip. Aegypt. I, 3. p. 24, nollem factum; nam ut in vocabulis explicandis et h. l. et aliis multis lapsus sit *Kircherus*, idem tamen suspiciendus erat potius quam despiciendus Champollioni homini juveni et qui antiquitatis stadium recens ingressus sit. Ille vero dici non potest quam alte descenderit in rerum Aegyptiacarum interiorem cognitionem.

85) Busiridem urbem eandem esse atque Taphosirin (*Ταφόσιριν*), et sepulchrum Osiridis hoc ipso nomine declarari tradit Eudoxus ap. Plutarch. de Isid. p. 359. p. 473 Wyttenb.; qua de re plurimi aliter judicaverant. Cf. Zoëgam de obelisco. p. 289. Distinguuntur autem plures urbes, quae hoc nomine veniunt. Vid. Champollion l'Egypte

vocabulum *Βούσιρις* nil aliud esse quam Osiridis nomen, addito et immutato Aegyptiorum articulo. Deinde omnes quotquot adhuc innotuerunt etymologias elevans, hac unâ in re Zoëga sententiam et ipse sequitur, ut Graecorum rationem, qua *bove sepultus Osiris urbi nomen indiderit*, absurdam esse pronuntiet.

Jam cum in eo sim, ut meum judicium ab utriusque auctoritate sejungam, non ego hactenus patrocinabor Graecis, ut in vocabulo explicando secum iis faciam: illud faciam ut *bove* vel *vaccâ sepultum Osiridem* recte ab iis tradi ostendam, itemque hoc alterum: *nec ipsum Herodotum hunc ἱερὸν λόγον* nesciisse.

Ac primum bovem Apim eundem atque ipsum Osiridem agnoscit Strabo loco memorabili l. XVII. p. 807. p. 561, ita scribens de Memphi: „*ἔχει δὲ ἱερὰ τό, τε τοῦ Ἄπιδος, ὅς ἐστιν ὁ αὐτὸς καὶ Ὄσιρις κ.τ.λ.*“ templa habet et *Apidis*, *qui idem est*, qui *Osiris*.“ Congruunt quae ex Phylarcho profert Plutarchus de Isid. p. 362. p. 484: ex Indiâ adduxisse Bacchum boves duos, quorum *Apis alter, alter Osiris sit dictus*. Quam famam non continuo ejecisset Chaeroneus philosophus, si rescire potuisset quae hodieque scimus, nimirum Indos bovem sacrum cultu prosequi, qui Samscritanâ linguâ nomine *Appen Pascha* venit. Atque ubi Aegyptiacarum religionum origines ex parte Aethiopicas cogito:

---

s. l. Pharaons. Vol. II. p. 263. 267 sq. qui *Tapoùsiri* scriptum esse ab Aegyptiis docet, et *urbem Osiridi propriam* significare.

praeterea me advertunt illa quae apud Stephanum Byzantinum (p. 60 sq. Berk.) Favorinus refert: „terrarum omnium primam excultam fuisse Aethiopiam, ejusque incolas primos omnium populorum deos coluisse, cujus instituti auctores exstitisse Mithram (*Μίθραν*) et Phlegyam.“ Nemo enim nescit, Mithram a bove sejungi non posse atque Mithriacis in sacris bovem primigenium ferri, rerum omnium semina continentem. Sed de Mithriacis disputandi alio tempore occasio nascetur nobis ad locum Herodoti I. cap. 131. Nunc hoc tantummodo attingam, *Mestren* quoque celebrari in Pyramidum Aegyptiarum auctoribus, et aliunde quoque hoc apparere, ut intercesserit aliquando quaedam necessitudo Aegyptiaca inter sacra atque Mithriaca. Illuc revertor. *Domitorem bovis* et *aratorem primigenium Osiridem* etiam ex iis cognoscas, quae ad verbum absurda de Busiris nomine leguntur ap. Etymolog. magn. p. 209 Sylb. p. 190 Lips. [86]) Isidem autem *βούκερων*, bovis cornibus insignem non minus quam Argivam illam Iûn, luculenti loco prodit ipse Herodotus II, 41. Igitur in hoc non amplius laborandum, ut comprobes Isidem atque Osiridem pro bubus primigeniis esse habitos et *bovis* ac *vaccae* vel capitibus vel exuviis impositis ad oculorum etiam sensum traductos. Illud anquirendum, *utrum Historiae pater vel ignoverit vel improbaverit eam famam de Osiride, qui in*

86) *Βούσιρις — παρὰ τὸ βοῦς εἴρειν. — παρὰ τὸ βοῦς καὶ τὴν σειράν*: Ego ex hujusmodi interpretamentis nec suspensam facio rationem meam, neque eadem tamen spernenda arbitror, nimirum ita, ut *rerum* magis origines inde repetas quam *verborum*.

bove sepultus sit, an, cum probe cognoverit, consulto praetermiserit silentio.

Ad eam rem dijudicandam faciunt tres loci Herodotei, quos hac in re miror neglectos esse a Zoëgâ et Champollione. Sunt autem hi: II, 40. 129. 132. Jam, ut illinc ordiar, primo loco (cp. 40.) illa ipsa memorat, quae in *Busiritico* Isidis maximo sacro solemnia obire soleant Aegyptii (cf. cp. 61.). In quibus ritibus eminebat *exenteratio bovis.* Ita enim ille: „Postquam excoriarunt bovem (*ἐπεὰν ἀποδείρωσι τὸν βοῦν*), peractis precibus, totam inferiorem alvum eximunt, viscera vero et adipem in corpore relinquunt, pedes vero amputant et extremam coxam armosque et cervicem. His factis, reliquum bovis corpus implent panibus mundis, melle, uvâ passâ, ficis, thure, myrrhâ aliisque aromatibus. Tum ita repletum incendunt, oleum largiter infundentes. Priusquam autem id sacrum faciunt, jejunium agunt. *Dum ardet victima, plangunt omnes*: deinde plangendi fine facto, epulum apponunt ex victimarum reliquiis.“ Junge quae de eodem Busiritico die festo adjicit cap. 61: „Plangunt ibi, post peractum sacrificium, viri omnes mulieresque, multae admodum myriades hominum: quis vero sit, quem plangunt, nefas mihi est declarare“ videlicet *Osiridem*, ut supra monstravimus. — Jam ut illud tantummodo delibem: qui truncatum hoc pacto exenteratumque et myrrhâ aromatibusque refertum bovem in lugubri festo Osiridis Isidi immolari cogitet: is me quidem sentiente, non poterit ipsum Osiridem mutilatum et deinde aromatibus conditum non cogitare. Nam quae reliqua adduntur in bovis sacrificio, ea partim ad com-

bustionem pertinent, ut oleum, partim ad frumenta inventa vitesque cultas, ut panes mundiores, uvae passae. Diodor. Sicul. I, 21. de bestiis Aegypti sacris ita: — *καὶ τελευτησάντων αὐτῶν ἐν ταῖς ταφαῖς ἀνανεοῦσθαι τὸ τοῦ Ὀσίριδος πένθος· τοὺς δὲ ταύρους τοὺς ἱερούς, τόν τε ὀνομαζόμενον Ἆπιν καὶ τὸν Μνεῦϊν Ὀσίριδι καθιερωθῆναι, καὶ τούτους σέβεσθαι καθάπερ θεοὺς κοινῇ καταδειχθῆναι πᾶσιν Αἰγυπτίοις.* [87]) *ταῦτα γὰρ τὰ ζῶα τοῖς εὑροῦσι τὸν τοῦ σίτου καρπὸν συνεργῆσαι μάλιστα πρός τε τὸν σπόρον καὶ τὰς κοινὰς ἁπάντων ἐκ τῆς γεωργίας ὠφελείας. Igitur Busiritico illo ritu similiter in bestiae (bovis sacri) obitu renovabant luctum super Osiride, et bovillas carnes comedebant communibus epulis in memoriam agriculturae ad communem omnium utilitatem pertinentis.* His ritibus similes sunt quos prisci Attici homines in Diipoliis factitabant, in quibus et ipsis bovis solemniter caesi carnes communibus epulis comedebantur (Pausan. I, 28. Porphyr. de Abstin. II, 29. p. 154 Rhoer.). Quas Graecorum epulas cum alibi explicaverim, [88]) nunc his non immorabor: illud unum adjiciam nondum alibi a me occupatum: hinc profectas esse etiam heroum quorundam religiones; quales heroës fuere *Δαίτων* et *Κεράων* apud Lacedaemonios, cibi potusque auctores, itemque illi sacrati apud Cyprios *Εἰλαπιναστὴς* et *Σπλαγχνοτόμος*, teste Athenaeo l. IV. c. 22. T. II. p. 174 Schweigh.; unde profecit Eustath. ad Odyss. I, 225. p. 50 Basil. et ad XI. p. 459. Atque ut alibi in festis

87) Similia Herodotus tradit. II, 42. et 123.

88) In Mytholog. IV. p. 137 sqq.

Bacchicis *βουφόνια* memorantur, a caeso bove appellata, ita qui Athenis illo festo die bovem caedebat, is insigniter *βούτυπος* dicebatur sive *βουφόνος* atque etiam *βούτης* (Hesych. I. p. 735 Alb.); unde sacrificulorum ductum est deinceps genus, eodem nomine dictum; aliud autem genus a dispensandis bovis carnibus *δαιτρῶν* nomine est nuncupatum. Quid? in ipsis illis Atticorum buphoniis bovis caesi exuviis simulacrum ligneum circumdatum aratro jungebant. Qui ritus arationis et agriculturae initia arguunt, per tesseras sacras declarata. Caedit bovem Abudad Mithras Persarum; atque ex mactati animalis corpore excluduntur germinum varia genera, cauda in aristas excrescit. Peracto primo sacrificio exoriuntur reges agriculturae inventores. Athenis Atticis communiter bovillâ vescuntur sacrificuli, a quibus Promi Condi ac Dispensatores deinceps originem ducunt, et post solemne sacrificium a bovis simulacro simulatae arationis initium fit. Busiride Aegyptiorum coetus sacer bovem igne conficit, posteaquam caesi corpus implevit panibus et uvis, atque agriculturae auctorem Osiridem lugubriter deplorat. Quae omnia qui in unum colligat, et simpliciter intueatur, is nullo negotio dispiciat, quo haec pertineant, *nimirum ad arationis caussas declarandas, unde vitae cultioris initia ducuntur.* Inde nil mirum, in anaglyphis Thebaicis et picturis sepulchralibus urbis Ilithyiae Aegypti Osiridem ita exhiberi ut aratoria instrumenta gerat in manibus: flagellum, rutrum sive ligonem, vomerem peramque, seminis plenam, sementi faciendae.[89])

89) Descript. de l'Egypt. Antiqq. Vol. II. p. 27. p. 355. et Vol. I. tabul. 68.

Pergit Herodotus II. cap. 41: „Mundos igitur boves mares et vitulos immolant Aegyptii omnes: feminas vero immolare nefas est, sed sacrae illae sunt Isidi.“ Sequitur locus de Iside bubulis cornibus instructâ. Ac posteaquam verbo monitum est, mortuas buculas s. vaccas in fluvium conjici: copiosius exponitur, quomodo boum masculorum ossa undique congesta uno in loco sepeliantur ab incolis urbis Atarbechis. 90) Haec ille. Ego cum alibi ejus rei caussas aperire studuerim, nunc his omissis, haec paucula subjiciam. Erat ea dea Atarbechi coli solita eadem quae in Dodonaeorum religionibus Veneris-Diones nomine celebrabatur. Arguit columbae symbolum ab eâ gestari solitae, arguunt alia quae exponere longum est. Ad ejus deae sacram insulam ex universâ Aegypto boum masculorum devehebantur ossa: hominum Aegyptiorum cadavera devehebantur Memphim h. e. in portum bonorum, sive Abydum, vicinam insulae Beatorum, aut Busiridem medio in Delta, alioque ubi Nilum trajicientibus coemeteria patebant. *Igitur armenta allicit et retinet dea*

90) Quam pro Aphroditopoli habet Jablonskius in vocc. Aegyptt. p. 43. Quam sententiam quod in dubium vocat Champollion II. p. 173. hoc nil ad me pertinet, siquidem Herodotus l. l. diserte testatur: Veneris templum sacrum esse in urbe Atarbechi, et numi etiam arguunt ejus urbis religiones pertinere ad Venerem (vid. Mytholog. nostr. IV. p. 250.). Illud ego vicissim in dubium vocaverim ipsius Champollionis, quod illam miram boum funerationem ab Herodoto memoratam, corruptis demum religionibus Aegyptiacis invaluisse arbitratur, etsi addat illud *sans doute*. Quae formula in eruditorum sermonibus argumenti vim nunquam lucrabitur.

Athor, in eo etiam similis Veneri Libitinae Romanorum, quae funebrium rerum omnium praeses ex Dodonaeorum sacrariis in Latium pervenit. Eam autem Libitinam fugiunt quoad possunt omnes, et dira non minus habetur quam Proserpina, quae, quidquid ad eam pervenerit, retinet. *Ex iisdem caussis nata illaudati Busiridis fabula*, h. e. *Osiridis, ad cujus sepulchra, per Aegyptum sita, cum deveherentur quicunque vitâ functi essent, factum est, ut ipse ille deus cogere et compingere homines diceretur adeoque conficere.* Pertinent haec ad sermonem symbolicum antiquorum hominum, qui in libris etiam sacris obtinet; v. c. ubi vates sacri Babylonem, illam reginam urbium, nunc temulentam dictitant nunc meretriculam. In Osiride accedunt etiam picturae, quae eum retia tenentem repraesentant similiaque quae venatorem declarant. Igitur recte hactenus Strabo XVII. p. 802. p. 541. ita pronuntiat: *οὐδὲ βασιλέως μὰ Δία, οὐδὲ τυράννου γενομένου τινὸς τοῦ Βουσίριδος.* Doctius etiam Diodorus lib. I. cp. 88. Fabulam, inquit, graecam de saevo Busiride inde natam esse, quod Aegyptiorum sermone omnia Osiridis sepulchra *Βούσιρις* appellata fuerint. [91])

---

91) Quem locum *La Crozianae* ejus nominis explicationi adhibuit Zoëga de Obeliscc. p. 288. Supra monui Champollionem solum Osiridis nomen agnoscere in voce *Βούσιρις*. Quae ratio concinnior videri possit et expeditior ad explicandam fabulam. Nam ad quem omnes descendunt, *Osiris*, quomodo in saevum et tyrannum Busiridem deflecti potuerit nemo non intelligit. Nos hic admonebimus Herodoteorum verborum II. 123: — *ἀρχηγετεύειν δὲ*

Idem ille Veneri Aegyptiae consecratus bos mensi quoque nomen indiderat. [92]) Quam in rem quae plura dici possint, nunc praetermittamus. Herodoti gratiâ in medium proferamus locum luculentum Plutarchi, qui haec eadem doctissime tractat, de Isid. p. 366. p. 501. Ἡ γὰρ λεγομένη κάθειρξις εἰς τὴν σορὸν Ὀσίριδος, οὐδὲν ἔοικεν ἀλλ' ἢ κρύψιν ὕδατος καὶ ἀφανισμὸν αἰνίττεσθαι. διὸ μηνὸς Ἀθὺρ ἀφανισθῆναι τὸν Ὄσιριν λέγουσιν, ὅτε τῶν ἐτησίων ἀπολειπόντων παντάπασιν ὁ μὲν Νεῖλος ὑπονόστεῖ, γυμνοῦται δὲ ἡ χώρα· μηκυνομένης δὲ τῆς νυκτὸς, αὔξεται τὸ σκότος· ἡ δὲ τοῦ φωτὸς μαραίνεται καὶ κρατεῖται δύναμις, οἱ ἱερεῖς ἄλλα τε δρῶσι σκυθρωπὰ, καὶ βοῦν διάχρυσον ἱματίῳ μέλανι βυσσίνῳ περιβάλλοντες, ἐπὶ πένθει τῆς θεοῦ δεικνύουσι (Βοῦν γὰρ Ἴσιδος [93]) εἰκόνα καὶ γῆν νομίζουσιν) ἐπὶ τέσσαρας ἡμέρας ἀπὸ τῆς ἑβδόμης ἐπὶ δέκα ἑξῆς. „Quod enim inclusus in arcam dicitur Osiris, eo nihil aliud significatur quam aquae occultatio et defectus. Itaque mense Athyr periisse Osiridem dicunt, quando Etesiis omnibus deficientibus Nilus recedit et solum nudatur. Quando autem nox fit longior, tenebrae crescunt, lucisque superatur et tabescit vis: tunc sacerdotes cum alios tetricos ritus exercent, tum

---

τῶν κάτω Αἰγύπτιοι λέγουσι Δήμητρα καὶ Διόνυσον i. e. *Isis* et *Osiris*, ut ipse antea explicarat. Hi sunt *inferorum principes.*

92) Hesych. I. p. 132 Alb. Ἀθὺρ μὴν καὶ βοῦς παρὰ Αἰγυπτίοις. cf. Jablonski in Panth. Aegypt. I, 1. §. 3. et 15 et in vocc. Aegyptt. p. 19 sq. ibiq. Te Water.

93) Ita Wyttenb. dedit ex codd. aliquot. Antea scriptum erat Ὀσίριδος.

bovem auratum nigro byssino amictu ostentant in luctu deae (bovem enim Isidis ducunt imaginem ac terram) per quatriduum continuum a decimâ septimâ mensis die.“ Idem ibidem p. 378. p. 549. rursus haec attigit, cum ita narrat: „Atqui quo tempore Aegyptii sacris operantur, multa eodem tempore similia apud Graecos aguntur. Nam et Athenis mulieres Thesmophoria obeuntes jejunant humi desidentes. Et Boeoti Achaeae megara movent festivitatemque eam molestam nominant, quod nimirum *Ceres ob Proserpinae filiae descensum* in dolore sit. *Fiunt haec mense sationis* circa Vergiliarum ortum, quem mensem *Athyr* Aegyptii,[94]) Pyanepsionem Athenienses, Boeoti Damatrium i. e. Cerealem nuncupant.“ In quibus ad nostram caussam haec inprimis tenenda sunt: *sationis* tempore haec lugubria fieri, et bovem eo die festo ostentatum *terrae* imaginem dici, atque eodem tempore Osiridem dici necatum inque *arcam inclusum*. Quam ipsam arculam in sequentibus Plutarchus non minus *auratam* dicit quam bovem auratum dixerat. Quod idem de bove illo *terrae* symbolo narrat, eadem Macrobius confirmat; qui quidem Saturn. I, 19: „quam (terram) Aegyptii hieroglyphicis literis cum signare volunt, ponunt *bovis figuram.*“ — Explicatius haec eadem sic eloquitur Clemens Alexandrinus, loco classico de Aegyptiorum symbolis, Strom. lib. V. p. 671 Potter: *ὥςπερ ἀμέλει γῆς τε αὐτῆς, καὶ γεωργίας, καὶ τροφῆς ὁ βοῦς σύμβολόν ἐστι.* Quae cum ita sint,

94) Novembrem Romani. cf. Jablonski opuscc. Vol. III. p. 361 sq.

certâ probatissimorum scriptorum fide haec effici vides, quae ego brevibus sententiis complectar: Maturo auctumno, quo tempore Nilus decrescit, tenebrae crescunt, satio fit apud Aegyptios etiam homines. Haec res *sementivis feriis sive Thesmophoriis* celebratur solemni ritu: moritur Osiris et membratim dissecatur, h. e. Nilus deficit et per varias terrae partes derivatur canalibus. Osiris includitur in arcam, h. e. vis humectans et vegetans intus suscipitur humi. Osiridis cadaver immittitur in bovem, semen terrâ occulitur et quasi occaecatur. Isis plorat et plangit defunctum maritum, i. e. solum nudatur et recedente Nilo, quando necdum florum segetumque decus apparet, ejus facies contristatur. Athor sive Venus Libitina allicit, et infra ad se rapit Osiridem, i. e. *Tellus* [95]) vim humoris vegetantem com-

95) Sive Venus inferûm. Venerem enim Aegyptiis dici Ἀθώρ diserte testatur Orion ap. Etymolog. m. p. 26. Sylb. p. 24. Lips., qui idem mensem anni tertium ei cognominem fecisse dicit: Ἀθύρ. Caeterum qui Plutarchi verba supra apposita *de tenebris* legerit *eo mense crescentibus*, is commode explicatam a Jablonskio esse dixerit deam Athor, nimirum *noctem*, vid. ejus Panth. Aegypt. I, 1. cf. ejusd. Vocc. Aegyptt. p. 21. Hinc *mus* in ejus deae manibus visitur in numis ap. Zoëgam Num. Aegyptt. Imperatt. tab. XXI. nr. 8. Rei autem ratio docet, rem si accuratius excutias, ipsam Isidem in deam Athor quasi resolvi, quandoquidem terra supera et infera contigua est. Ac reapse Isis Aegyptiis et ipsa dicta est Ἀθυρί. Vid. Plutarchus de Isid. p. 374. p. 531 Wyttenb. qui eam vocem inquit significare *domum Ori mundanam* addens: ὥς καὶ Πλάτων χώραν γενέσεως καὶ δεξαμένην. *Receptaculum* autem et *locus ortus* quantopere huc pertineant, nemo est quin intelligat.

bibit, concipit semen et ad tempus occultat. Fiunt lamentationes aguntur que jejunia non aliter, quam in Thesmophoriis Atheniensium. Atque iidem Attici, eo quod simulacrum ligneum bovis exuviis amictum aratro jungebant, nihil aliud volebant intelligi, quam, aratione et semente factâ, alio mense e terrâ (utriusque symbolum bovem esse didicimus) novas segetes esse proventuras. Quam fiduciam quomodo suis ritibus tesserisque declararint Aegyptii, Plutarchus docere nos potest; qui l. l. ita pergit: „decimâ nonâ mensis (Athyr) die noctu ad mare descenditur, et sacram cistam Stolistae (quasi *vestitores* dicas) unâ cum sacerdotibus efferunt, in qua est intus aurea arcula, cui infunditur ab iis *aqua potabilis*, ac clamor tollitur ab his qui adsunt, vociferantibus Osiridem esse inventum: exinde *tellurem frugiferam aquâ permiscent*, *additisque mixturae aromatibus et suffimentis sumtuosis*, *effingunt imagunculam luniformem*, *et hanc amiciunt et ornant*, *significantes*, *deos istos ab ipsis putari esse naturam terrae et aquae*.“ Atque, ut hinc ordiar, *aquae* etiam *altricis vegetantisque* bovem symbolum fuisse veteribus, non est quod multis commonstretur. Diserte testatur Eustathius ad Odyss. I, 25. p.13 Basil. ubi ita de taurilibus sive sacrificio boum: — *ταύρων, διὰ τὸ γόνιμον τοῦ ὕδατος τὸ ἐκ τοῦ ἄρδειν.* Lunae autem potestatem Isidi vindicat ipse Plutarchus, qui idem *Solem* esse creditum Osiridem testatur, de Isid. p. 372. p. 525. *Εἰσὶ γὰρ οἱ τὸν Ὄσιριν ἄντικρυς ἥλιον εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι Σείριον ὑφ᾽ Ἑλλήνων λέγοντες, — τὴν δὲ Ἶσιν οὐχ ἑτέραν τῆς σελήνης ἀποφαίνοντες, (ἓν) καὶ τῶν ἀγαλμάτων αὐτῆς, τὰ*

κερασφόρα τοῦ μηνοειδοῦς γεγονέναι μιμήματα,[96]) *τοῖς δὲ μελανοστόλοις ἔμφαίνουσι (ἐμφαίνεσθαι) τὰς κρύψεις καὶ τοὺς περισκιασμοὺς, ἐν οἷς διώκει ποθοῦσα τὸν ἥλιον. Διὸ καὶ πρὸς τὰ ἐρωτικὰ τὴν σελήνην ἐπικαλοῦνται, καὶ τὴν Ἶσιν Εὔδοξός φησι βραβεύειν τὰ ἐρωτικά.* Jam apparet ratio, quamobrem in festo illo lugubri mense Athyr peracto, *bovem auratum nigro ostentarint amictu* sacerdotes; nimirum, ut ibidem scriptum erat, *crescentibus tenebris* et *obscurato die;* quo tempore *Isis – Luna tabescentem Solem* sive deficientem Osiridem plangebat; quod autem Isis - Luna *Solem desiderans sectari* dicitur et rebus *amatoriis praeesse,* hoc quo pertineat, facile est ad intelligendum, si reputaveris, quae Cretensium fabulis feruntur, ubi Pasiphaë - Luna in buculam se includi jubet, quo cum bove coïre possit. Quae commenta Graecorum quam arcto vinculo contineantur cum religionibus symbolisque Aegyptiacis cum aliunde monstrari possit tum ex Minoïs regis nomine, quem cum Aegyptiorum *Mene*

96) Haec quantopere illud Herodoti II, 41. quod supra attigimus, *de Iside, buculae cornibus ornatâ* illustrent, non est quod pluribus verbis explicetur. Illud attingam quod Mercurius alio loco ap. Plutarchum p. 358. p. 470. galeam e bovis capite factam Isidi imposuisse dicitur. Rei originem ex Aegyptiorum boum habitu declarat Achilles Statius (laudatus a Pignorio ad mensam Isiacam p. 37 sq. ed. Amstelod.). „Niloticis bobus cornua temporibus alte consurgentia ita curvari, ut summae illorum partes coïre videantur.“ Arguunt numismata Aegyptiorum. Vide, ut hoc utar, Zoëgae Numos Aegyptt. Imperatt. Tab. VI. VII. VIII. in numis Hadriani, ubi boves videas cornibus plane in hanc formam curvatis.

jam alii viri docti compararunt. Utut est, hoc certum, *res a Minoë gestas multas non commodius posse explicari quam ex tesseris sacerdotalibus Aegyptiorum.* Verum hoc nunc quidem non agimus. Hoc unum nunc delibabo: illa adulteria Pasiphaës pertinere videri ad verni temporis res scenicas, cum in adytis subterraneis Labyrinthi ad oculorum sensum per imitamina solemnia expositum esset, quomodo *sol in domo tauri locatus cum lunâ congrederetur;* unde *generandi* vis in *terram* redundaret. Plutarchus de Isid. p. 368. p. 508 de eo festo quod Aegyptii *ἔμβασιν Ὀσίριδος εἰς τὴν Σελήνην* appellantes veris initio celebrabant, cum alia refert de Iside-Lunâ Osiridis-Solis uxore, tum hoc addit: — *τὴν σελήνην — πληρουμένην ὑπὸ ἡλίου καὶ κυϊσκομένην, αὐτὴν δὲ πάλιν εἰς τὸν ἀέρα προϊεμένην γεννητικὰς ἀρχὰς καὶ κατασπείρουσαν.* Nam universae generationis imaginem bovem esse voluerunt antiquitatis homines. Hermias ap. Goens. ad Porphyrium de Nymph. antr. p. 108: *γενέσεως γὰρ σύμβολον ὁ ταῦρος.* Igitur nil mirum, *universae quasi procreatricis naturae bovem ac vaccam symbola fuisse veteribus; et, quando in sementivis festis agriculturae vicissitudines a siderum meatu suspensas significabant* per bovem *vel aratro junctum vel vaccae admotum: hoc ipso symbolo varias in partes converso etiam vitae humanae orbem et immortalitatis animorum spem* 97) *significatam voluisse.*

---

97) Non philosopham dicimus h. l. *doctrinam*, sed *spem* universam *vitae reviviscentis* et *ubertatis nunquam exstinguendae. Eadem ubertatis spes* ostensa a Sibyllinis

Atque his ipsis expeditum reddidimus nobis reditum ad Herodoti locos qui supersunt. Illud enim a nobis quaerendum restat: *an sepulturam deorum hominumque in bove factam ad religiones referre potuerit Historiae pater.*

Memorabilis ejus narratio est *de Mycerino Aegyptiorum rege* quam ipse Wesselingius cum Plutarchi loco classico, quem tractavimus, comparandam judicavit. Ego nunc quidem potiora tantum delibabo. In quibus haec sunt II, 128 — 130. Mycerinus [98]) rex, ut plurimum mitis, et rebus praeclare gestis nobilitatus, immaturâ morte amittit filiam,

oraculis populo Romano est, cum in hiantem terram juberent pretiosissima quaeque immitti: *ὅτι — ἡ γῆ συνελεύσεταί τε καὶ πολλὴν ἀφθονίαν εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον ἁπάντων αὐτῶν ἀνήσει.* His auditis Romani in hiatum demiserunt: *ἀπό τε καρπῶν πελάνους καὶ ἀπὸ χρημάτων ἀπαρχάς.* Locus legitur in Dionysii Halic. Excerptt. nuper a Majo inventis lib. XIV, 20. p. 60 ed. princ. Mediol. Qua in re nihil aliud Romani fecere quam Aegyptii ap. Herodotum loco supra allato II, 40. Illi *placentas* in *terram* immiseserunt: hi *panes mundos* in *bovem,* qui ipsis pro *terrâ* erat. Utrique insuper pretiosiora alia.

98) *Μυκερῖνος.* Quod alteram quoque nominis formam exhibet Diodorus I, 64: *Μεχερῖνος,* hinc ope sermonis Coptici Zoëga de Obeliscc. p. 415 conjicit significare *tranquillum.* Ei suspicioni certe faveat Herodotus, qui eum *ἤπιον* dicit. Ego h. l. reliqua praetermitto: hoc unum attingam: cum aliis de causis, tum vero ejus epitheti gratiâ comparandum videri Mycerinum Jovi Cretensium, qui post mortem *ἤπιος πῖκος* est appellatus i. e. *mitis* idemque *acer.* Utrumque epitheton et in Mycerinum cadit (vid. Herodotum l. l.) et vero etiam in Minoëm Cretensium regem.

quam unicam domi sobolem habebat: *τὸν δὲ, ὑπεραλγήσαντά τε τῷ περιεπεπτώκεε πρήγματι, καὶ βουλόμενον περισσότερόν τι τῶν ἄλλων θάψαι τὴν θυγατέρα, ποιήσασθαι βοῦν ξυλίνην κοίλην· καὶ ἔπειτα καταχρυσώσαντά μιν ταύτην, ἔσω ἐν αὐτῇ θάψαι ταύτην δὴ τὴν ἀποθανοῦσαν θυγατέρα.* Tum ita pergit Herodotus (cap. 130.): „Bos ista non sub terrâ est recondita, sed meâ adhuc aetate in propatulo erat in urbe Sai in regiâ posita, eleganti in conclavi: et quotidie apud illam suffimenta cujusque generis adolentur et singulis noctibus pernox ardet lucerna.“ Tum (cap. 132.) haec leguntur: *Ἡ δὲ βοῦς τὰ μὲν ἄλλα κατακέκρυπται φοινικέῳ εἵματι· τὸν αὐχένα δὲ καὶ τὴν κεφαλὴν φαίνει κεχρυσωμένα παχέϊ κάρτα χρυσῷ· μεταξὺ δὲ τῶν κερέων ὁ τοῦ ἡλίου κύκλος μεμιμημένος ἔπεστι χρύσεος.* Haec propterea graece adscripsimus, quo continuo quivis componere cum Plutarcheis verbis possit, Pergit scriptor: „Non stat recta bos, sed genubus incumbens: magnitudo quanta magnae bovis vivae. Quotannis semel extra conclave effertur. Quando plangunt Aegyptii deum illum, cujus nomen in tali re edere mihi nefas est, tum hanc bovem in lucem proferunt: dicunt enim, morientem filiam orasse patrem Mycerinum, ut semel in anno solem adspicere sibi liceat.“ Haec ille. Jam si quaeras, cur excellentiorem filiae sepulturam in buculâ censuerit Mycerinus, quam in arculâ: expedita jam responsio est, videlicet haec: quoniam qui in arculâ *ἀνθρωποειδεῖ* condebantur: ii et ipsi quidem loculum habebant in memoriam Osiridis factum, neque tamen eodem prorsus, quo Osiris, modo condebantur, utpote cujus membra in

bovem immissa fuerant. Porro qui in sacro conditorio sepulti sunt, erant illi quidem ὁμόταφοι Ὀσίριδος eodem cum Osiride tumulo potiti: sed illa tamen puella sanctiore quodam vinculo fuit Osiridi copulata et quasi nupta ei deo. Hanc ob caussam patrem exoraverat, ut semel in anno solem sibi adspicere liceret, eductaque est e conclavi eo die, quo populus plangebat Osiridem. Quo ipso die quod suspicere volebat solem, hoc in spem fiebat redeuntis lucis, quam ipsam spem hoc tempore concipiebant Aegyptii. Haud absurde igitur suspiceris Mycerinum tam ambitiosâ funeratione filiae nihil aliud spectasse, quam *apotheosin* quandam, sive divinos honores proli suae impertiendos. Arguunt etiam lucernae apud buculam accensae et suffimentorum combustorum impendium. Ego tamen malim *festorum solemnia cogitare, unde haec omnis Mycerini historia exornata sit, non aliter quam Minoïs historia et Pasiphaës. Hoc pacto Mycerini filiae sumtuosa sepultura efficta sit, e rebus scenicis, autumno peragi solitis quando* τὴν Ὀσίριδος, κάθειρξιν εἰς τὴν σορὸν *Osiridem in arcam inclusum celebrabant: Pasiphaës autem flagitiosa fabula ortum duxerit ex verni temporis solemnitate, quâ in templis* τὴν Ὀσίριδος ἔμβασιν εἰς τὴν σελήνην *arte scenicâ repraesentabant.*

Divinos autem honores vaccae impertitos reliquaque omnia, quae Herodoteus locus de Mycerini buculâ sacrâ habet, ad oculorum sensum exponit egregia icon, quam Venetiis exstantem ex Pricaei commentario ad Appulejum Herodoteo loco primus adjecit Jac. Gronovius, repetendamque curavit in

suâ editione Wesselingius, nunc vero aegre desideramus in editione Schweighaeuseri.

Magis autem debet nos advertere illud quod nuper admodum ad Herodoteam narrationem firmandam explicandamque ex Thebaicis hypogaeis eruerunt arteque pictoriâ lineari describendum curaverunt docti peregrinatores Francogalli. Illi enim in opere Descript. de l'Egypte Antiqq. Vol. II. p. 169 Thebis reperisse se testantur in angusto conclavi quinti sepulchri Regum arcam feralem, quae omnibus in rebus descriptioni Herodoteae usquequaque congrueret. Et sistit tabula adjecta buculam ingeniculatam, velatam, quomodo Herodotus describit, cum disco solari inter cornua locato. [99]) Haec qui legerit, is extra dubitationis aleam jam positum suspicetur, etiam post obitum in buculis sepeliendos se curasse Aegyptiorum aliquot reges aliosve proceres. Regia enim conditoria nobis exhibuerunt illam arculam. Sed tamen eâ in re plura inquirenda sunt, antequam praecise decernas. Nam ut hinc ordiar, possit etiam *Apim* designasse is sarcophagus buculae formam prae se ferens; et patrocinium hinc parari possit magno Salmasio, qui Apim in Thebaide se-

99) Vid. operis laudati tabulas, Vol. II. tab. 87. fig. 6. Sarcophagum autem arcam illam dicunt editores, et ipsi admonentes Herodoteae narrationis. Ipsa verba subjiciam: „Il suffit, pour ainsi dire, de jetter les yeux sur la peinture, dont nous parlons, pour s'assurer de son identité avec le coffre sepulchral decrit par Herodote. L'attitude de la genisse, la draperie, dont son corps est couvert, le disque posé entre les cornes, tout dans notre dessin est conforme au recit de l'historien."

pultum conjectaverat.[100]) Hoc si statuas, possis eam rem ita explicare, ut reges Aegyptios dicas post mortem secum habuisse bovinae formae cistam, quo essent etiam hoc pacto *ὁμόταφοι Ὀσίριδος, utpote cujus simulacrum Apis esset.* Ac reapse Apis repertus dicitur in regione vicorum Saccarae et Abusir, ubi antiqua illa Memphis conditoria sua habuit, et quidem in *arcâ auratâ ac bovino capite ornatâ*, juxta eam positis octo vasculis alabastrinis. [101]) Memphitico autem in agro conditum ferri Apim, scriptorum fide supra firmavimus. Universe tamen hac in re caute versandum, ne omnes bovis insignius ornati imagines Aegyptias continuo pro Apis simulacris venditemus. Nam praeter Apim deus etiam habitus Mnevis (*Μνεῦϊς*), hic quidem Heliopoli nutritus, et insuper Onuphis (*Ὄνουφις*) taurus niger. Ac praeterea tenendum quod inculcat Strabo, qui, ubi de Api et Mnevi deque vaccâ Memphiticâ exposuit, ita pergit lib. XVII. p. 803. p. 576 sq. *οὗτοι μὲν θεοὶ*

---

100) In Plinn. Exercitt. p. 312. Quod ei obloquitur Jablonskius in Panth. IV. p. 200: eas lites nunc ego non dirimam: illud Jablonskio excidisse nolim quod addit: „Quid? an ad enecandum Apim sacerdotibus Memphiticis tantum iter Syenen usque erat suscipiendum? praesertim cum in diversis urbibus per Aegyptum sacerdotum collegia *in omnibus* non admodum inter se consentirent." Itane vero? Alia omnia, ut hoc unum delibem, prodit Strabo p. 585 Tzsch. *τινὰ μὲν γὰρ τῶν ζώων ἅπαντες κοινῇ τιμῶσι Αἰγύπτιοι, καθάπερ τῶν πεζῶν μὲν τρία, βοῦν, κύνα, αἴλουρον· τῶν δὲ πτηνῶν δύο, ἱέρακα καὶ ἶβιν.* Et cf. ipsum Herodotum II, 42. 46.

101) Shaw travels II. p. 158. Paul. Lucas Voy. 1714. Tom. II. p. 99.

νομίζονται, οἱ δὲ παρὰ τοῖς ἄλλοις καὶ παρὰ πολλοῖς γὰρ δή· ἔν τε τῷ Δέλτα καὶ ἔξω αὐτοῦ, τοῖς μὲν ἄῤῥην (βοῦς), τοῖς δὲ θήλεια τρέφεται· οὗτοι δὲ θεοὶ μὲν οὐ νομίζονται, ἱεροὶ δέ. [102])

Atque ab hac disputatione non alienum judicabitur tractare *Herodoti* locum de Apide classicum III, 28. Habet autem ita:

Ὁ δὲ Ἆπις οὗτος, ὁ Ἔπαφος, [103]) *γίνεται μόσχος ἐκ βοὸς ἥτις οὐκέτι οἵη τε γίνεται εἰς γαστέρα ἄλλον βάλλεσθαι γόνον. Αἰγύπτιοι δὲ λέγουσι σέλας ἐπὶ τὴν*

---

102) De Onuphi locus est classicus Aeliani H. A. XII, 11. Quem locum cum Macrobio (Saturn. XXI. p. 212.) composuit Jablonskius Panth. Aegypt. I. p. 99. quo *Pacin* bovem sacrum *Hermunthi* coli solitum, cum Onuphi confunderet, et hunc eodem in oppido nutritum stabiliret. Obloquitur Jomard. in Descript. de l'Egypte Antiqq. Tom. I. cp. 8, valde lubrica haec argumenta dictitans. Neque tamen firmiora videntur argumenta ejusdem operis auctorum, qui Thebis et quidem in anaglyphis, quae visuntur in pago Medina-Tabu, Onuphim sibi videntur vidisse. Exhibetur ibi bos, disco inter cornua locato et fasciis e collo pendentibus insignis. Vide operis cit. Vol. II. Antiqq. p. 49. Discum quidem Apidi etiam attribui continuo docebimus. Mnevin etiam atque Onuphin videre sibi videtur in arâ ad Aegyptias religiones pertinente, Enn. Quir. *Visconti* ad Mus. Pio-Clement. Vol. VII. p. 28. itemque Apim in aliâ arâ, vid. p. 27.

103) Cf. II, 153. *ὁ δὲ Ἆπις κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσάν ἐστι Ἔπαφος* (cf. Aelian. H. A. X, 10.). Quo de loco quae disputaverint Jablonskius in Panth. V, 2. 22. et in Vocc. Aegyptt. p. 65 sqq. Heynius ad Apollodor. Obss. p. 104. aliique, ego nunc non excutiam, neque ad locum Herodoti, supra in textu adscriptum, ea repetam, quae interpretes ad eum contulerunt.

βοῦν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατίσχειν,[104]) *καί μιν ἐκ τούτου τίκτειν τὸν Ἆπιν. Ἔχει δὲ ὁ μόσχος οὗτος, ὁ Ἆπις καλεόμενος, σημήϊα τοιάδε· ἐὼν μέλας, ἐπὶ μὲν τῷ μετώπῳ λευκὸν τετράγωνον φορέει· ἐπὶ δὲ τοῦ νώτου αἰετὸν εἰκασμένον· ἐν δὲ τῇ οὐρῇ τὰς τρίχας διπλᾶς· ἐπὶ δὲ τῇ γλώσσῃ κάνθαρον.* Quo in loco plurima omittimus; potiora delibamus quae ad interiorem significationem videntur pertinere. Nemo autem nescit, quantopere in notis, quibus Apis a reliquis bubus dignosceretur, enarrandis discrepent inter se scriptores, quorum plura testimonia congessit Jablonskius in Panth. IV. p. 182 sqq. Illud tamen agendum videtur, ut distinguamus primarias inter notas et secundarias. Ad illas autem pertinere dicas nigrum colorem variatum albo. Loquitur Strabo XVII. 808. p. 562 Tzsch. hanc ipsam rem commemorans: Congruit Plutarchus, qui de Iside et Osirid. p. 368. p. 508 in hunc modum: *Διὸ καὶ τοῖς τῆς σελήνης σχήμασιν ἔοικε πολλὰ τοῦ Ἄπιδος, περιμελαινομένου τὰ λαμπρὰ τοῖς σκιεροῖς.* [105]) Imprimis tenenda sunt haec Aeliani H. A. XI, 10. p. 350 Schneid. qui postea-

---

104) Valckenarianae notae adde Scholiast. Leidens. ad Iliad. I, 450. ed Wassenbergh. qui item Herodoti hunc locum excitat, quo rariorem usum verbi *κατίσχειν* explicet. Caeterum et Isidi et Osiridi sacrum fuisse Apim certâ scriptorum fide constat, quos in partes vocat Wesseling. ad Diodor. Sicul. I, 21. p. 25. De notis Apidis consule Jamblich. de Myster. Aegyptt. V, 8. ibiq. Galeum. p. 265.

105) Hoc ipsum ad oculos exponitur in tabulâ Isiacâ, ubi nigredo et albedo inter se variant in corpore Apidis. Vid. figuram insignitam literâ R. Neque lunae significatio deest in eo bove.

quam Herodotum et Aristagoram dixit hac in re non usquequaque probasse suam diligentiam Aegyptiis, qui undetriginta notas sacras Apidi assignare soleant, haec carptim subjicit: *Καὶ γάρ τοι καὶ τὴν ἄνοδον τὴν τοῦ Νείλου ὑποδηλοῦν σημεῖόν φασι (Αἰγύπτιοι),*[106]) *καὶ τὸ τοῦ κοσμοῦ σχῆμα, ἀλλ' ὄψει τι καὶ σύμβολον, ὡς ἐκεῖνοι λέγουσιν, ὅπερ οὖν αἰνίττεται τοῦ φωτὸς εἶναι τὸ σκότος πρεσβύτερον,*[107]) *καὶ τὸ μηνοειδὲς τῆς σελήνης κατηγορεῖ σχῆμα συνιέντι μέρος ἄλλο, κ.τ.λ.*— Revertor ad Herodotum. Quum is in fronte Apidis locet *λευκὸν τετράγωνον*, neque vero veterum scriptorum quisquam eam notam agnoscat: amplexi sunt omnes fere interpretes conjecturam Cayli Comitis in Recueil d'Antiqq. Tom. I. p. 43. *λευκόν τι τρίγωνον*. Nam triangulum assignant Apidi et scriptores et monumenta, [108]) et vulgaris est confusio utriusvis

106) *Εὐετηρίας*, sive felicitatis anni, abs Api captum augurium prodit Scholiasta Luciani de Sacrific. III, 79 Bip. Quam rem cum Nili ascensu ap. Aelianum h. l. componit Hemsterhusius ad illum p. 427. De scriptorum discrepantiâ in notis Apidis designandis monet Wessel. ad Diodor. I, 85. p. 96.

107) Tenebras ante lucem noctemque matrem rerum omnium ex Aegyptiâ doctrinâ prodit etiam Jo. Lydas de menss. loco luculento p. 13. Addit, hinc a vesperâ numerandi diei initium facere Aegyptios.

108) Vid. ut hoc utar, Caylum l. l. ibiq. tab. 12, quae triangulum in fronte Apidis luculenter exhibet. Adde Zoëgam de Obel. p. 448. Alias Apidis notas e numis memorat *Raschius* in Lexico rei num. Vol. I. p. 930. Etiam gemmae adhibendae; in quibus egregias habet museum Stoschii, nunc Borussiae Regis. Vid. ut hoc utar, selecta ex eo quae Schlichtegroll. edidit. I. nr. 4. II. tab 13. nr. 71. ubi lunula super dorso Apidis.

vocabuli.[109]) Verumtamen laudo vehementer continentiam Schweighaeuseri qui in hujusmodi loco constituendo nihil novaverit. *Quadratum* enim, sive *τετράγωνον*, pertinet ad *Mercurium*. Hujus autem dei quae partes sint in universâ fortunâ Isidis et Osiridis vel unus Plutarchus docere quemvis potest. Quid? ipsa consecratio Apidis fit *κατὰ τὴν ὑφήγησιν τοῦ Ἑρμοῦ τὴν πρεσβυτάτην*, ut est apud Aelianum l. l. qui idem scriptor singulas in corpore Apidis notas ad arcana Aegyptiorum symbola pertinuisse monet: *ὅτου δὲ τῶν ἀστέρων ἕκαστον σημεῖον διὰ συμβόλων αἰνίττεται τὴν φύσιν, Αἰγύπτιοι τεκμηριῶσαι ἱκανοί.* Atque de *Quaternione*, ut Hermetis numero, haud pauca praecipiunt scriptores veteres.[110]) E quibus Jo. Lydus (de menss. p. 21) ita: *τὴν δὲ τετάρτην ἡμέραν Στίλβοντι (ἑνὶ τῶν πλανήτων κατ᾽ Αἰγυπτίους οὕτω καλουμένῳ) ἀνέθεντο, ὃς ἐξ ἴσου ποτὲ μὲν ὑγραίνει, ποτὲ δὲ ξηραίνει, πνευματούμενος ὑπὸ τῆς περὶ τὸν ἥλιον ὀξυκινησίας· Ἑρμοῦ δὲ τοῦτον Ἕλληνες εἶναι βούλονται· αὐτῷ τοίνυν τὴν τετράδα οἱ φιλοσοφοῦντες ἀνέθεντο, ὡς ἐφόρῳ τῶν μιγάδων ψυχῶν.* Subjicit Pythagoricum placitum: *animam esse τετράγωνον εὐθυγώνιον.* His jungenda ea, quae

109) Sic, ut hoc utar, in Nicomachi institutt. arith. II. cap. 9. *τρίγωνος* pro *τετράγωνος* habet. cod. Par.

110) Plutarch. Quaest. Sympos. IX. p. 738. E. p. 1050. Wyttenb. Proclus in Hesiodi *Ἐργ.* ad vs. 770. p. 169 ed. Antv. (ex Philochoro; vid. hujus fragg. p. 92—94 ed. Siebelis.) et quae alia Meursius collegit de Denar. Pythag. p. 1362. Quibus adde Jo. Laur. Lydum de menss. Romm. p. 21 (coll. p. 87. 99.).

idem p. 99 de pyramide memorat: (ἡ γὰρ πυραμὶς ὑπὸ τεσσάρων βάσεων καὶ τεσσάρων γωνιῶν μόνη περιεχομένη κ. τ. λ.) praecipue quae de *Mercurio quadratâ figurâ fingi solito* in medium profert p. 102: εἶτα δὲ τετράγωνον σχήματι Ἕλληνες ἀναπλάττουσι τοῦτον (τὸν Ἑρμῆν), τεκμήριον μέγιστον παρεχόμενοι λόγον εἶναι τοῦτον καὶ λόγον ἀληθῆ, quae ex quadranguli *figurâ* explicantur. [111]) Jam si ea reputes quae apud eosdem scriptores de quatuor basibus et quatuor angulis pyramidis traduntur, possis etiam τρίγωνον in Apidis notis pro pyramide accipere. Neque ego tamen faciam. Advertunt enim me, quae de τριγώνῳ in hac ipsâ religionum parte disputat Plutarchus de Isid. et Osirid. p. 373 seq. p. 530 Wytt., ubi cum alia ponit tum vero etiam haec: „lineâ ad rectum angulum alteri insistente marem, basi feminam, subtendente (τὴν δὲ ὑποτείνουσαν) prolem utriusque significari" καὶ τὸν μὲν Ὄσιριν ὡς ἀρχήν, τὴν δὲ Ἶσιν ὡς ὑποδοχήν, τὸν δὲ Ὧρον ὡς ἀποτέλεσμα. Et, ne multa, *Damascius mscr.* in Platonis Parmenid. in loco de Aegyptiorum hieroglyphis (quem infra integrum exhibebo) ubi plura de triangulo et quadrangulo habet, igitur eo in loco ita scribit: οἷον Ἀθηνᾶς μὲν τὸ τρίγωνον· Ἑρμοῦ δὲ τὸ τετράγωνον. Atque Minervam inter atque Osiridem arctissimam necessitudinem intercedere, vel ipse Herodotus tecte significat II. cap. 170 seq. cum Osiridem Saï in ejus deae templo sepultum haud obscure memorat, et

---

111) Gemina leguntur in Theologumm. arithmm. §. 23. p. 24 ed. Ast; et ap. Nicomach. institutt. arith. II, 9. p. 119 ejusd. ed. eadem explicantur.

ejus dei mortis spectacula ibidem exhiberi in scenis sacris dicit. Quid quaeris? Minerva Osiridis membratim dissecti cor servaverat et unice curaverat, ne hic deus *multas in partes dissectus prorsus periret.* Partium *multitudinem* vindicaverat ita, ut *unitati* eas restitueret et Osiridem *unum* denuo salvum praestaret. Erat enim Osiris *mundi* quasi *anima* per universae naturae varias *partes* minutatim diffusa; h. e. omnibus in rebus Osiris erat vis *creatrix* et *altrix:* Hermes [112]) sive Mercurius erat vis *fictrix* ac *rectrix* et quasi *mens mundi.* Uterque autem adest Osiridi, et *Mercurius* et *Minerva.* Itaque rei ipsa ratio postulat, *ut utriusque etiam tesserae* (τετράγωνον et τρίγωνον) *in Osiridis simulacro Apide apparuerint.* Quae cum ita sint, ego nullus dubito, *quin in undetriginta notis Apidis et quadrangulus et triangulus fuerit, adeoque in ejus fronte etiam τετράγωνον notae sacrae dignitatem habere potuerit.* Neque enim ex tam paucorum scriptorum et monimentorum reliquiis eam rem definiri pro certo posse

---

112) Locos huc pertinentes alibi laudavi, et de *Mercurio Aegyptiorum* nuper admodum monui ad Ciceronem de Nat. D. III, 22. p. 604 seqq. Quod Valckenaer. ad Herodoti locum, quem tractamus, ex Porphyrio ap. Euseb. memorat τρίγωνον tanquam foecunditatis imaginem διὰ τὸ μόριον τῆς θηλείας, et φάλητα in memoriam redigit: nec haec symbola a trianguli et quadrati significatione in notis Apidis excludenda sunt. Vide quae ad Ciceronis l. l. de Mercurio Phalete, s. ithyphallico apposui. Et Hermaphroditus etiam huc facit quodammodo ac *Venus*, cui et ipsi *quaternarius* numerus dicatus est. Jo. Lydus de menss. p. 87: ἡ γὰρ τοῦ παντὸς αἰσθητοῦ φύσις ἐκ τεσσάρων ἐστὶ στοιχείων, αὐτὴ δ᾽ ἂν εἴη κατὰ τοὺς φυσιολόγους Ἀφροδίτη.

apparet. Et, si accuratius omnia circumspiciamus, illud ipsum quadratum Apidi junctum in uno alteroque monumento reperiatur. Ac reapse, qui in mumiae Dresdensis feminae involucro pictus visitur Apis, is non modo triangulum juxta sepositum habet, verum supra dorsum etiam quadratum. Haec enim figura probabilior videatur iis, qui Augustei Vol. I. tabulam 2 adspiciant, quam avis aut loti floris. Alterutrum enim Beckerus l. l. supra dorsum apparere dictitat. Verum, utut est, hoc nemo infitias iverit: *τετράγωνον* vel maxime pertinere ad *Osiridis simulacrum*, Apim.

Satis de *τετραγώνῳ*. Mutilatum autem Herodoti locum dicat quispiam aliâ quoque de caussâ. Etenim quas Apidis imagines exhibent tabulae Aegyptiorum pictae, anaglypha, aliaque artis monumenta, eae, *praeter certas ejus bovis notas*, quas adhuc attigimus, insuper *solis discum inter cornua locatum* ut plurimum spectandum praebent. [113]) Ac nemo

113) Vide sîs tabulae Isiacae figur. R. item Monumentum Venetum, quod ex Pricaei commentario desumsit Gronovius et habet editio Herodoti Wesseling. ad p. 166; porro quae ex hoc genere Caylus Comes memorat in Recueil d'Antiqq. Vol. I. p. 45 sq. et tria Apidis simulacra Musei Borgiani a Zoëgâ de Obeliscc. p. 448 enumerata. Pricaei iconem illam quod attinet, recedit illa quidem in vestimentorum genere aliisque rebus ab antiquo cultu Aegyptiorum; nec *τρίγωνον* expressum: nihilo tamen secius vel maxime memorabilis est censenda. Disci inter Apis vel Mnevis cornua locati ex suo ipse museo aliquot icones enumerat Payne-Knight in libro bonae frugis plenissimo Inquiry into the symbolical Language of ancient art and mythologie §. 32. p. 23.

nescit jam veteres conquestos esse, Herodoteorum librorum exemplaria mutilata corruptaque vulgo ferri. Nec alibi ignotus Nostro inter buculae cornua ὁ τοῦ ἡλίου κύκλος μεμιμημένος χρύσεος, quae verba leguntur in loco de vaccâ Mycerini II, 132.

At vero hic ipse locus, cum nostro compositus, me in eam sententiam deducit, ut non tam a librariis curtatam hanc de Apide narrationem arbitrer, quam ab ipso scriptore consulto contractam, ne liberius eloqui videretur, quae suo ex judicio ad interiores religiones pertinerent. Nam si hoc loco addidisset discum solarem notis dei Apidis, pronum erat ad intelligendum, Mycerini filiam Osiridis in modum in Apide sepultam adeoque sacratam esse. Quam taciturnitatem quomodo postmodum Historiae patri vitio verterint Aegyptii, docuit nos Aelianus loco supra laudato. Et jam mirabimur, hodieque Herodotum aliis ignorantem videri et rudem rerum omnium reconditarum; nimis credulum aliis et alieno loco loquacem? [114]) Ac si quando Noster reconditiores

114) Sequentia in Nostri loco de Api bove (III. 28.) paucis absolvemus. Jam illa: ἐπὶ δὲ τοῦ νώτου, αἰετὸν εἰκασμένον male habent Zoëgam de obeliscc. p. 448. Vulturis (γυπός) signum in Apidis notis esse; non aquilae, si icones conferas. Tu vide v. c. Cayli Recueil Tom. I, Tab. 12. Ego in eâ re ampliandum existimo. Nam primum nemo nescit diligentiam Herodoti in rebus naturalibus describendis, ut minime credibile sit, vulturem et aquilam ab eo esse confusos. Deinde *phoenicis*, avis, imago nonnunquam adjungi poterat Apidi. Est vero phoenix ἐς τὰ μάλιστα αἰετῷ περιήγησιν ὁμοιότατος, ipso Herodoto teste (II, 73.). Poterat autem phoenix bifariam jungi Apidi, primum respectu habito inundantis Nili, cujus nota in

rerum caussas non tam aperit ac recludit, quam reverenter significat: factum est fere a recentioribus scriptoribus, ut ea non pro scriptis haberent, certe non eo adhiberent, quo eas caussas aliorum scriptorum ac monimentorum ope, quoad ejus fieri posset, eruerent et explicarent. Taceo alios, qui leviuscule attigerunt res Aegyptias, verum nec ille vir, qui egregie meruit de omni antiquitate, inprimis Aegyptiacâ, ab eâ labe usquequaque immunis reperitur, *Zoëgam* dico, ex hominibus doctis, qui nuper fuerunt, in principibus censendum.

Atque ex hac observatione sponte mihi nascitur occasio commentandi ad locos *Herodoteos*, quos supra indicavi, de *cultu bestiarum sacro universo*, earundemque *conditurâ* ac *funeratione* apud veteres Aegyptios.

Nimirum Zoëga de obeliscc. p. 283 sq. ubi eam rem attigit, profectus ex hoc loco Herodoti II, 36: *τοῖσι μὲν ἄλλοισι ἀνθρώποισι χωρὶς θηρίων δίαιτα ἀποκέκριται· Αἰγυπτίοισι δὲ ὁμοῦ θηρίοισι ἡ δίαιτά ἐστι* [115]): igitur ex eo loco profectus ita: „Scilicet

---

notis Apidis erat (vid. supra); siquidem in anaglyphis Thebaicis uroeum et pateram gestat phoenix, igiturque et ipse ad Nilum solstitio aestivo crescentem refertur (vid. Descript. de l'Egypte Antiqq. Vol. I. cp. 5. §. 6. p. 29 sqq.): deinde quoniam Apidis periodus chronologica viginti quinque annorum inclusa erat in periodo phoenicis MCCCC annorum. De his periodis vid. Marshami Canon. chron p. 9. Dornedden neue Theorie p. 85. et Jomard. in Descript. de l'Egypt. Vol I. Antiqq. cp. 5. §. 5. p. 28.

115) Tu confer cap. 66 et adhibe opus magnum Description de l'Egypte Antiqq. Vol. II. p. 331, ubi animalia veterum Aegyptiorum domestica memorantur; in quibus

veteres Aegyptii, quibus, monente Herodoto, victus fuit cum animalibus, neque post mortem consortium eorum dedignati sunt; quin potius honori sibi duxisse videntur prope Apidem sepeliri cet.“ At vero ipse ille Herodotus loco luculento universam bestiarum consecrationem dicit ad *res sacras reconditasque pertinere.* Ita enim ille II, 65: *Ἐοῦσα δὲ Αἴγυπτος ὅμουρος τῇ Λιβύῃ, οὐ μάλα θηριώδης ἐστί. τὰ δὲ ἐόντα σφι ἅπαντα ἱρὰ νενόμισται· καὶ τὰ μὲν σύντροφα αὐτοῖσι τοῖσι ἀνθρωποῖσι, τὰ δὲ οὔ. τῶν δὲ εἵνεκεν ἀνεῖται τὰ ἱρὰ, εἰ λέγοιμι, καταβαίην ἂν τῷ λόγῳ ἐς τὰ θεῖα πρήγματα, τὰ ἐγὼ φεύγω μάλιστα ἀπηγέεσθαι. τὰ δὲ καὶ εἴρηκα αὐτῶν ἐπιψαύσας, ἀναγκαίῃ καταλαμβανόμενος εἶπον.* Igitur denuo profitetur Herodotus: *et necessitate adductum se res divinas attigisse, et silentio se pressurum bestiarum consecratarum caussas, quoniam et ipsae ad divina negotia spectent.* Diodorus contra, lib. I. cap. 86 sq. recipit, se inquisiturum in easdem caussas esse; sed quas ille ternas affert, eas ipse dictitat vulgo sic tradi. Sunt autem repetitae, prima a deorum historiâ, quandoquidem antiquitus dii, in bello adversus homines gesto[116]), salutis suae caussâ, bestiarum

non fuerunt elephas et Camelus. *Δίαιταν* autem h. l. aliisque universam vitae actionem significare, bene monuit Schweighaeuserus. Idem vir doctus expeditiora reddidit verba capitis 65, quae supra apposuimus in textu.

116) In bello adversus Typhonem hoc factum finxerat Pindarus; vid. Wesseling. ad Diodor. l. l. ibiq. Porphyr. de Abstin. III, 16. Caeterum singula haec argumenta, quae Diodorus l. l. in medium profert, jam Plutarchus docte dijudicavit, de Isid. p. 379 sq. p. 553 sqq. Wytt. Plures

corpora assumserint; altera caussa a priscis Aegyptiorum signis agminum militaribus; tertia ab utilitate animalium in hominum vitâ victuque. Ego nullam plane futilem dixerim, cum nulla non rei verae quaedam vestigia retinuerit; quae insigniora impressa reperiuntur in primo argumento, quod simulacrorum divinorum, qualia apud Aegyptios fuere, haud ambiguam significationem habet. Verumtamen nemini idonea videbuntur haec argumenta ad unum omnia. Et Diodorus ipse praefatur ita: *οἱ μὲν οὖν ἱερεῖς αὐτῶν* (Aegyptiorum) *ἀπόῤῥητόν τι δόγμα περὶ τούτων ἔχουσιν, ὃ προειρήκαμεν ἐν τοῖς θεολογουμένοις.* Respicit haud dubie ad locum lib. I. cap. 21. qui ita habet: Repererat Isis mutilati Osiridis singula membra, veretro excepto, jamque de funeratione cogitabant: *τὴν δὲ οὖν Ἶσιν — βουλομένην — τὴν τἀνδρὸς ταφὴν ἄδηλον ποιῆσαι, καὶ τιμωμένην παρὰ πᾶσι τοῖς τὴν Αἴγυπτον κατοικοῦσι, συντελέσαι τὸ δόξαν τοιούτῳ τινὶ τρόπῳ· ἑκάστῳ τῶν μερῶν περιπλάσαι λέγουσιν αὐτὴν τύπον ἀνθρωποειδῆ, παραπλήσιον Ὀσίριδι τὸ μέγεθος, ἐξ ἀρωμάτων καὶ κηροῦ. εἰςκαλεσαμένην δὲ κατὰ γένη τῶν ἱερέων, ἐξορκίσαι πάντας μηδενὶ δηλώσειν τὴν δοθησομένην αὐτοῖς πίστιν· κατ᾽ ἰδίαν δὲ ἑκάστοις εἰπεῖν ὅτι μόνοις ἐκείνοις παρατίθεται τὴν τοῦ σώματος ταφὴν, καὶ τῶν εὐεργεσιῶν ὑπομνήσασαν, παρακαλέσαι θάψαντας ἐν τοῖς ἰδίοις τόποις τὸ σῶμα τιμᾷν ὡς θεὸν τὸν Ὄσιριν· καθιερῶσαι δὲ καὶ τῶν γενομένων παρ᾽ αὐτοῖς ζώων*

et veterum et recentiorum de hujus rei caussis sententias, qui cognoscere cupiat, consulat quos laudavit Rhoerius ad Porphyrii l. l. p. 250. et ad IV, 9. p. 322.

ἕν, ὁποῖον ἂν βουληθῶσι. καὶ τοῦτο ἐν μὲν τῷ ζῆν τιμᾶν καθάπερ καὶ πρότερον τὸν Ὄσιριν, μετὰ δὲ τελευτὴν τῆς ὁμοίας ἐκείνῳ κηδείας ἀξιοῦν. — Morem gessisse Isidi sacerdotes. — διὸ καὶ μέχρι τοῦ νῦν [117]) ἑκάστους τῶν ἱερέων ὑπολαμβάνειν παρ' ἑαυτοῖς τετάφθαι τὸν Ὄσιριν, καὶ τά τε ἐξ ἀρχῆς ἀφιερωθέντα ζῶα τιμᾶν, καὶ τελευτησάντων αὐτῶν ἐν ταῖς ταφαῖς ἀνανεοῦσθαι τὸ τοῦ Ὀσίριδος πένθος. Sequitur locus de bubus per universam Aegyptum sacris; quam supra apposuimus.

Illa autem, quae antecedunt, bifariam exploranda sunt, cum *quod Osiridem attinet singulis Aegypti in nomis sepultum*, tum quod *bestiarum per nomos consecratio conjungitur cum Osiridis sepulturâ*.

Jam si Plutarchum conferas, de Isid. atque Osirid. p. 358. p. 468 seq. Wyttenb., [118]) multorum unius Osiridis sepulchrorum duplicem caussam cognoscas, utramque fabulosam. Altera fama ita ferebat, quia Isis frustum quodque mutilati mariti ita, ut repererat, humaverit, propterea multis in locis sepultum reperiri membrorum aliquid. Altera

117) Omitto alia ab aliis memorata. Recens inventi monumenti admonebo: *Inscriptio Rosetana* etiam mentionem facit munificentiae Ptolemaei Regis, quâ ille sacrarum bestiarum sepulturam curaverit. Lin. 13. τά τ' εἰς τὰς ταφὰς αὐτῶν (τῶν ἱερῶν ζώων) καθήκοντα διδοὺς δαψίλως καὶ ἐνδόξως.

118) Eandem fabulam attigerunt Tzetz. ad Lycophron. Vs. 212. p. 483 ed. Muelleri. Eudocia in Viol. p. 319 sq. et nuper a Gaisfordo editus Scholiastes ad Gregor. Nazianz. Carm. p. 50. Qui singuli fere ab antiquioribus auctoribus profecerunt.

fama congruit narrationi Diodoreae, per simulationem Isidis multiplicata Osirea monimenta esse tradens. Atque pro Iside postea, recentiores potissimum, sacerdotum fraudes posuerunt, quibus factum est, ut ubivis per universos nomos populus sibi persuaderet, suâ in provinciâ humatum eum deum esse. Zoëga autem de obeliscc. p. 284 hac de re hunc in modum pronuntiat: „Neque sola Memphitica regio hujusmodi cryptis usa est, sed quaecunque civitates propius admotae essent ad deserta, in utroque Nili latere, sua habuerunt coemeteria, quorsum defunctos suos vicina oppida deveherent ac vici, quibus locus sepulturae commodus deesset. *Hinc* fabula de Osiridis corpore lacerato ac frustatim sepulto per Aegypti metropoles, quanquam singulae integrum deum apud se sepultum praedicarent. Nam ubicunque communia essent et frequentia sepulchra, ibi Osiris quoque situs credebatur.“

Ego, si quaeris, nullam adhuc memoratarum caussarum ejicio. Neque enim infitias iverim, sacerdotes nihil reliqui fecisse, quominus populo persuaderetur, suâ maxime in provinciâ situm esse divinum Osiridis corpus. Neque tamen totius doctrinae ortum et quasi semina ex eo fonte duxerim. Altius repetendus est is fons et ex religionum vetustatis fere omnium communi quodam consensu. Nimirum ut hinc ordiar, tenendum inprimis illud est, *secundum ἱερὸν λόγον sacerdotalem bestiarum consecrationem repeti ex funeratione ac consecratione Osiridis.* Jam supra intelleximus, symbolico et usu et sermone Aegyptiorum hanc sententiam: *Osiris conditus est humi*, sive: *Osiris abiit sub*

terram, hoc pacto esse significatam, ut Osiridis cadaver *in bovem immissum* dicerent, adeoque docerent: *ejus animam abiisse in bovem Apim.* Hinc universum boum genus consecratum per omnes Aegypti partes. Nam quae in hieroglyphis ipsius *terrae* vim universam declarat bestia, ea non potest reliquis omnibus bestiis non anteire, quae singulae *terrae* frugibus vescuntur et *generando* genus suum propagant. Etenim generationis universae *et ipse taurus dignitatem potestatemque sustinet*; sive ut supra scriptum legimus: *γενέσεως γὰρ σύμβολον ὁ ταῦρος.* Quidquid porro ubicunque gignitur et adolescit et brutorum et ipsorum hominum, id generando fit, ejusque et domicilium terra est et conditorium. Quid quaeris? bos arator in his religionibus nanciscitur vim naturae omnium parentis; et rursus revocamur ad bovem illum primigenium Persarum. Atque hactenus spectatae religiones Aegyptiacae haud absurde dici a nobis possint *Mithriacorum sacrorum quasi quaedam uberior explicatio.* Verum haec nunc omittamus, et expediamus quae in promtu sunt. Atque ex iis, quae adhuc congessi, consequens est, ut Osiris tanquam *terrae animus et vis vitalis* universa nunc exstincta tradatur et occultata in bove, nunc renascens denuo cum in reliquis brutis tum in bovino genere, ac majorem in modum redux in Apide, et vivax in omnem perpetuitatem per singulorum brutorum hominumque [119]) et inprimis

119) Homines ne quis dubitet huc quoque pertinere, ubi de bestiis agitur consecratis, Porphyrii admonebo, qui de Abstin. lib. IV. p. 325 Rhoer. hominem quoque selectum ex aliis, coli et hostiis mactandis honorari pro-

Apidum per vices renascentium orbem. Jam Apidis periodum XXV annorum memoravimus in antecedentibus. Pertinebat ad solem pariter atque lunam. Atque in ejus bovis et natalibus et sacris notis solis lunaeque non minus clara vestigia. Unde consequens est, ut nec siderum nec Zodiaci vim eâ in re omittamus. Maturo autem vere, quando renascentis vitae plena sunt omnia, in bovis siderei domicilio sol lunae copulatur; unde rerum semina redundant in terram. Nihil igitur mirum, ubi sationis vim spectes, praeclare intelligi, qui fiat, ut in veterum religionibus bos et vacca sidereorum etiam armentorum gregumque agmina ducere dicantur. Hinc Zodiacus quasi alter parens cultus divini bestiarum. Qua de re postea paucis agam. Nunc illud adjiciam: si ea verba, quae Zoëga loco supra memorato posuit: „Nam ubicunque communia essent et frequentia sepulchra, ibi Osiris quoque situs credebatur“ igitur illa eam in partem si accipienda sunt, ut dicere voluerit: Ubi in terram cadunt mortales, ibi Osiris arat, et sementem facit; ibi semina corporum ille

---

dit, Anabe in vico Aegyptiaco. Sumserunt a Porphyrio Eusebius ac Theodoretus (vid. Orat. III. p.775 ed. Schulz.), qui tamen in eo errare videtur, quod Porphyrii epistolam ad Anebonem laudat. Vid. Galeum ad Jamblich. de Myster. p. 278. Etiam Minutius Felix eam hominis consecrationem attigit, in Octavio cp. 29. p. 184 sq. ed. Lindner. Ac cum bestias puras, tamquam Osiridis imagines et quasi particulas, cum in vita tum vitâ defunctas consecraverint per singulos nomos Aegyptii, et in ipsarum funeratione etiam Osiridem deploraverint: mirum foret, ni aliquo in nomo hominem aliquem vivum consecraverint. Mortuos enim homines ad Osiridis instar condîtos esse supra docuimus.

sator generis mortalis humi condit, quo mutatis vicibus aliquando alia renascantur, in eorumque succedant locum; pristina labuntur, resurgunt nova; vis vitalis universa nunquam exstinguitur; haec igitur similiave si intelligi voluit: neminem ille me magis suffragantem nancisci potest. Nam ubicunque necropolis fuit in vetere Aegypto, ibi Osiris sedem suam habere creditus est, tanquam terrae dominus et rex inferorum.[120])

---

120) Vis naturae vivax ac per orbem renascens quomodo ad Osiridem pertineat, arguunt reconditiores fabulae Bacchi, qui Osiris est, praesertim Argolicae, h. e. ejus terrae fabulae, quae regis filiam agnoscebat Ionem insignem formâ buculae; quae terra boves immittebat templis foveisque cum vario ritu sacro, quae urbem habebat vel a mugitu bovis vel ab ense appellatam quo bos confectus ferebatur. Non attinet h. l. exponere eas fabulas, quas alibi vel attigi vel exposui. Hoc unum faciam, ut hîc admoneam Bacchi ad Lernam phallorum auctoris, h. e. ejus tesserae, qua vis naturae semper vitalis rudi modo declarata est. Vide locum classicum Clementis Alexandr. in Protrept. p. 29 Potter.; unde Arnobius sumsit lib. V. cp. 28. p. 188. ed. Orell. A quibus rursus alii profecerunt, in his Eudocia p. 415 et Scholiastes in Gregor. Naz. Carmin. p. 45. In ejusdem Gregorii orationem εἰς τὰ φῶτα haec commentatur *Nonnus* (in cod. Monac. cujus excerpta mihi impertiit *Werferus*): *Ἑβδόμη ἐστὶν ἱστορία ἡ περὶ τῶν φαλλῶν τοῦ Διονύσου. „οὐδὲ φαλλοί τινες καὶ ἰθύφαλλοι·“ φαλλούς τινας ἐν τῇ ἑορτῇ τοῦ Διονύσου δερματίνους ἐπέφερον οὐρουσίου* (Tu lege ὀρθωσίου) *ἐσχηματισμένους εἰς αἰδοῖα ἀνδρὸς σπεριετίθεσαν* (l. οὓς περιετίθεσαν) *οἱ Ἕλληνες αὐτοῦ εἰς τιμὴν τοῦ Διονύσου. καὶ τινὲς μὲν τῶν φαλλῶν* (leg. ex Eudoc. et Gregor. Scholiast. *καὶ τινὰς μ. τ. φ.*) *ἀπήρτων ἀπὸ τοῦ τραχήλου ἑαυτῶν, τινὰς δὲ περὶ τὴν ὀσφὺν τὴν ἑαυτῶν* (*ἀπήρτων*), *μιμούμενοι αἰδοίων ὀρθίασαν.* (Eudoc. *μιμουμένους αἰδοῖον ὄρθιον* sic etiam Schol. Gr. nisi

Quod supra dixi *siderea armenta ac greges solis*, nec illud omittendum in consecratione bestiarum explicandâ. Longum est haec sigillatim persequi. Quocirca extremis duntaxat lineis adumbrabo. Jam si animalia Porphyrio recte dicuntur, videlicet e sententiâ Aegyptiorum, *μιμήματα τοῦ θείου* deorum imagines: nihil prius aut potius faciendum nobis est, quam ut in hac Aegyptiacarum et Mithriacarum religionum parte ad Zodiacum mentem applicemus.

---

quod *ὄρθεσαν*, unde expedita fit mutua correctio [f. *αἰδείων ὀρθίασιν. Spohn.*]) *τοῦτο δὲ ἐποίουν τιμῶντες τὸν ἐραστὴν τοῦ Διονύσου. εἶτα τοῦτο πρὶν ἐτύχη* (*πρὶν ἐπὶ τύχει* Schol. Greg f. *ἐπιτυχεῖν*) *τῆς ἀσελγείας καταπωθέν* (leg. *καταποντισθὲν* ex Schol.) *περὶ τὴν θάλασσαν* (Schol. magis definite *περὶ τὴν Λέρνην*, facta enim haec ferebantur ad Lernam paludem et ad Lernaea sacra pertinebant) *ἐτελεύτησεν. ὁ γοῦν Διόνυσος βουλόμενος ἀφοσιώσασθαι* (adde ex Schol. *τὸν ἔρωτα*) *τοῦ τελευτήσαντος μειρακίου, σύκινον αἰδοῖον ποιήσας περιῆψε* (Schol. addit *εἰς*) *τὸν ἑαυτοῦ τράχηλον. καὶ ἐκ τούτου τιμῶντες οἱ Ἕλληνες τὸν Διόνυσον, τοὺς φάλλους περιετίθεσαν ἑαυτοῖς.* Notum est, hodieque disputari, utrum phallorum origines ex Indiâ repetendae sint, an ex Aegypto. Illud negari nequit, apud Indos eam rem valde frequentatam esse antiquitus, et libros Indicos de hac re exstare multos. Vid. v. c. Hamiltoni Catalog. libror. Samscrit. biblioth. Paris. Reg. Nr. V — VII p. Magis nos advertere debet hoc, quod Indi doctrinam phalli et rudiorem et cultiorem norunt, atque illam Schivae attribuunt, hanc ei deo, quem Vischnu dicunt. Cf. Goerres asiat. Mythengesch. p. 559 sqq. Plane in eundem modum de hac ipsâ doctrinâ apud Graecos loquitur *Herodotus loco classico* II, 49. Nos hîc attendamus ad caput proxime antecedens, ubi Aegyptiorum *χοροὺς φαλλικοὺς* memorat, quos per Melampodem ad Graecos translatos dicit cp. 49. Atque illam vocem *φαλλῶν* ex Aegyptiaco etiam sermone explicare studuerunt Jablonski in

Vid. Pallantem ap. Porphyr. de Abstin. IV. p. 351 Rhoer. Nam reapse solem, unde siderei cultus omnis ratio potissimum manavit, hactenus, eodem Porphyrio duce in epistol. ad Anebon. p. 6. Gal. dicere possumus: *κατὰ ζώδιον μετασχηματιζόμενον.* Etiam hac in caussâ magistrum habemus Herodotum, cum dicit: II, 82. *καὶ τάδε ἄλλα Αἰγυπτίοισί ἐστι ἐξευρημένα, μείς τε καὶ ἡμέρη ἑκάστη θεῶν ὅτευ ἐστί.* Sunt enim dii Aegyptiorum magnam partem calendares, qui mensium signa inter se distribuerunt. Atque singuli,

---

vocc. Aegyptt. p. 367 et Zoëga de obeliscc. p. 213. Cujus rei penes alios arbitrium esto. Ego hoc nunc teneri velim, in aquis perditum ferri Osiridis veretrum apud Aegyptios, Plutarcho teste, de Isid. p. 358. p. 468; in aquis item obiisse illum Bacchi socium, qui in descensu ad inferos ei aderat, phallique inventi caussam suppeditarat, docebant Lernaea mysteria Argivorum. Porro Isis in re funebri phallum consecrat (Plutarch. de Isid. l. l.). Idem facit Bacchus in itinere ad inferos facto. Atque in sepulchris nemo nescit constitutos esse phallos a priscis populis, qui nec rudiorem significationem detrectarent. Quid rudiorem? In ipsis illis affabre exornatis sepulchris Regum Thebaïcis, deorum ipsiusque Osiridis signa frequentantur erecto fascino luxuriantia. Vid. Descript. de l'Egypte Antiqq. Vol. II. p. 411 sqq. Atque hunc Osiridem ithyphallicum novit, et recte explicat Plutarchus de Isid. p. 371. p. 522: Ita enim de eo: *Πανταχοῦ δὲ καὶ ἀνθρωπομόρφον Ὀσίριδος ἄγαλμα δεικνύουσι, ἐξορθιάζον τῷ αἰδοίῳ διὰ τὸ γόνιμον καὶ τὸ τρόφιμον.* Igitur quam *vim gignendi et alendi bovis symbolo declaratam volebant Aegypti, et qnidem in sepulchris; eam ibidem etiam fascino erecto significabant.* Quae alia eam in rem nuper iteratis studiis disputavit doctissimus Payne Knight in libro qui inscribitur Inquiry into the symbolical Language §. 23. p. 13 sqq.: ea apud ipsum legi malo.

ubi signa sua ingrediuntur per mensium singulorum orbem, non minus in coelo dicuntur animalia ingredi, quam bovem ingredi dicitur in terrâ Osiris. Jam ubi illud invaluerat, ut certis animalium figuris notaretur et siderum potiorum (Zodiaci) et mensium orbis, in fastis condendis consecraverunt has ipsas figuras sacerdotes, quo penitus eae in memoriâ hominum defigerentur. Hinc τῶν θεῶν γράμματα quae dicuntur veteribus Aegyptiis, ea ad bestias potissimum pertinent. Hinc etiam illa vox, quam antiquo more scripsit Herodotus IV, 88. ζῶα γράφω ab initio ad hieroglyphicorum inprimis characterum scriptionem accommodata fuit.[121]) Quarum rerum etiam non nihil ad Graecorum deorum nomina permanasse suspicabantur veteres, ut v. c. Solem leonem, Dianam lupam, aliaque nomina vel cognomina deorum dearumque hinc repeterent.[122]) Indidem nata fabularum seges, quibus dii deaeque vario modo in animalia conversi fingerentur. Cujusmodi aliquam ex Graecorum theogoniâ desumtam ad bestiarum cultum Aegyptiam translatam vidimus a Diodoro lib. I. cp. 86. Quam levitatem nos quidem melius vitabimus, ubi nos unice continebimus in sacerdotalis doctrinae scripturaeque ac sermonis terminis. Ac, ne multa disseram, proxime monui, a solis, per signa coeli insigniora meantis, annuo orbe hac in re pendere plurima. Solem autem Aegyptiis Osiridem dictum

121) Vid. quos de hoc verbo laudavi in Meletemm. part. I. p. 51. not. 19.

122) Porphyr de Abstin. IV. p. 351 seq. Aliter haec eadem explicat idem lib. III. p. 253 Rhoer.

esse supra docuimus. Hoc loco illud addamus: Osiridem solarem appellatum esse Σείριον.[123]) In eodem Sirio habitare Isidem etiam docebant Aegyptii (vid. inscriptionem apud Diodorum lib. I. cap. 27. p. 31 Wesseling.). Habebat autem canicula binas stellas prae ceteris splendidas, alteram in capite, quam Isidem vocabant, in linguâ alteram Sirii nomine insignem.[124]) Jam nemo nescit, caniculae quasi dominum esse Anubidem, sive Mercurium, canino capite imposito notabilem, i. e. eum deum qui Isidi et Osiridi in omni vitae actione adest, et necati dei corpus studiose inquirit[125]) ac rite condîtum ad Nilum defert. Ac Nili crescentis et annonae felicis abs Anubide auguria capere solebant sacerdotes. Sirius ejusque praeses deus universi anni nuntius est habitus. Ab eo igitur deo, qui, quatenus mente suâ moderatur inferiora omnia, Thoth-Hermes dictus, igitur ab eo quidquid luminis i. e. consilii salutisque in solem, atque a sole in lunam, indeque rursus in terram defluxit, id quotannis tanquam ex primario fonte repe-

123) A Graecis sic vocatum refert Plutarch. de Isid. p. 372. p. 525 Wytt. Sed ejus appellationis caussam vetustam esse, atque e Zodiaci ratione Aegyptiacâ fluxisse, continuo intelligetur.

124) Eratosthen. Catasterism. cp. 33. p. 27 ed. Schaub. ubi a vibratione flammae Sirii nomen repetitur. Cf. etiam Plutarch. de Isid. p. 376. p. 538 Wytt. Reliqua, quae proxime sequuntur, Jablonskius veterum locis confirmavit in Panth. II. p. 34 sqq.

125) Ac canes ejusdem inquisitionis fidi socii fuisse ferebantur. In ejus rei memoriam in Isidis die festo pompam ducebant canes, uti prodit Diodorus Siculus I. cap. 87. p. 97 Wessel.

titur; ita tamen, ut ipse quae mentis sunt impertiat, quae in communibus bonis censentur, ea omnia Isidis arbitrio atque Osiridis sint commissa. Itaque idem ille latrator Anubis, in coeli fastigio ac quasi speculâ locatus, sagacitate suâ praecellit reliquas bestias omnes, velut sagacissima bestia canis. Sequuntur, soli lunae que adjuncti, bos et bucula, Osiris et Isis, a quibus omnia[126]) procurantur, quibus vita communis juvatur augeturque.

Hos excipit grex reliquorum animalium in solis orbitâ consistentium; quorum domicilia sicubi in-

126) Plutarch. de Isid. p. 368. p. 507. *ὁ γὰρ Ὄσιρις ἀγαθοποιὸς, καὶ τοὔνομα πολλὰ φράζει, οὐχ ἥκιστα δὲ κράτος ἐνεργοῦν* (*εὐεργετοῦν* Markland) *καὶ ἀγαθοποιὸν ὃ* (*ὡς* Wyttenbach.) *λέγουσι.* Idem ibid. pag. 383. pag. 566. — *μηδὲ ῥητὸν ἀνθρώποις κάλλος. οὗ τὴν Ἶσιν ὁ παλαιὸς ἀποφαίνει λόγος ἐρῶσαν ἀεὶ καὶ διώκουσαν καὶ συνοῦσαν, ἀναπιμπλάναι τὰ ἐνταῦθα πάντων καλῶν καὶ ἀγαθῶν, ὅσα γενέσεως μετέσχηκε.* Igitur quidquid in rebus sensilibus ac caducis forte ac durabile, quidquid boni ac pulchri inest, id auctoribus Osiridi et Isidi debetur, qui ipsi, quatenus summis diis accensentur, neque tamen a perpetuo ac stabili divinarum rerum ordine dissociantur, sinceri atque incorrupti permanent. Jamblichus de myster. VI, 7. p. 148 sq. gal. *διὰ τοῦτο γὰρ μένει ἐν τάξει τὰ τοῦ παντὸς μόρια, διότι ἡ ἀγαθοποιὸς τοῦ Ὀσίριδος δύναμις ἁγνὴ καὶ ἄχραντος μένει, καὶ οὐ συμμίγνυται πρὸς τὴν ἐναντίαν πλημμέλειαν καὶ ταραχήν.* Sequuntur similia de Iside. Quocirca *Osiris*, licet *mortuis imperare dicatur*, — *ὁ δ' ἐστὶ μὲν αὐτὸς ἀπωτάτω τῆς γῆς ἄχραντος καὶ ἀμίαντος καὶ καθαρὸς οὐσίας ἁπάσης φθορὰν δεχομένης καὶ θάνατον.* Sunt verba Plutarchi de Isid. p. 382. p. 565. — Haec ego propterea h. l. apponenda duxi, ut ne, cum *vitae communi* praeesse dixerim Osiridem et Isidem, ad *mortalium* conditionem eos detrudere velle videar.

greditur, mutuatur ab ipsis eorundem vultum et speciem. Hinc deorum personatorum chorus per annuum circulum ingrediens. Hinc bestiae deorum imagines et nuntiae, praecones anni, indices tempestatum. Jam vero quam haec universa ratio vim habeat ad metempsychoseos doctrinam vel effingendam vel explicandam, deinceps a nobis adumbrabitur. Hîc illud volumus intelligi quod venuste eloquitur Porphyrius de Abstin. III, 16 — *τὰ ζῶα θεοῖς — καὶ θείοις ἀνδράσιν ἐξ ἴσου τοῖς ἱεροῖς ἱκέταις τετίμηται.* Igitur bestiae tanquam supplices hospitii apud deos quasi sanctissimo jure utuntur, eorumque consuetudine fruuntur. Non addam quae idem scriptor de cultu bestiarum Aegyptiaco continuo subjicit. Admonebo alterius loci in eodem libro, ubi posteaquam de mixtis e belluâ et homine diis expositum est, hoc adjicitur: significari hac figurarum mixtione societatem atqûe cognationem, quae, non sine deorum voluntate, homines inter atque animalia intercedat. Quas caussas propterea probabiles judicamus, quia et priscae simplicitatis ac nativae pietatis luculentam significationem habent. Hinc optime Olympiodorus in vitâ Platonis p. 30 ed. Fischer. p. 7 Beckii: *Ὃ γὰρ παρὰ τοῖς Ἕλλησι δύναται τὰ ἀγάλματα, τοῦτο παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις τὰ ζῶα, σύμβολα ὄντα ἑκάστου τῶν θεῶν, ᾧ ἀνάκειται.* Nam reapse, si harum rerum primordia spectes, *signa* s. *symbola deorum* fuisse animalia, dubitari nequit; et v. c. Apim Osiridis locum sustinuisse ex antecedentibus intelligitur. Illud tamen anquirendum restat, quî factum sit, ut corporibus humanis imponerentur brutorum capita, vel, ut in sphinge usu venit, brutorum corporibus adde-

rentur humana capita. Ejus rei rationem duplici modo expediri posse crediderim; primum, ut superiora redigamus in memoriam, et reputemus fuisse apud Aegyptios sacras arculas, in bestiarum formam efficctas, in quas et dii et homines principes post mortem ferrentur inclusi esse. Atque in divinis illis exequiis belluarum simulacra adhibita fuisse ac personas, s. larvas, arguit locus Diodori memorabilis I, 96: *τὸν μὲν γὰρ ψυχοπομπὸν Ἑρμῆν κατὰ τὸ παλαιὸν νόμιμον παρ' Αἰγυπτίοις, ἀναγαγόντα τοῦ Ἄπιδος τὸ σῶμα μέχρι τινὸς, παραδιδόναι τῷ περικειμένῳ τὴν τοῦ Κερβέρου προτομήν.* [127]) Habes rem scenicam in ferali pompâ dei Apidis. Neque vero astronomiae ratio omittenda est in his rebus explicandis. Loquitur Pallas apud Porphyrium de Abst. IV. p. 351. *ὅ τε τὰ Λεοντικὰ παραλαμβάνων, περιτίθεται παντοδαπὰς ζώων μορφάς.* „Qui Leontiacis (in Mithriacis) initiatur, varias animalium formas sibi imponit.“ Deinde continuo Zodiaci admonet scriptor, licet et ipsius animae vicissitudines memoret. Sed hanc doctrinam metempsychoseos nunc quidem omittamus. Haec lucem afferunt Diodori Siculi loco memorabili I, 62. Refert sacerdotum Aegyptiorum sententiam de Proteo rege, Homeri carminibus nobilitato; qui quam ventorum tempe-

127) Cf. Wesseling. ad h. l. Plutarchi locus est p. 380. A. p. 554. Wyttenb. ubi item in rebus Aegyptiacis memorat *θηρίων χρυσᾶς προτομὰς καὶ ἀργυρᾶς περιτιθεμένους.* — Mercurium animarum deductorem — *Ἑρμῆν ψυχοπομπὸν* — saepius exhibent anaglypha Thebaïca. Quo in numero habetur etiam ea icon, quam nos in tabulâ subjectâ praestitimus ex iisdem monumentis desumpta. *Vid. fig.* 4.

statumque scientiam habuerit; eam *ex assiduâ* astrologorum familiaritate adeptum esse. Quod idem varias in formas se mutare potuisse feratur, eam fabulam Graecorum fluxisse ex Aegyptiorum prisco instituto: — *ἐν ἔθει γὰρ εἶναι τοῖς κατ᾽ Αἴγυπτον δυνάσταις περιτίθεσθαι περὶ τὴν κεφαλὴν λεόντων καὶ ταύρων καὶ δρακόντων προτομὰς, σημεῖα τῆς ἀρχῆς.* [128]) Quibus subjicit, nonnunquam arbores

128) Haec in memoriam redigunt valde priscam fabulam Pygmaeorum personatorum, cum gruibus decertantium; de qua non repetam quae Heynius ex veteribus recentioribusque scriptoribus adhibuit loco Homerico Iliad. III, 6; et ipse adumbravi in Mythologiâ Vol. I. p. 274. 315. Adscribam scholion ex codice mscr. Iliadis Palatino, nunc rursus Heidelbergensi, nr. 40. et deinde ex Anaglyphis Thebaicis nonnihil mentionis subjiciam: — *ἀνδράσι Πυγμαίοισι*" supra lineam scriptum: *τοῖς πηχιμαίοις*. Scholion autem ita habet: *λέγεται ὅτι οἱ Πυγμαῖοι οὐδὲ πηχυαῖοι τὸ μέγεθός εἰσι. παρωνομασμένοι γάρ εἰσι πυγόνι* (Hoc vocabulum recte in Apollonii Lex. Homeric. p. 578 restituit Villoison. Tu cf. Photii Lex. gr. p. 349 et Zonar. Lex. gr. pag. 1593). *πυγούσιον δ᾽ἔστι διάστημα τὸ ἀπὸ ἀγκῶνος ἕως τοῦ μικροῦ δακτύλου ἢ καὶ τῶν δακτύλων συνεσταλμένων· ἱστορεῖται δὲ ὅτι καὶ κέρατα περιτίθενται ὡς ἐν σχήματι κρειῶν* (leg. *κριῶν*. Eustath. ad h. l. p. 281. Basil. *καὶ ἐν σχ. κρ.* Scholl. Venett. Villois. p. 87 *ἐπὶ σχημάτων κρειῶν*. Schol. Lips. cujus excerptum Hermanno acceptum refero: *μετασχημάτων κριῶν*. Singuli autem Hecataeum ejus rei auctorem produnt, quem omisit Scholiast. Palat.) *καὶ κρόταλα ψοφοῦσι, καὶ οὕτω τοὺς* (l. *τὰς*) *πυγμαιομάχους γεράνους ἀμύνονται καταφρονούσας ἄλλως τοῦ μήκους. γεωργικοὶ δὲ εἰσὶ ὡς φύσιν.* (Haec ab aliis quoque tradita et in scholiis etiam minoribus adumbrata de Pygmaeorum agricultura ejicit Apollonius in lexici l. l.) *ὅτι δὲ καὶ ἀξίνῃ ἐχρήσαντο ἐπὶ τὸν ἄσταχυν γελοῖον μὲν καὶ οὐ πιθανὸν, λέγεται*

quoque et ignem ac suffimenta fragrantia in cervice gestasse, cum decoris parandi caussa, tum stuporis aliis injiciendi.

Jam eo res deducta est, ut circumspicienda videantur ipsa monumenta veterum Aegyptiorum, signa, anaglypha, picturae. Ac nemo nescit, quibus virorum doctorum disputationibus locum fecerit testimonium Strabonis; qui de templo aliquo The-

---

δὲ. εἰσὶ δὲ καὶ οὗτοι κατὰ τὸν Ἀριστοτέλην τρωγλοδύται τὸν βίον. Ad extrema faciunt haec in margine alterius codicis Iliad. videlicet Palat. Heidelberg. nr. 222: *Πυγμαῖοι ἔθνος αἰγυπτίου* (leg. *αἰγύπτου* vel *αἰγύπτιον*). Extrema autem sumta sunt ex Aristotelis Hist. Animal. VIII, 14. 2. p. 569 ed. Schneid. qui ad Nilum transfert Pygmaeos, et fabulae eximit. In qua interpretandi ratione plures socios nactus erat, ut Ctesiam. (Plin. H. N. VI, 30. IV, 19. X, 23. VII, 2.) Strabonem XVII. p. 621. Tzsch. Aelianum H. A. II, 1. III, 13. alios, licet non usquequaque inter se consentientes. Quam rationem nunc non dirimam, nec magis judicabo quae nuper vir doctus hanc in rem contulit in the classical Journal Tom. III. p. 373 seq. Illud semper ingeniosum judicabitur, quod Pygmaeos ad Nili *πήχεις* s. cubitos retulere nonnulli; unde hoc collegerunt, fluvio sub autumni exitum decrescente grues advolare et semina recens sparsa depasci. Ego alibi numorum admonui, in quibus Nili cubiti puerulorum specie exhibentur. Hoc loco memorabo anaglypha, quae fortasse huc faciant. Nihil juvamur eâ picturâ, quam Tischbeinius nuper exhibuit in Homericc. picturr. II, 7. et Millin. repetiit in Galerie Mythol. nr. 600. Est enim ea ad Homerici carminis indolem efficta. In Thebaicis autem anaglyphis offendimus nunc sacerdotes, uti videtur, personatos ita, ut falconum, gruum, chacalorum, taurorum capita imposita gerant. Atque ab ejusmodi sacerdotibus configi etiam videas homunculos, pygmaeorum magnitudine. Vid. v. c. Descript. de l'Egypte

baico ita prodit lib. XVII. p. 805. p. 556. Tzsch. delubrum habuisse: — *ξόανον οὐδέν, ἢ οὐκ ἀνθρωπόμορφον, ἀλλὰ τῶν ἀλόγων ζώων τινός.* Unde Warburtonus negatum ivit, antiqua esse, quae in Aegypto visantur signa deorum humanâ formâ praedita. Alii haec ipsa ad templorum solos ministros referri maluerunt, Pocockius, Fea, alii. Quibus oblocutus est Winckelmannus in Histor. Art. I. p. 88 ed. noviss. Dresd. aliquot figuras mere humanas et priscas esse dictitans et deorum quoque. Ac verum vidisse Winckelmannum nunc quidem nemo infitias eat, qui anaglypha illa Thebaica in magno opere Francorum perlustraverit, eorumque disputata legerit. Etenim et Isidem atque Osiridem saepiuscule humanâ formâ exhiberi eâque haud inconcinnâ, nonnunquam eleganti etiam, eorum virorum opera extra dubitationem posuit. [129]) Eorundem hominum diligentia eam vim habere debet, ut nunc plura distinguere possimus, vel minus subtiliter exposita a monumentorum Aegyptiorum interpretibus, vel in scriptoribus minus recte intellecta. Sic, ut hoc utar, ejusdem

---

Antiqq. Vol. II. cap. 9. sect. 1. p. 49. Ac suspicari licet, Pygmaeorum fabulam aeque ac Cercopum ex Aegyptiorum Zodiacis sculptis pictisque originem duxisse. De Cercopibus dicam alio loco. Hîc in clausulâ verbo attingam ea quae nuper admodum Schellingius ingeniose conjecit de Pygmaeis, tanquam *θεουργοῖς*. Vide ejus librum de Diis Samothraciis p. 55 sq. p. 98 sqq. Quae nec ipsa omittenda sunt ei, qui aliquando hoc fabularum genus explicare instituat.

129) Vid., ut hoc utar, Descript. de l'Egypte Antiqq. Vol. II. p. 163.

operis auxilio [130]) pro certo pronuntiare possumus, in loco Diodori distinguendas esse duas narrationes, penitus diversas. Videlicet altera personas s. larvas attingit, quas Aegyptiorum reges sibi praetenderint: altera pars loci hoc poscit, ut de rebus cogitemus, quas in attributis duntaxat habendas esse ratio docet. Et reverâ, cum antea viri aliquot docti compositas illas ex homine et belluâ figuras ad unum omnes ad larvarum usum referre instituerint; nunc meliora edocemur. Nimirum in Thebaicis anaglyphis ac picturis talia deorum gestamina offendimus, quae reapse in sacrâ pompâ a sacerdote, dei alicujus partes gerente, nunquam sunt, nec unquam in quoquam gestari potuerunt. Quocirca consequens est in solis *attributis* esse numeranda, quibus sculptura et pictura deos notos facere ac distinguere inter se voluerit. Nec aliunde lux afferri potest posterioribus Diodori verbis, quae supra carptim exhibuimus. Neque tamen propterea ejicienda sunt penitus ea, quae et veteres et recentiores de diis deabusque horumque sacerdotibus *personatis* tradunt. Apparent in picturis saepius commissurae, quibus facies humana a belluinâ larvâ distinetur. Observaverat jam Denonius; et quas majoris operis editores icones adjecerunt, eae neminem oculatum dubitare patiuntur. Quod et hoc loco et in antecedentibus *humanam formam* etiam *Aegyptiacorum deorum* satis frequentatam esse dixi, hoc ita fuisse vel ratio docet. Etenim si constare sibi Aegyptiorum sacerdotes volebant, hominis etiam

130) Vide operis citati Antiqq. Vol. II. p. 127. p. 275 coll. Vol. I. p. 33.

forma attribuenda diis erat deabusque non minus. Ita siquidem docebant: vim vitalem universam ac solis terraeque animum dispertiri per omnia, quotquot sunt, fuerunt ac futura sunt, corpora, ac sicut solis radii micantes vibrant in labente aquâ, sic vitae universae scintillas quasi emicare in singulis bestiarum hominumque formis: [131]) proinde nec *hominis* consecrationem desiderari volebant in sacris corporibus, per omnes nomos Aegypti meantibus, et uni oppido adsignarunt eas partes, ut *hominem* etiam homines divino cultu prosequerentur. Jam cum reliqua animantia tanquam symbola ita copularent cum diis, ut illorum quoque capita his imponerent: manca erat haec universa ratio hieroglyphica, ni aliquando integram illibatamque hominis formam diis interponebant. Haec hactenus. Extremum illud adjungam, quod et ipsum nunc corrigere possumus. Fuerunt nuper aliquot nostrates, nec invenusti illi homines, qui ita docerent: Persae aliique populi orientales animalium corporibus adjunxerunt capita hominum: Aegyptii bestiarum capita corporibus humanis. Nimium universe ac minus subtiliter. Arguunt eadem anaglypha quae grandi opere Gallorum continentur. Vides Canobos illos, (quos pro recentioribus commentis antea habebant viri haud

---

131) Quas cum *divinas literas* dicerent Aegyptii, harum auctorem magistrumque prodebant Mercurium. Ac sicut Osiridis corpus per omnes nomos continenter reviviscere creditum in animalium generibus: ita mens Mercurii deinceps quasi evolvitur tot voluminibus librorum sacerdotalium; quorum corpus hactenus Mercurii nomine appellatur. Illa sunt *corpora Osirea:* hi, *Hermetici libri.*

indocti) eosque in *antiquissimis* templis Thebarum aliarumque urbium Thebaidis obvios. Vides hominum capita varie juncta truncis bestiarum; v. c. accipitrem humano capite insignem, et quae alia [132]) mirifice composita exhibet illud opus. Nam sphinges memorare velle putidum sit, etsi in hoc quoque genere ea recens offendimus, quae nos advertere debeant.

His omnibus, quae adhuc disputavi, expeditum esse reditum arbitror ad insigniora *Herodoti* nostri his de rebus testimonia. Ordiamur a loco primario II, 42. ubi Noster ita: *Ἀμμοῦν* [133]) *γὰρ Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία· τοὺς δὲ κριοὺς οὐ θύουσι Θηβαῖοι, ἀλλ' εἰσί σφι ἱροί διὰ τοῦτο.* [134]) *μιῇ δὲ ἡμέρῃ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐν ὁρτῇ τοῦ Διὸς, κριὸν ἕνα κατακόψαντες*

---

132) Vid. Descript. de l'Egypte Antiqq. Vol. I. pl. 60 ibique Jomardi viri ingeniosissimi observata cap. 5. §. 4. p. 24.

133) *Ἀμοῦν* Eustath. in Dionys. vs. 211. vid. Wessel. Nec aliter cod. Paris. Jamblichi de Myster. VIII, 3. ibiq. Gal. p. 302. Atque hanc scripturam veram pronuntiat Jablonski II, 2. p. 166 seq. et in Vocc. Aegyptt. p. 30 seq. Eandem servavit Plutarch. de Isid. p. 354. p. 453. duas hujus vocis explicationes proferens, alteram Manethonis, Hecataei Abderitae alteram. Alia tentarunt recentiores; vid. Jablonski l. l. ibiq. Te Water. Quas lites diremit nuper Champollion in libro: l'Egypte s. l. Phar. I, 217 sq. qui se in lexico coptico biblioth. Reg. Paris. reperisse testatur, eam significare: *gloria*, *celsitudo*, *sublimis*, eamque appellationem recte cadere in principem deorum Aegypti omnium.

134) Narraverat Herodotus in antecedentibus *ἱρὸν λόγον*, quo ducti Aegyptii Ammoniique Jovis imaginem fingerent arietinâ facie.

καὶ ἀποδείραντες, κατὰ τωὐτὸ ἐνδύουσι τὤγαλμα τοῦ Διὸς, καὶ ἔπειτα ἄλλο ἄγαλμα Ἡρακλέος προσάγουσι πρὸς αὐτό· ταῦτα δὲ ποιήσαντες, τύπτονται οἱ περὶ τὸν ἱρὸν ἅπαντες τὸν κριὸν, καὶ ἔπειτα ἐν ἱρῇ θήκῃ θάπτουσι αὐτόν. Qui unus locus, si cum antecedentibus componatur, continet quodammodo universam rem, in quâ explicandâ versamur. Habet enim arietum consecrationem et solemnem funerationem, habet Jovem Ammonem arietinâ facie insignem, habet *ἱερὸν λόγον*, rationi reddendae destinatum, videlicet ad captum vulgi. Ac vide quomodo arietem caedant Thebani, et eundem tamen plangant. Nimirum caedunt haud dubie ad significandum transitum solis, plangunt propter Osiridem, utpote cujus quaedam imago aut particula in eo hirco obierit. Atque illud ipsum anquirendum jam est, quid sibi voluerit ille *ἱερὸς λόγος*. Qua de re quae ipse alio loco conjecerim, hîc non repetam: aliorum sententias memorabo. Atque Jablonskius in Panth. II, 2. §. 5. 7. *Amun* accipiens tanquam *lucidum*, hunc Ammonem Thebarum dicit esse introitum solis in signum arietis, i. e. primordia veris. Obloquitur Jomardus in Descript. de l'Eg. I, 3. p. 16 sq. negans in ariete antiquitus veris initia s. aequinoctium vernum fuisse: in tauro potius fuisse. Continetur haec res cum universâ ratione Francogallorum, qui nuper de Zodiacis per templa Aegyptiorum vetusta obviis disputarunt; quam ego dijudicare nec volo, nec, si velim, possim. [135])

---

135) Vid. de Aegyptiorum Calendariis universe quos laudat van Goens ad Porphyr. de Nymph. antro p. 113. et Dupuis Religion universelle Tom. VI, 1. p. 425 seq.; de Thebaidis autem Zodiacis consule Jollois et Villiers sur

Sequitur locus *Herodoti* II, 65. Quem cum supra ex parte jam tractaverim, et in hac rerum copiâ brevitati consulendum credam, illud faciam, ut similis argumenti locos complectar, ac de omnibus junctim dicam, quae maxime necessaria videantur. Sunt autem hi: II,65.66.67.69.71.72.74; quibus locis memorantur *ibes*, *accipitres*, *feles*, *canes*, *ichneumones*, *mures aranei*, *ursi*, *lupi*, *crocodili*, *hippopotami*, *lutrae*, *lepidoti*, *anguillae*, *vulpanseres*, (*phoenix*) *et sacri*

---

les monumens astronomiques de l'Egypte in opere: Descript. Vol. II. Append. p. 1 sqq. et Remi Raige memoire sur le Zodiaque nominal et primitif des anciens Egyptiens; ibid. Memoires libr. I. p. 169 sqq. Jovem Ammonem quod attinet, de ejus templo, quod Thebis est, vid. Strabonem XVII. p. 815. p. 597 Tzsch. Quocum componenda est Descript. de l'Egypt Antiqq. Vol. II. p. 255 seqq. Nimirum Jovis Ammonis templum hodieque superest in Thebarum reliquiis, meridiem versus prope Karnak. In ejus fani aditu utrinque locati erant arietes plurimi ex grandi lapide, quorum hodieque haud ita pauci reliqui sunt. Recumbunt sphingum in morem, gerentes ante pectora dei anaglyphum, in manibus tesseras sacras. Ibidem ante magnum palatium superest sphingum genus grande, ita compositarum, ut leonino corpori impositum sit caput arietis. Vid. ibid. p. 207. 254. In quibus symbolis iidem viri docti eam sententiam inesse volunt, ut solis domicilium in signo arietis significetur. Nec minus magnum templum Latopoli (Esne) residuum Jovis Ammonis fuisse suspicantur. Ac frequentantur in eo ejus dei imagines, nec minus imagines sphingis virgineo capite insignitae. Vid. ibid. Vol. I. cap. 10. p. 7. Cujusmodi sphinges ad Virginis signum refert de Schmidt (de origine Zodiaci. p. 51) in quod cum sol ingreditur, Nilus inundare Aegyptum soleat. In eo autem Zodiaco, qui pictus visitur in templo Latopoli, solstitium aestivum in signum Virginis incidisse conjicit Remi Raige

denique *serpentes* per nomos[136]) Aegypti consecrati, et post mortem rite condîti, sacrisque conditoriis sepulti. Ac quae de mumiis bestiarum per varias Aegypti partes repertarum alii viri docti ex peregrinatorum libris congesserunt, ea ego non repetam. Qui haec anquirere gestiat, is adeat quos plurimos diligenter excitant Zoëga de obeliscc. p. 283 seqq., Silvestre de Sacy in annott. ad Ab-dollatifii Relat. de l'Egypte p. 202. p. 277 seqq., et Blumenbachius in symbolis vernacc. ad Histor. Natur. II. p. 86. p. 140 sq. *Memphiticas* autem hujusmodi religiones quod attinet, magno argumento sunt ea, quae itineraria exhibent de brutorum cadaveribus arte medicâ condîtis et in deserto Saccarae magno numero repertis; in quibus mumiis plurimae avium sacrarum sunt.[137]) Thebaicae autem cryptae quae ex hoc genere con-

---

l. l. p. 180. Idem vir doctus antiquissimam Zodiaci rationem apud Aegyptios hanc fuisse suspicatur, ut inventa fuerit haec scientia, quo tempore in capricorno fuerit solstitium aestivum; proinde arietem antiquitus relatum esse ad aequinoctium autumnale, ad mensem Paophi (φαωφί). Eodem Jomardus l. l. Vol. I. p. 16. refert Jovem Ammonem, utpote qui etiam caeruleo colore pingatur, quo significetur aqua Nili, quae sub solstitium autumnale universam paene Aegyptum inundet. Quibus de rebus spero fore ut certiora nos edoceat Pfaffius, Professor Herbipol., qui nunc commodum in Aegyptiorum astronomiâ explicandâ elaborat.

136) Cf. de his nomorum religionibus, quibus animalia consecrata sunt, locos geminos Diodori I, 84. ac Strabonis XVII. p. 582 sqq. Tzsch.

137) Paul Lucas itin. anni 1714. Vol. II. p. 99. Schaw. Tom. II. p. 158.

tinent, ea diligenter descripserunt, et tabulis adhibitis illustrarunt magni operis auctores.[138]) Quorum ego summam exhibebo et notas meas aliquot subjiciam.

Ac primum Thebaicis in conditoriis reperiuntur et quadrupedes et aves et reptilia medicata, mumiarum humanarum in modum. Ex avibus: ibis, cuculus, accipiter, aliaeque ex carnivorarum genere; ex quadrupedibus: bos, canis, thos,[139]) aries, felis, aliae bestiae; e reptilibus: crocodilus, serpens. Conditura autem animalium defunctorum non inferior est hominum conditurâ, nec medicamentis, aroma-

138) In his *Rouyer* in Descript. de l'Egypte Livraison X. p. 219 sq. et inprimis *Jomard* ibid. Vol. I. Livr. 2. sur les hypogées de Thèbes Sect. X. §. 8. p. 347 sqq.

139) Θώς. Lupum cervarium appellant nonnulli, hodie Chakal. Tu vid. Aristotel. hist. anim. IX, 44. (31) ibiq. Schneider. Annott. p. 232. et Oppiani Cyneg. III, 336 ibiq. interprr. Illud non omittendum est, quod de hac bestiâ tradunt Indi, quorum in fabulis οἱ θῶες primarias partes habent. Vid. modo libri Indici Kalile et Dimna translat. graec. quae ita inscribitur: Specimen Sapientiae Indorum veterum ed. S. G. Stark Berolin. 1697. pag. 10 seqq. Est enim universus hic bestiarum cultus sacer conjunctus cum veteris Indiae religionibus; unde La Crozius in Hist. Christ. Ind. lib. VI. p. 426 Aegyptiacarum religionum et alias partes et hanc inprimis repetiit. Quam sententiam nuper alii eruditi sunt amplexi. Ego Herodoti admonebo, qui lib. III. cap. 100 ita: *Ἑτέρων δέ ἐστι Ἰνδῶν ὅδε ἄλλος τρόπος, οὔτε κτείνουσι οὐδὲν ἔμψυχον κ. τ. λ.* De quibus dicere nihil attinet. Caeterum luporum cervariorum (chacalorum) mumiae haud paucae hodieque reperiuntur Lycopoli in Aegypto, testante Jomard. in Descr. de l'Eg. sur les hypogées de Thèbes Sect. X. §. 8. p. 353.

tibus cet.,[140]) nec operâ adhibitâ, neque vero involucrorum, fasciarum cet. praestantiâ. Obtinet autem inter bestiarum mumias eadem differentia atque inter mumias hominum. Maximo sumtu ornamentoque condîta sunt cadavera *ibium et accipitrum.*[141]) Magnarum bestiarum non integra cadavera sunt condîta, sed partes tantummodo aliquot, ossa praecipue, imposito capite factitio. Lycopoli tamen integrae thoum (Chacalorum) mumiae sunt repertae.

140) Egregie confirmatur Diodori testimonium I. 83. p. 94 Wessel. cedrinum oleum aliaque ad bestiarum conditaram adhibita narrantis, quae et fragrantiam et diuturnitatem formae praestarent.

141) Rationem si quaeris consule Herodotum II, 65. extr. qui locus vicissim hinc lucem nanciscitur. De ibium mumiis adde Savigny in lib.: Annales de Mus. d'histoire natur. T. IV. nr. XX. p. 116. Ea res nunc demum post apertas cryptas Thebaicas recte intelligitur, quae inprimis germanam integramque condituram arguunt; quod vel avium mumiae docent, alarum etiam coloribus illibatae. Cf. Jomard. l. l. p. 347 seq. Alios modos condiendarum ibium, sine vasculis, sed puparum in morem, descripsit Blumenbach. l. l. qui alio in libro: Abbildungen naturhistor. Gegenst. ibis mumiam delineatam exhibuit. part. IX. Ad Herodoti locum II, 67. adhibe Champollion. l'Egypte s. les Phar. I. p. 295. qui historiae patrem vindicavit a Larcheri dubitatione, et reapse ibium mumias Hermopoli Magnâ conditas esse confirmavit. Idem vir doctus ejus avis nomen Aegyptiacum explicat: *Hip.* Est autem Numenius secundum rationem Cuvierii. Atque ut quaevis privatorum domus per universam Aegyptum avem suam sacram nutrire solebat: ita ibis in templis nutrita et quasi deorum consuetudini admota est. [Adde: Langguth. Programm. de mumiis avium in Labyrintho prope Saccaram repertis. Vitemb. 1803 sqq. 4 c. fig. *Spohn.*]

§. 13.

De insulâ Philensium Osiridis sepulchro consecratâ et de originibus caussisque religionum Aegypti popularium.

Attinguntur res Zamolxis, Getarum vatis.

Ad Herodot II. cap. 9. 17. 28—30. 49. 50. 81. 102. 103. 123. 128. 142—145. 170. 171. IV. 95. 96. et ad V. 67.

Nihil mihi detrectandum est, quod ad Herodotum cum intelligendum tum judicandum facere videatur. Quae oratio quo pertineat, continuo apparebit, ubi explicaro lectoribus meis, quo nunc cum maxime loco sim constitutus. Nam cum in antecedentibus omnia quae posuimus eo pertenderent, ut dubitari non amplius posse videretur, quin veteres Aegyptii *ab initio in Osiridis vitâ morteque ac rebus omnibus narrandis pingendisque nihil aliud spectaverint quam ipsius naturae, Aegyptiacae inprimis, annuas perennesque vicissitudines*: ecce denuo existit non ipsa quidem nova illa sed recens tamen exornata sententia; quam qui sequatur, is alia in omnia abeat necesse est. Etenim, si quaeris, *non aliunde nata Osiriaca sunt, quam ex rebus gestis eventisque Pharaonum Thebaicorum*; in quibus Philensis Osiris, cum in patriâ a barbaris vindicandâ praeclare obiisset, lugubribus illis sacris et caussa et argumentum exstitit, divinisque honoribus commendatus est in memoriam hominum. Novam negavi eam rationem esse. Sed tamen cum novis argumentis eandem nuper firmare studuerit doctissimus homo Zoëga: non possum ipse mihi non imponere hoc operis, ut eam cum caussis suis in examen revocem.

Quod priusquam faciam, consultum duco, in hoc limine disputationis paullum consistere, et anquirere breviter, *quonam doctrinae modulo contineri videatur veterum Aegyptiorum cultus sacer ante Persica tempora, si solum Herodotum ejus rei testem faciamus?* Nimirum volo paucis defungi hoc in loco, nec cujusquam nunc quidem fidei eam rem committere, qui post confusionem illam Aegyptiarum Graecarumque religionum se ad scribendum dederit. Nemo enim nescit, posteriores scriptores quam varia hac de re tradiderint.

Quocirca duplex nascitur nobis ex hoc loco argumentum: alterum hoc, *ut solo Herodoto duce ad eum gradum pertendamus, in quo Aegyptiacae religionis doctrinam locatam videamus ipsorum aetate Pharaonum;* alterum illud, ut quaeramus, *an Osiris tanquam ex homine deus, consentaneus sit, cum fidei Historiae patris, tum vetustarum religionum Aegyptiarum indoli.*

Jam ad illam priorem caussam illustrandam ex uno Herodoto multa congerere possemus, si hoc ageremus. Continebo me autem in paucorum locorum orbe, et eorum quidem, quae propius pertineant ad personam Osiridis ac vicissitudines animae humanae; unde nobis haec universa disputandi materia nata est. Atque Osiris, Herodoto (II,144.145.) teste, Aegyptiis fuit tertii ordinis deus. Tres enim deorum classes faciebant, primariorum, secundariorum, tertianorum. Quam ipsam distributionem si simpliciter consideres, nulloque ductus partium studio, dicas oportet, fieri certe posse, ut primarii illi dii excelsioris naturae sint ac fortasse supra hanc naturam rerum adeoque

dii *νοητοί*. Sed hoc ipsum nunc quidem in medio relinqui malo, ac potius hoc unum teneri ex his testimoniis: *deos* perhiberi omnes ac singulos; neque vero heroas nec semideos dici eos, qui vel in tertiis censeantur. In quibus censitus Osiris cum Bacchus dicatur esse (ibidem): ea res occasionem suppeditat Herodoto Graecorum fabulam cum Aegyptiacâ fabulâ componendi. Quam rem nunc item omitto, ne nostra nobis disputatio conturbetur. Potius Osiris-Bacchus manu quasi nosmet ducat ad locum alterum II. 81, quo Bacchica instituta Pythagoricaque componuntur cum sacerdotalibus Aegyptiorum institutis. Habet autem ita: — *οὐ μέντοι ἔς γε τὰ ἱρὰ ἐσφέρεται εἰρίνεα, οὐδὲ συγκαταθάπτεταί σφι· οὐ γὰρ ὅσιον. ὁμολογέουσι δὲ ταῦτα τοῖσι Ὀρφικοῖσι καλεομένοισι καὶ Βακχικοῖσι, ἐοῦσι δὲ Αἰγυπτίοισι, καὶ Πυθαγορείοισι.* [142]) *οὐδὲ γὰρ τούτων τῶν ὀργίων*

142) Quod huic loco adjeci verba: *καὶ Βακχ.* — *Αἰγυπτίοισι*: facit ea quidem res nihil ad hanc caussam, quam nunc dijudicamus, sed tamen monitum volui. Suadent autem codices bonae notae, suasit dudum Valckenaerius ad Euripidis Hippolytum vs. 952 et de Aristobulo Jud. p. 83. Nec aliter fecerunt novissimi editores. Caeterum ego in illâ lacunâ videre mihi videor manifesta vestigia audaciae Graeculorum, qui Bacchica sua sacra, at quanta quamque late patentia, ab Aegyptiis repeti nollent. Cujusmodi hominibus etiam gratia habenda est, quod non plura sibi indulserunt in Herodoto ad ipsorum captum refingendo. — Caeterum ad rem h. l. narratam addam locum unicum, facientem ad antiquitates *Christianorum* sacras judicandas. Hieronymus in Catalog. scriptorr. ecclesiast. p. 170. F. Francof.: *Ἔθος δὲ ἦν αὐτῷ εἰςελθεῖν εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων ἐσθῆτι εἰρινῇ μὴ κεχρημένῳ, ἀλλὰ λινῇ.* Sermo est de Jacobo Apostolo.

μετέχοντα ὅσιόν ἐστι ἐν εἰρινέοισι εἵμασι θαφθῆναι. ἔστι δὲ περὶ αὐτῶν ἱρὸς λόγος λεγόμενος. Quibus verbis Historiae pater Aegyptiorum ritum sacerdotalem adeoque funebrem diserte dicit congruere cum Orphico Bacchicoque ac Pythagoreo ritu. Similia de phallo tradiderat idem in antecedentibus (II, 49.); cujus rationem ab Aegyptiis repetitam docti (*σοφισταί*) Graecorum deinceps explicuerant. Significat his testimoniis necessitudinem disciplinae, qua Graecorum vates tanquam alumni cum Aegyptiorum sacerdotibus ut suis magistris jungantur.

Jam hanc ipsam necessitudinem pertinuisse etiam ad Graecorum philosophos et eruditiora placita philosophorum, arguit ejusdem Nostri locus II, 123. valde memorabilis. Quem cum adhuc a viris harum rerum studiosis non videam eo numero censitum, quo censeri debebat: en integrum apponam: primos Aegyptios docuisse haec duo, et immortalem esse animam, et statis vicibus migrare: — *τούτῳ εἰσὶ οἳ Ἑλλήνων ἐχρήσαντο, οἱ μὲν πρότερον, οἱ δὲ ὕστερον, ὡς ἰδίῳ ἑωυτῶν ἐόντι· τῶν ἐγὼ εἰδὼς τὰ οὐνόματα, οὐ γράφω.* „Hoc placito usi sunt deinde nonnulli e Graecorum philosophis, alii prius, alii posterius, tanquam suum esset inventum: quorum ego nomina, mihi quidem cognita, edere nolo.“

Jam ut eos omittam qui prius e Graecis hoc decretum pro suo venditasse dicuntur (quos ego Orphicos esse arbitrer): qui *posterius* idem factitasse dicuntur, eos, cum probe sciat, notos facere suis lectoribus non vult Herodotus. Cujus silentii idonea apparet ratio. Haud dubie enim verum vidit Wesselingius ad h. l., cum Pherecydem Syrium et Pytha-

goram significari dicit. [143]) Ac Pherecydis quam celebratum nomen fuerit apud cives exterosque nemo ignorat, nisi qui philosophiae historiam ignoret. Pythagorae autem nomen multo etiam celebratius. Jam Herodotus, ut qui historiam suam conficeret in Magnâ illâ Graeciâ, quam totam tenebat Pythagorae Pythagoreûmque auctoritas, nonnisi tecte ac clanculum designare poterat eos philosophos, quas sciebat arrogantius jactasse se auctores disciplinarum, quas ab Aegyptiis hauserant. Neque ipse fortasse Historiae pater derogare volebat gloriae ejus viri, qui suâ virtute ingenioque ac meritis tantopere inclaruerat apud Graecos barbarosque. Quod vero doctrinam illam metempsychoseos tanquam suam tradidisse eosdem dicit Noster: magno argumento est, eos non rudem illam duntaxat ac vulgarem disciplinam sumsisse ab Aegyptiis, verum cultiorem aliquam eruditioremque. Pythagoras certe nihil nisi valde doctum limatumque pro *suo* poterat in medium proferre. Arguit aetas, qua scholam aperuit; arguit ingenium hominis aliunde cognitum; arguit ipse Herodotus quem supra attigimus (II, 49). Ubi quum Orphici etiam gran-

143) Tu confer nunc Sturz. ad Pherecydea fragg. p. 11 — 15; cui item videtur primus Pherecydes ad Graecos transtulisse hanc de animorum migratione sententiam. — Ac ne quis forte Platonem etiam tactum ab Herodoto suspicetur, subjiciam temporum discrepantem rationem. Nam Herodotus abierat Thurios in Magnam Graeciam Olympiad. LXXXIV, 1. natus quadraginta annos. Platonis autem natales incidunt in Olympiad. LXXXVII, 3. Contra Pherecydes Syrius floruit sub Olympiada LIX; Pythagoras autem, Larchero quidem probabiliter confirmante, natus Olymp. XLIII, 1. mortuus Olymp. LXVII, 3.

dius ac sublimius explicasse dicuntur res Osiriacas, quî tandem humilia ac vulgaria tribui possint ab eodem scriptore Pherecydi adeoque Pythagorae?

Ac reapse *primarium sapientem* nuncupat eundem Pythagoram ipse ille Noster, loco memorabili, et qui ad nostram caussam facit IV, 95. Prodit enim Zamolxin vitae rationem Ionicam edoctum, ut qui cum Graecis habuisset consuetudinem et cum Pythagorâ, *οὐ τῷ ἀσθενεστάτῳ σοφιστῇ*,[144]) popularium suorum (Getarum) principes suâ in exedrâ excepisse eosque docuisse: *ὡς οὔτε αὐτὸς οὔτε οἱ συμπόται αὐτοῦ, οὔτε οἱ ἐκ τουτέων αἰεὶ γινόμενοι ἀποθανέονται, ἀλλ' ἥξουσι ἐς χῶρον τοῦτον ἵνα αἰεὶ*

144) Loquendi genus illustrat Valckenaerius. Cujus observationibus adde doctissimi Schaeferi annot. ad Dionys. de composit. verborr. p. 406, qui de appellatione *σοφιστοῦ* monens, *οὐ τῷ ἀφανεστάτῳ σοφιστῇ* conjicit; quae conjectura Schweighaeuserum fugit. Eustath. ad Iliad. IV. p. 565 Basil. exhibet *ἀσοφωτάτῳ*, in quo Schaeferianae lectionis vestigia fortasse agnoscas. Utut est, et ad hunc locum Herodoti et ad geminum I, 29. pertinent verba Aristidis orat. Vol. III. p. 517 Steph. (Tom. II. p. 311 Jebb.) a Wesselingio adhibita (p. 13 ad I, 29). Quo in loco, ut illud delibem, pro *'Ανδροτίων* legendum suspicatur *"Ανδρων* Siebelis ad Philochori et Androt. fragg. p. 118. Sequentia autem ita refingit Toup. ad. Suidam II. p. 68. p. 204. *Οὐ Λυσίας Πλάτωνα σοφιστὴν καλεῖ καὶ κάπηλον Αἰσχίνην*, pro *καὶ πάλιν σοφ.* Caeterum, si recte suspicor, non solum Pythagoram ac Solonem, verum etiam Orphicos *σοφιστάς* appellavit Herodotus. Videlicet II, 49. Quo de loco alibi plura dixi. — Illam autem famam strictim attingit Scholion, quod nuper adjectum Etymologico Gudiano p. 636 ed. princ. Lips. *ὅτι Ζάλμοξις ὁ Γέτης, τὰ τοῦ Πυθαγόρου ὑπῆρχε μεμνημένος καὶ πρὸς αὐτὸν ἀπηκριβωμένος.*

περιεόντες ἕξουσι τὰ πάντα ἀγαθά. „neque se neque convivas suos nec horum posteros morituros; sed venturos in locum quendam, ubi perpetuo viventes omnibus bonis sint fruituri.“ Ita Herodoto narraverant ad Hellespontum et Pontum habitantes Graeci, a quorum judicio hactenus suum judicium sejungit rerum scriptor, quod Zamolxin multis annis ante Pythagoram vixisse statuit.[145]) Quam rem in medio positam relinquamus: illud certum, vivo Herodoto ac florente familiâ doctrinâque Pythagorae, Graecos *Pythagoreum* dixisse placitum illud immortalitatis, neque in eâ re ipsis obloqui Historiae patrem. Plurima omisi eâ in narratione, quae accuratiore examine dignissima sit.[146]) Nolui enim longius a nostrâ viâ deflecti.

145) Facit eâ in re cum Nostro Hellanicus Lesbius, vel potius Herodotea intulit libro suo: *τοῖς βαρβαρικοῖς νόμοις*. Vid. Etymolog. magn. in *Ζάμολξις* et cf. Sturzium, docte hac de re monentem, ad Hellanici Fragg. p. 13 et nr. XXV. p. 64.

146) Nonnulla delibabo in hac annotatione. Ac primum nemo non intelligit, quantopere haec Zamolxis oratio congruat vaticinio Protei, Aegyptiorum dei, cum in Elysium perventurum Menelaum praeclaris versibus canit Odyss. IV, 561. Deinde quae apud Herodotum sequuntur de conclavi subterraneo (*καταγαίῳ οἰκήματι*), in quam persuadendi caussâ ingressus sit, undeque triennio post redierit Zamolxis, ea et ipsa advertere nos debent. Continentur enim talia loca subterranea initiis, quae Zamolxis Getis Thraciae tradidisse fertur: Hellanicus l. l. *Ζάμολξις — τελετὰς κατέδειξε Γέταις τοῖς ἐν Θρᾴκῃ.* Attende ad vocem solemnem his in rebus, *κατέδειξε*, quae a scenis sacris ad doctrinam declarandam traducta est. Et reapse ad *δείκελα* spectare illam historiam Zamolxis, nemo

Atque haec nos jam in eum locum deduxit, ut itineris calcem videamus. Etenim, si quaeris, quo haec pertineant, quae adhuc meâ disputatiunculâ sum complexus, paucorum verborum ambitu includere potero responsionem meam, et rationem hanc universam concludere. Videlicet consulto me continui solius Herodoti testimoniis, h. e. ejus scriptoris, qui plane immunis illibatusque sit ab illâ cupiditate

est qui ambigere queat. Hoc autem vocabulo in Osiridis ritibus feralibus utitur Herodotus II, 171. Quales ritus credibile est ab initio in subterraneis conclavibus sepulchrorum peractos esse. Quam late autem pateat hic usus antrorum sepulchralium, mysteriisque inservientium, exponere longum est. Ego, ne extra oleas, quod dicitur, egrediar, locos aliquot laudabo, qui septentrionalium populorum et Germanicorum sacra attinent: nimirum iis, quos Sturzius l. l. excitavit, adde Irhovium de Palingenesiâ veterum lib. II. cap. 7. p. 317 sqq., qui de Germanicorum populorum super animorum immortalitate decretis haud pauca congessit. Ei junge J. J. *Moeserum* in den vermischt. Schriften II. p. 215 seqq. qui p. 277 recte monet, metempsychosin, quae dicitur, non repugnare, quo minus sana de animo immortali doctrina invalescat, atque utramque saepiuscule obtinuisse apud unum eundemque populum. Idem nos advertit ad antra ac spelaea per Germaniae oras obvia, in quibus initia peracta fuisse credibile sit. Cujusmodi spelaea similiaque monumenta septentrionalium gentium sacra docte nuper illustravit Thorlacius in libro qui inscribitur: Populäre Aufsätze das Griech. Röm. und Nordische Alterthum betreffend p. 250 sqq. Atque ut redeam eo, unde sum digressus, ipsis Aegyptiacis illis tam operose factis sepulchris originem dedisse antra nativa, in quibus ab initio cadavera reposuerint homines, suspicatur Zoëga de obeliscc. p. 279 sq. — Caeterum Herodoteum de Zamolxi locum laudat Eudocia in Violeto p. 194.

miscendarum religionum, ut qui potius nihil impensius agat hoc in libro secundo, quam ut sejungat et distinguat ea quae Graecos atque Aegyptios distinent. Atqui idem ille scriptor non solum plurimos Graecorum deos origine Aegyptios esse docet, sed Pherecydem etiam Pythagoramque id ipsum dicit dissimulasse, quasi vero ipsi excogitaverint doctrinam immortalitatis animorum migrationisque, quam ipsam tamen desumsissent ab Aegyptiis. Unde consequens est, non inchoatam tantummodo et pervagatam fuisse tunc temporis, h. e. Pharaonum aetate, eam ipsam doctrinam sacerdotum Aegyptiorum, verum talem, quae et advertere posset philosophos, eosque ita retinere, ut eam etiam pro suâ venditarent. Jam eodem loco, ubi haec eloquitur Herodotus (II, 123.) Osiridem et Isidem inferis praesides facit. Quorum religiones quum arctissime continerentur cum corporis animique vicissitudinibus: absurdum foret, animarum migrationis doctrinam eruditam et sublimem attribuere Aegyptiis, et iisdem deos animorum praesides rudes inchoatosque assignare. Ac ne dubites, phallorum ratio, quam supra conjunctissimam monstravimus cum doctrinâ immortalitatis animorum, ea igitur jam

---

Abaridi eum jungit Plato in Charmid. p. 157. p. 67. 70. Heindf. cf. Appuleji Florid. p. 290 seq. ed. Elmenhorst. Classici autem de Zamolxi deque Druidis loci sunt in Origenis philosophumenis. cap. 2. p. 882 et cap. 25. p. 906. de la Rue, ad quos haud pauca congessit Christ. Wolfii industria, quae tamen nunc non magis vacat excutere, quam ea quae nuper Chardon de la Rochétte vir doctissimus eam in rem disputavit in Melanges de Critique et de Philolog. Tom. I. p. 58 sqq.

ante Pherecydem Pythagoramque iterato advecta erat ex Aegypto in Graeciam, primum rudior, et a vulgi haud dubie ore hausta per Melampodem, deinde cultior per eos σοφιστάς, qui μεζόνως ἐξέφηναν (majorem in modum patefecerant II, 49.). — Quid quaeris? *Nemo quisquam qui priscorum incorruptorumque scriptorum auctoritati cum ratione fidem habere didicerit, nemo igitur vere doctus ambigere poterit: Pharaonum etiam aevo sacerdotum Aegyptiorum eam doctrinam fuisse, ut Osiridem sibi suum tanquam eum informarent, qui, cum ipse naturae quidem esset animus, supremaque non minus quam infima permearet, animabus etiam mortalium ducem se praestaret, quo statis vicibus ab inferioribus locis ad superiora pervenirent.* Pertinet haec ratio ad decretum illud, quod *emanationis* dicunt, cujus nullis religionibus altiora impressa vestigia sunt, quam Aegyptiis. Quae quidem doctrina ita ferebat, ut, sicut Osiris coelitus quasi a supremis numinibus fluxisset, sic idem Mercurium juberet animas hominum indidem delapsas in pristinam sedem reducere.

Satis dictum videtur de his rebus, quas nec cum pulvisculo exhaurire volo, nec penitus omittere. Faciunt enim eae cum ad superiora nostra omnia confirmanda,[147]) tum ad viam muniendam, quae nunc ingredienda nobis est.

---

147) Quae ibidem aliquoties copiosius explicuimus. Et poteramus hîc pluribus verbis nostram sententiam aperire, nisi firmiter constitutum fuisset illud, ut *unius Herodoti* testimoniis caussam nostram contineremus.

§. 14.

Geographica de Thebaidis tractu meridionali ac confiniis.

Venio enim ad illud sepulchrum Osiridis, quod insulam Philas nobilitavit adeo, ut ejus nomen in sanctissimis juramentis frequentaretur. Quas religiones priusquam attingam, pauca *Geographica* praemittenda videntur. Ac situm ejus insulae ita definit Geographus, ut eam paulo supra catarrhacten esse dicat. Minores catarrhactas dicit Heliodorus in Aethiopicis, addens, a Syene et Elephantine eam centum stadiis circiter distare. [148]) De nomine insulae, qui Graeculorum delicias etymologicas devorare gestiat, consulat Wesselingii annot. ad Diodor. Sicul. I, 22. et Champollion l'Egypte sous les Pharaons I. p. 158. Ab eorum commentis suam rationem sejunxerunt Bochartus, Zoëga et ipse, quem extremo loco dixi, vir doctus. [149]) Ac Bocharti ratio delibanda est mihi Herodoti gratiâ. Vult enim ille dictam eam insulam esse *φίλας* a vocabulo *φίλ,* quo Aethiopes aliique Asiae populi elephantem signifi-

---

148) Strabo XVII. p. 818. p. 607 Tzsch. Heliodor. VIII, 1. p. 363. p. 309 seq. ed. Coray. quibuscum confer quae ex recentioribus Geographis et itinerariis congesserunt Hennicke in Geograph. Afric. Herodot p. 87. Larcher. in tab. Geogr. p. 192. et inprimis Hartmannus in continuat. Büsching., eo libro, qui inscribitur das Paschalik von Aegypten p. 1190 seqq. Quatremère de Quincy Memoires geogr. et histor. sur l'Egypte Vol. I. p. 380 sqq. et Lancret in lib.: Description de l'Egypte Antiqq. Vol. I. p. 4 sqq.

149) Bocharti Geogr. sacr. part. I, 4. cap. 26. Zoëga de obel. p. 286 Champoll. I. p. 158 seq.

cent; eamque rationem nuper admodum amplexus est Jomardus[150]) hoc adjiciens: in eum locum advectum esse ex superioribus regionibus Africae ebur; quae res ejus nominis caussa fuerit. Quam rationem si amplectaris: duae fuerint Elephantinae insulae, altera postea quoque sic appellata, altera Philae. Ac reapse quae Herodotus II, 28. de duobus montibus Syenen inter atque Elephantinen refert in loco de fontibus Nili, ea ad Philas pertinere arbitratur Jomardus. Quod mirum sit in historico tam accurato, et qui ibidem profiteatur (cap. 29.) se ipsum spectatorem pervenisse Elephantinen usque, quique quae ultra sita sunt auditu satis accurate describat. Contra, si unam tantummodo noverat Elephantinen Historiae pater: celeberrimae insulae Philarum in ejus libris nec vola nec vestigium apparet. Utraque tamen res commode explicari potest. Neque enim magis Tentyrae, Latopolis, Ombi, aliarumque nobilium urbium templa, palatia, reliquaque monumenta memorat. Strictim tantummodo carpit superioris Aegypti reliquias. Videlicet hac caussâ ductus, quod ante eum Hecataeus Milesius eas oras earumque memorabilia accuratius erat persecutus.[151]) Zoëga l. l. ab

150) In Description de l'Egypte Antiqq. Vol. I. cp. 3. p. 18. Quod si placeat, *Φίλαι* fuerint *ἐξελληνιζόμεναι*, *'Ελεφαντίνη*, recte monente Corayo V. C. ad Heliodor. l. l. Annotat. p. 256.

151) Vid. quae hanc in rem monui ad ejus Fragg. p. 21 seqq. Neque igitur doctissimo Jomardo assentiar, qui illud silentium inde explicat, quod nil nisi ipsas Thebas in Thebaide cognoverit Herodotus. vid. Descript. de l'Eg. I. cap. 5. p. 3.

allidendo et percutiendo Philas nomen habuisse mavult, admonens Cataduporum et fragoris, quem Nili undae a rupibus repercussae edere soleant. Nisi tamen catarrhactas cogitaveris,[152]) a quibus Philae haud ita longo intervallo absunt, parum conveniat ea etymologia in naturam ac situm insulae. Ac Champollion l. l. in mscr. coptico bibl. Paris. Reg. nr. 46. tale ejus insulae nomen reperit quod et apud Arabes diu invaluerit et in situm eorum locorum usquequaque cadere videretur: *Pilak*. Quod ipsum nominis nihil aliud significat quam *locum remotum*, *terminum*, *fines*, *limites*. Neque igitur dubitandum censet, quin ea appellatio *Philarum* insulae apud ipsos veteres Aegyptios in usu fuerit. Idem ibid. p. 140 Aegypti ab hac parte fines in hac ipsâ insulâ Philarum figit.[153]) Qua in re sic universe pronuntiari nolim;

152) Jomard. descript. de Syene et des catarrhactes p. 14 (in Description de l'Egypt. Vol. I.).

153) „L'ile de Phile borne au midi la haute Egypte, qui, au nord, se termine à la pointe du Delta et embrasse entièrement le pays situé entre le 24e deg. 1 M. 54 S. et le 30e degré de latitude, ce qui comprend un espace de plus de 150 lieues du midi au nord:" Idem, posteaquam Pilak explicuit, *frontière*, *lieu reculé*, ita pergit p. 159: „Telle est en effet la position de l'île de Philae dépendante de l'Empire égyptien." Hodieque limes versus meridiem constituitur in vicis Elkalabsche et Teffa, non in urbe Syene, docente Hartmanno l. l. p. 16. p. 1194, qui ibidem Arabum Edrisii Abulfedaeque itemque recentiorum peregrinatorum locos huc pertinentes excerpsit. Vulgatam insulae Philes appellationem ex Nordenii itinerario prodit Hartmannus ibid. p. 1191 hanc: Elb-Heiff; contra Champollion l. l. eam prodit quae ad aedificia ibidem residua spectat: *Djeciret-el-Birbé* i. e. insula templi.

tempora accuratius distingui velim. Etenim Herodotus II, 17. Aegypti meridianum initium ducit ab Elephantine (proprie sic dictâ) et Catadupis (i. e. Catarrhacte minore). Idem II. 29. supra Elephantinen quae terra sit, eam ab Aethiopibus dicit habitari.[154]) Idem II, 30. nec minus refert, Psammeticho regnante in Elephantine oppido Aegyptiorum praesidia et suâ (Herodoti) aetate Persarum praesidia adversus Aethiopes fuisse constituta. Ac si constare sibi volebat Champollion, debebat item in eam quaestionem ingredi, quam longe, diversis temporibus, Aegyptus pertinuerit *meridiem* versus, cum utiliter monuerit de antiquissimis Aegyptiaci imperii finibus versus orientem [155]) occidentemque. Qua in caussâ operae pretium me facturum opinor si admonuero loci memorabilis Philostrati in Vitâ Apollonii III, 20. p. 110 Olear. *Ἦν χρόνος ὅτ' Αἰθίοπες μὲν ᾤκουν ἐνταῦθα,*

---

154) Champollion hunc locum ita laudat: „Au midi l'Egypte *proprement dite* commençait, selon Herodote, aux Catadupes etc. De tribus catarrhactis Nili accurate egit Hartmann. libr. laud. p. 75 seqq.

155) Vid. libr. l. II. p. 282 sq. et p. 302 sq.; ubi nos illud advertere debet: „des monumens incontestables prouvent, que les Egyptiens ont été maîtres de quelques points de l'Arabie sur la mèr rouge, qui fut couverte de vaisseaux Egyptiens par le Pharaon Nekhaô Herodot. II, 182. (potius: 159) Caeterum quae supra posui, haec non eam in partem velim accipi, quasi Thebas continuo pro primigeniâ sede cultioris vitae religionumque Aegyptiarum accipiendas esse dicam. Quod ipsum nuper aliis ex caussis efficere conati sunt Jollois et Devilliers in l. Descript. de l'Egypte Antiqq. II. p. 434 seqq. Qua de re ego nunc quidem pronuntiare nolim.

γένος Ἰνδικόν· *Αἰθιοπία* δ᾽ οὔπω ἦν, ἀλλ᾽ ὑπὲρ *Μερόην* τε καὶ *Καταδούπους* ὥριστο *Αἴγυπτος*, αὐτὴ καὶ τὰς πηγὰς τοῦ *Νείλου* παρεχομένη, καὶ ταῖς ἐκβολαῖς ξυναπολήγουσα. *Aethiopiam* nondum fuisse (vel *minime* fuisse ex usu Philostrateo, de quo nuper admodum exposuit Jos. Beckerus meus in Specim. Philostr. p. 2. 3.) aliquo tempore, commode ita explicat Olearius, ut de nomine cogitemus; siquidem is tractus, qui postea Aethiopia dictus, tunc et ipse Aegypti nomine venerit; quando Aegyptus supra Meroën porrecta fuit. Etenim nemo nescit, inesse in Philostrati libro juxta commenta sophistae, haud pauca etiam e veteribus scriptoribus ducta, quae examini subjicienda sint. Ac, quo ego saltim haec delibem, exstant vestigia, unde suspiceris Pharaonum vetustiorum aevo meridianos fines Aegyptiaci imperii longe alios fuisse atque labente imperio et Persis etiam subjecto. Vide quae ex Eusebii Chronico nr. 402 protulit Olearius, nec Eustathii oblitus; cujus ego locum accuratius proferam. Ita enim ille ad Dionys. Perieg. v. 218 εἰσὶ δὲ κατ᾽ αὐτὸν καὶ ἄλλοι *Αἰθίοπες*, οὐκ εἰς τὰ ἔσχατα τῆς γῆς, ἀλλὰ πρὸς τῇ *Αἰγύπτῳ*, οὓς ὁ *Καμβύσης* κατεστρέψατο· δι᾽ οὓς καὶ *Αἰθιοπία* ἐκλήθη ποτὲ ἡ *Αἴγυπτος*.[156]) Huc igitur

---

156) Nolo h. l. apponere quae de Aethiopibus universe annotata ad locum Odyss. A. 23. habeo in meis adversariis. Ad caussam quam h. l. dijudicamus, adhibendus est alter locus Philostrati in Vit. Apollon. VI, 7. p. 235. Ceterum non me fugit quod apud Herodotum est de Sesostride II, 110 initio: *Βασιλεὺς μὲν δὴ οὗτος μοῦνος Αἰγύπτιος Αἰθιοπίης ἦρξε.* Quod ipsum tamen ita cum Philostrato concilies quodammodo, ut dicas; et ante Sesostrin

Champollionem attendere velim, ubi aliquando, quod pollicitus est, [157]) Aegyptiorum veterum origines et reliquas res explicabit. Nunc enim eum leviore brachio attingere video, quae, quoad ejus fieri potest, cum pulvisculo exhaurienda erunt. Ac Herodotus non minus atque Strabo, Heliodorusque l. l. l. l. ejusmodi accuratiori examini locum facere possunt, quod praemittendum erit, antequam de Aegyptiacarum rerum originibus certo pronunties. Sic, ut hoc utar, Historiae pater insulam Tachompso partim ab Aethiopibus partim ab Aegyptiis habitari prodit. Quod idem in Philensium insulâ locum habere dicit Strabo, quocum egregie facit Heliodorus. Jam Champollio (p. 157) elevare studet testimonium Strabonis, eamque communem habitationem soli insulae Tachompso arbitratur reservandam, cum tamen Herodotus ibidem (II, 29.) terram supra Elephantinen ab Aethiopibus habitari et ipse profiteatur. Sed ut ad antiquissima tempora redeamus, quibus latius porrectam in meridiem Aegyptum facit Philostratus: ipse Champollio (I. p. 57 sq.) ejus rei vestigia offendit in recentioribus itinerariis, in quibus

---

plures reges et post eum omnes minus valuisse, antiqua in Aethiopiam jura vindicare sibi, et effecta praestare. — Verbo monuit de Osymandyae et Sesostris late patente imperio Champollion I. p. 55.

157) l'Egypte s. les Pharaons I. p. 141. ubi hoc ponit: „si les Egyptiens sont une colonie d'Ethiopiens, comme nous l'examinerons dans la suite (dans la partie historique de cet ouvrage), ce fut d'abord dans la haute Egypte qu'ils durent s'établire.“ Constat autem inter omnes, Heerenium hoc argumentum accurate tractasse plures ante annos in opere: *Ideen* etc.

monumentorum Aegyptiorum mentio fit, quae longe supra Philas versus meridiem appareant.[158]) Quae res si accuratius et ad certam fidem historiae exploretur: possint indidem multa explicari, quae nunc quidem nos impeditos tenent. Nemo enim non videt, origines Aegyptias omnesque res vetustiorum Pharaonum alias esse, si, post occupatam a priscis illis

158) — „et quoique des monumens égyptiens aient été vus par divers voyageurs sur les bords du Nil bien audessus de Philae, *nous croyons cependant* que le dernier lieu habité par des Egyptiens et leur appartenant entièrement fut, au sud, cette petite île, qui bornait l'Egypte de ce coté.“ Quod idem I. p. 157 dicit: „il est impossible que les Egyptiens eussent souffert, qu'un peuple étranger habitât avec eux l'enceinte de leurs temples“ videlicet, ut fidem deroget Straboni, qui prodiderat in insulâ Philis, magnis templis celebratâ, etiam Aethiopes habitasse: mihi secus videtur. Nam quod *religiones* quidem attinet, *peregrinos* censere *Aethiopes* non poterant usquequaque *Aegyptii*, quandoquidem in Aethiopiâ et Juppiter cultus fuit, i. e. Ammon, et Bacchus, i. e. Osiris, si fides Herodoto II, 29. Ac si Aegyptios Aethiopum colonos dicas, non poterant religiones utriusque populi tantopere inter se discrepare. Itinerariis adde hoc: Narrative of a Journey in Egypt and the Country beyond Cataracts. By *Thomas Legh* London 1816. Quo in opere grandia templorum rudera describuntur, quae in ulterioribus locis, Nubiae etiam, peregrinatores advertunt. Vid. pag. 85 sqq. Atque ut ea monumenta aedificandi modo ac charactere propius absunt ab Indiae templis, vicinis Elephantae Indicae ubi hodieque Bombay, sic idolorum forma attributaque omnia ex asse congruunt simulacris priscis Aegyptiacis. Amplius etiam templum subterraneum in Nubiâ, eo loco, ubi nunc Ybsambule, se ex arenis eruendum curasse refert *Belzoni* in epistolâ ad Viscontium quam supra laudavimus ex ephemeridibus (Journal des Debats m. Mart. 30. ann. 1818).

colonis Aegyptum, Aethiopum res, opes, aliaque protinus sejuncta censeas a rebus institutisque Aegyptiis: alias contra, si plura per secula et Aegyptios homines et Aethiopes eorundem regum imperio subditos existimes, ac mutuo omnium rerum commercio inter sese conjunctos.

§. 15.

Sacra Philensia.

Haec hactenus. Revertendum est enim ad sacra, quae Philensium insulam tam insigniter nobilitarunt. Quae res post Francogallorum expeditionem magis ad oculorum sensum explicata est. Supersunt enim bonam partem templa, florente Pharaonum imperio aedificata, monumentaque artis religionumque alia haud pauca. Quae qui penitus cognoscere cupiat, consulat grande opus, quod *Descriptionis Aegypti* nomine insignitum saepius laudavimus. Habet autem ea insula, ut hoc delibem, qua parte meridiem versus porrigitur, duo fana, juncta inter se columnarum serie, alterum Isidis, alterum Osiridis; a quibus occidentem versus exiguo intervallo distat Typhonium; contra orientalis tractus, fanis illis adjacens, habet Osiridis sepulchrum. Atque in ruderibus, quae occidentem spectant, repertum est descriptumque anaglyphum, quod, quoniam conjunctissimum nostro cum argumento est, age et ipse paucis verbis delineabo.[159] Pertinet ad mortem Osiridis. Cujus

159) Secundum comment. *Lancreti* in l.: Description de l'Egypte Antiqq. Vol. I. p. 44. Alia a vett. scriptoribus ac superioribus peregrinatoribus adhibita suppeditare potest unicuique Zoëga de obeliscc. p. 286.

dei cadaver impositum conspicitur dorso crocodili (Typhonis), qui illud asportat in loca juncis obsita ac paludosa (mare significantia). Scenam ambiunt solis orbis, luna dimidiata ac plures stellae. Nihil igitur in eo anaglypho magnopere desideres, quod ad Osiridis sacra Philensia inprimis facere videretur. Loquitur classicus locus Diodori Siculi I, 22. p. 25 sq. Wess. *ἔνιοι δέ φασι οὐκ ἐν Μέμφει κεῖσθαι τὰ σώματα τούτων τῶν θεῶν, ἀλλ' ἐπὶ τῶν ὁρῶν τῆς Αἰθιοπίας καὶ τῆς Αἰγύπτου, κατὰ τὴν ἐν τῷ Νείλῳ νῆσον, κειμένην μὲν πρὸς ταῖς καλουμέναις Φίλαις, ἔχουσαν δὲ προσηγορίαν ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ἱεροῦ πεδίου· σημεῖα δὲ τούτου δεικνύουσιν ἐν τῇ νήσῳ ταύτῃ διαμένοντα, τόν τε τάφον τὸν κατεσκευασμένον Ὀσίριδι, κοινῇ τιμώμενον ὑπὸ τῶν κατ' Αἴγυπτον ἱερέων, καὶ τὰς περὶ τοῦτον κειμένας ἑξήκοντα καὶ τριακοσίας χοάς. ταύτας γὰρ καθ' ἑκάστην ἡμέραν γάλακτος πληροῦν τοὺς πρὸς τούτοις ταχθέντας ἱερεῖς, καὶ θρηνεῖν, ἀνακαλουμένους τὰ τῶν θεῶν ὀνόματα. διὰ ταύτην δὲ τὴν αἰτίαν καὶ τὴν νῆσον ταύτην ἄβατον εἶναι πλὴν τοῖς ἱερεῦσι.* Vides sacram insulam, a nemine attingi solitam nisi a sacerdotibus, illustrem Osiridis tumulo, cui a sacerdotibus quotidie ex pateris trecentis et sexaginta (tot numero, quot priscus veterum populorum numeratus annus est) lac pro inferiis infunderetur cum ritu lugubri ac deorum invocatione. — Non est opus multis verbis. Ubi Osiridem colebant plangebantque sacerdotes, noli dubitare, eos et annuum cursum solis et Nili vicissitudines, quae ei cursui responderent, declarare voluisse. Eam in rem nihil luculentius potest cogitari, quam locus Heliodori in Aethiopicis, qui

ita habet lib. IX. cap. 22. p. 381. ed. Coray. (Ne longum faciam, latinum continuo adscribam.) „At cum festum praedicarent, et Nilum magnis laudibus attollerent, Orum [160]) et vitae auctores appellantes, et Aegypti totius, superioris quidem servatorem, inferioris vero patrem et opificem, novum limum quotannis advolventem, [161]) unde et Nilum Graecis appellatum esse, et annuas temporis vicissitudines exponentem, aestivam quidem incremento, autumnalem vero recessu, vernam autem floribus, qui ex ipso nascantur et crocodilorum partu; et nihil aliud esse omnino Nilum, quam annum, hoc et appellatione confirmante. Literis enim, quae eo nomine continentur, in calculos [162]) distributis, ter centum quinque [163]) et sexaginta unitates, quot etiam dies sunt anni, con-

---

160) In antecedentibus Osiridem dixerat Nilum. Qua de re monuit etiam Corayus in Annott. p. 313. Huc facit Plutarchus, dicens, quidquid in terrâ, ventis, aquis, coelo et stellis ordinatum est, aequabile, et sanum, id defluxus et imago est Osiridis (*Ὀσίριδος ἀποῤῥοὴ καὶ εἰκὼν ἐμφαινομένη*. de Isid. et Osirid. p. 371. p. 519 Wytt.)

161) Recte admonet Corayus loci Herodotei II, 5. Quae sequuntur etymologica pertinent ad voces *νέα* et *ἰλύς*, dudum explosa a viris orientalium literarum intelligentibus. Vid. Jablonskii vocc. Aegyptt. p. 443 seq.

162) i. e. numeros, quorum notae sunt literae, les chiffres: recte vertente Corayo *ψήφους*.

163) Nimirum additis quinque *ἡμέραις ἐπαγομέναις*, unde solidus fit qui solstitiali orbe circumagitur annus. Vid. Wessel. ad Diodor. l. l. p. 26 ibiq. laud. Diodor. I, 13. I, 50. Caeterum adde Wesselingianis Jo. Lydum de mensib. p. 42. qui item de anno tanquam deo agit, et Sardium nomen item redigit ad numerum anni dierum.

gregabantur reliq.“ Quid quaeris? pertinent haec ad rationem arcanae disciplinae, quam orientalium terrarum homines a vetustissimo inde aevo ad hunc diem usque arcanis item literarum notis designare solent. Erat illis in oris, si populi sensa explores, Osiris quasi ipse saluber fluvius, cujus vigor conditus quasi profundo in puteo statis vicibus et emergebat et rursus desidebat. Ac reapse ibi terrarum φρεατίαν appellabant ipsum nilometrum (vid. Heliodor. l. l.) quasi *putealem* diceres. Quocirca nil mirum, habitos esse Nilum et solem, tantopere inter se congruentes suis et accessibus et recessibus, pro uno eodemque deo; quem et mori dicerent et reviviscere, quatenus sol debilitatus ac deficiens vires deinceps recipit, ac novus quodammodo redit. Unde Horus filius vindicare patrem Osiridem a Typhone, et suo ipse vigore ac virtute virtutem vigoremque patris referre dicitur. Quatenus vero vis divina quasi sepulta latitare videtur in profundo, ac velut in tumulo retineri in suis fontibus mirificis, quibus illius orae incolae ἀβύσσων nomen indiderant [164]): hactenus quotidie in occultati dei memoriam non minus lactis inferias profundere poterant sacerdotes Philenses, quam Acanthiorum in urbe quotidie trecenti et sexaginta sacerdotes aquam Nili rite infundebant in dolium pertusum. [165]) Has ego caussas originesque

164) Herodot. II, 28: ὡς δὲ ἄβυσσοί εἰσι αἱ πηγαί, videlicet Nili, prosilientes inter Syenen atque Elephantinen; quam posteriorem h. l. ipsas Philas esse vult Jomard. loco supra laudato.

165) Diodori Sicul. I. cap. 97. p. 108. 109 Wessel. Ac poterant *fragores* usque et usque ad catarrhactarum

religionum *Osiridis* tanto antiquiores existimo, quanto natura antiquior est quavis civitate; quantoque prius solis lumen his Thebaicorum oris affulsit, Nili [166]) unda easdem alluit, quam reges exstiterunt,

scopulos allidentis *Nili*, ut fert nativus priscusque sermo, *mugitus buculae Isidis* dici; nec minus *canales derivataque fluenta*, *membra* discerpti *Osiridis*: *μυκήματα δέ εἰσι τὰ τῆς Ἴσιδος· σπαράγματα δὲ δακρυώδη τὰ Ὀσίριδος*, ut in meum usum convertam, quae ad Gregorii Nazianzeni carmina usurpat haud indoctus Scholiasta. Caeterum haec ipsa ad anni significationem pertinentia Aegyptiorumque libamina in memoriam revocant ritum veteris ecclesiae Christianae: Jo. Chrysostomus in Homil. de baptism. Christi p. 569 ed. Montefalconi *αὕτη γάρ ἐστιν ἡμέρα καθ' ἣν ἐβαπτίσατο, καὶ τὴν τοῦ ὕδατος ἡγίασε φύσιν. — διὰ τοῦτο καὶ μεσονυκτίῳ κατὰ τὴν ἑορτὴν ταύτην ἅπαντες ὑδρευσάμενοι οἴκαδε τὰ νάματα ἀποτίθενται, καὶ εἰς ἐνιαυτὸν ὁλόκληρον φυλάττουσιν, ἅτε δὴ σήμερον ἁγιασθέντων τῶν ὑδάτων κ. τ. λ.* In sequentibus testatur, nec corrumpi eam aquam, sed per annum adeoque biennium trienniumque integram servari.

166) Nili quam celebratus cultus sacer fuerit apud veteres, longum est exponere. Necessaria adumbrabo et quae ad Herodotum proprie spectent. Atque is ipse novit *ἱρέας τοῦ Νείλου*, *Nili sacerdotes*, supra II, 90. Antiquior etiam Hecataeus in eâ re laudatur Stephano Byzant. de urbb. p. 585 Berkel: *Νεῖλος πόλις Αἰγύπτου· Ἑκαταῖος περιηγήσει καὶ ἱερὸν Νείλου ποταμοῦ*, ubi consule Berkelium. Adde, ne multa, Philostrat. Vit. Apollon. VI, 6. p. 235, et si artis operum exempla requiras, Zoëgam in numis Aegypt. imperatoriis Tab. XVI. nr. 7. et Museum Pio-Clement. I. tab. 38. — Atque, ut fit in orientalium maxime religionibus, ut multis nominibus unus idemque deus indicetur: sic dici non potest, quot unus Nilus deus nominibus consecratus fuerit. Tu, si placet, consule Jablonskii Vocc. Aegyptt. p. 92 sq. 218. 304 sq. 384. 420. 443 sq. 471.

qui de vitâ humanâ erudiendâ defendendâque patriâ promererentur: tanto ego Thebaicos homines maturiùs adorasse arbitror Osiridem, quam de aliquo Pharaone divinis honoribus impertiendo cogitarent, si modo de hac re unquam cogitarunt. —

473, et, qui nuper de his rebus accurate exposuit, Champollionem, in libro l'Egypte s. l. Ph. I. p. 80 sqq. Classicus eam in rem locus est Tzetzarum in Schol. ad Lycophr. vs. 119. p. 393. ed. Müller. sed cujus argumentum ad Aegyptiaci sermonis leges exigi debeat, quod fecerunt eruditi quos proxime laudavimus. Potiora excerpam. Nomen apud Aegyptios commune fuit *Iaro*, *Phiaro*, i. e. *fluvius*; *Νεῖλος*, *fluvius certis temporibus definitus*, *definitor fluvius* (Jablonski Panth. I. p. 157. 159. Champollion I. p. 136); *Ὠκεάμης* i. q. *μέλας*, *niger* (Diodor. I, 19 in var. lect. quam comprobavit Champoll. p. 129 seqq.); *Ἀετός*, Aegyptiis fortasse Pakhom, *aquila* (ibid. p. 132). Quae quomodo contineantur cum religionibus Osiridis-Nili, nemo ignoraverit, qui expendat quae supra a nobis posita sunt. De nomine autem Homerico, adeoque universe Graeco, *terram* si spectes, quae plurima disputat Champollion apud ipsum legat, qui volet. I. p. 80 sqq. In inscriptione Rosetanâ vox *Αἴγυπτος* ponitur pro Aegyptiaco *Chamè* ut et ipsa nigrum significet; vid. *Åkerbladii* viri doctissimi Lettre a Mr. Silvestre de Sacy sur l'inscription de Rosette. p. 33. Ego h. l. tria Scholia subjiciam e codice nostro Palat. ad Odyss. IV, 477 sqq. *Αἰγύπτοιο*, *Διϊπετέος ποταμοῖο*. Supra lin. *διαφανοῦς* in marg. *ὑπὸ τοῦ διὸς πληρουμένου*. Scholion in extremâ orâ: *διϊπετῆ εἶπε διὰ τὸ ἀφανεῖς ἔχειν τὰς πηγὰς, καὶ κατὰ τοὺς Αἰγυπτίους οὐρανόθεν ῥεῖν τὸν αἰγύπτιον· τοῦτο δὲ ψεῦδος· φησὶ γὰρ υἱὸς σπερχίου διϊπετέος ποταμοῖο* (Iliad. *Π.* 174.) *καὶ οὕτως καλεῖ πάντας διϊπετεῖς ἐν παραβολῇ· ὡς δ' ὅτ' ἐπὶ προχοῇσι διϊπετέος ποταμοῖο* (Iliad. *P.* 263). *Καλεῖ δὲ καὶ διογενεῖς ὥς τινὰς ὄντας τῷ πεσεῖν ἀντὶ τοῦ γεννηθῆναι χρωμένων· τὸ δὲ ὅλον ἐπεὶ* (leg. *ἐπὶ*) *τῷ ὑετῷ πληρούντων· καὶ νυμφαὶ κοῦραι διός.* —

Caeterum, ut illuc revertar, sepultus eâ in insulâ riteque conditus, atque adeo fano dedicato celebratus Osiris in caussâ fuit, cur posteriore etiam aevo Aegyptii sanctiorem nullam jurisjurandi formulam haberent, quam illam: *Μὰ τὸν ἐν Φίλαις Ὄσιριν.* „Per Osiridem, qui Philis est.“ [167])

§. 16.

Osiris an pastor. Historica et chronologica de imperio Pastorum (Hyksos).

Explicui quae mihi videantur harum religionum primordia fuisse. Jam videndum est de eâ origine, quam sibi nuper earundem informavit *Zoëga*, inprimis usus testimonio Herodoti. Hujus ego ipsa

---

Alterum Scholion: *πολλῶν λεγομένων περὶ τῆς τοῦ νείλου ἀναβάσεως πρῶτος ὅμηρος τὴν ἀληθεστάτην αἰτίαν εἶπε, διϊπετῆ προσαγορεύσας αὐτὸν ὅτι πληροῦντα ἐκ τῶν ἐν αἰθιοπίᾳ γινομένων τοῦ θέρους ἀδιαλείπτων καὶ σφοδρῶν ὑετῶν. ὡς καὶ ἀριστοτέλης καὶ εὔδοξος πέπυσθαι ταῦτα φάσκων ἀπὸ τῶν ἐν αἰγύπτῳ ἱερῶν.* Denique ad vers. 483: *ὅτι τὸν νεῖλον αἴγυπτον ὀνομάζει· ὁ δὲ ἡσίοδος ὡς ἂν νεώτερος νεῖλον αὐτὸν οἶδεν ἤδη καλούμενον.* Tu, ne plura congeram in re protritâ, cum his scholiis cf. Herodot. II, 19 sqq. Strabon. XVII. p. 790. Tzsch. et Eustath. ad locum Odyss. l. p. 181 ed. Basil.

167) Vid. Tzetzar. Schol. ad Lycophron. vs. 212, cf. Eudociae Violet. p. 319, ubi corruptissima est haec jurisjurandi formula. Sed de lectionis insigni hac varietate monendi otium fecerunt nobis Zoëga de obeliscc. p. 286 et Mueller ad Scholior. l. l. p. 484. Caeterum huc refer etiam *Ἶσιν τὴν κατὰ τὰς Φίλας ἔτι τιμωμένην* apud Marinum de vit. Procli pag. 47. p. 16 ed. Boissonadii, quem consule p. 109. Fabulam attigit etiam a Gaisfordio nuper editus Scholiastes ad Gregor. Naz. carmina p. 50.

verba praemittam: — Cheops et Chephren Aegypti reges erant per centum et sex annos II, 128: *Ταῦτα ἕξ τε καὶ ἑκατὸν λογίζονται ἔτεα, ἐν τοῖσι Αἰγυπτίοισί τε πᾶσαν εἶναι κακότητα, καὶ τὰ ἱρὰ χρόνου τοσούτου κατακληϊσθέντα οὐκ ἀνοιχθῆναι. τούτους ὑπὸ μίσεος οὐ κάρτα θέλουσι Αἰγύπτιοι ὀνομάζειν, ἀλλὰ καὶ τὰς πυραμίδας καλέουσι ποιμένος Φιλιτίωνος* (al. *Φιλίτιος*), *ὃς τοῦτον τὸν χρόνον ἔνεμε κτήνεα κατὰ ταῦτα τὰ χωρία.* „Istorum regum odio ne nomina quidem memorare volunt; sed pyramides etiam illas (nimirum quas Cheops et Chephren exstruxerant) vocant pastoris Philitionis (Philitidis), qui per id tempus in illis locis pecora sua pavit."

Jam Zoëga de obeliscc. pag. 389 not. 20 ita: „Latet in his obscurus mythus, quem ipse Herodotus primis tantum labiis degustaverat. De Hyksos, qui Aegyptum subjugavere, hîc cogitare non possum: nam hi breve tempus Memphin tenuere, neque hujusmodi aedificia sunt pro nomadum ingenio. [168]) Num pastor ille Philitis ipse est Osiris Philensis, cui mortuorum domicilia consecrata fuere? Vocabulum *Σώς*, quod proprie pastorem denotat, poëtis autem atque sacerdotibus regem significabat, eâdem ratione, qua Homero dicuntur *ποιμένες λαῶν*, opportunam oc-

---

168) Contra Heeren. in Ideen II. p. 549 sq. ex hoc ipso rudioris populi ingenio haec rudia immaniaque, ut dicit, monumenta commode explicari posse arbitratur. Neque tamen idem ibid. nota 6, ubi Zoëgae suspicionem attigit, ei refragari est conatus. Quod miror. Neque congruere videntur ea, quae posuit idem vir doctus p. 594 supr.

casionem praebere potuit interpretibus pecudes fingendi pascentes in campis, altâ arenâ undique obtectis, nec ullo vegetationis germine dotatis. Forsan reverentia erga sacratissimas moles in caussâ fuit, ut conditorum nomina tacerent Aegyptii, dum eas appellarent *arces regis Philensis*, nec cuivis proderent, qui veterum regum in illis sepulti jacerent.“ Quae priusquam dijudicamus, interponenda videtur plane diversa sententia adeoque nostri loci interpretatio Jablonskii in Vocc. Aegyptt. p. 346, quam nemo, quod sciam, adhuc Herodoto adhibuit. Quocirca integram apponam: „Cum autem *Ὑκσὼς*, ut explicuimus, significet [169]) aut *magum pastorem*, aut *pastorem armatum*, utrumque illud ad *Mosen*, ex sententiâ Aegyptiorum, potest referri. Erat certe pastor, non tantum ex gente pastorum Israëlitarum oriundus, sed qui etiam pastoris provinciam in Midiame apud socerum suum gessit. Dicitur Moses *προςδιδασκόμενος εἰς ἡγεμονίαν ποιμενικὴν* ap. Clement. Alex. lib. I. Strom. p. 345 (415). Inprimis legatur Philo de vitâ Mosis p. 612 (90. 91). Eo forte respicit *Herodotus*, narrans lib. II. cap. 128, imperasse Aegypto reges quosdam improbos, qui templa deorum occluderent, et populum ad exstruendas Pyramides cogerent, atque has ab Aegyptiis vocari Pyramides *Pastoris Philitionis*, *ποιμένος Φιλιτίωνος*. Annon hîc latet [170]) pastor *Philistaeus* sive *Palaestinus*, i. e.

---

169) Josepho nemo nescit *Ὑκσὼς* esse *βασιλεῖς ποιμένες Reges Pastores*, contra Apion. lib. I, 14. p. 1039 ed. Colon. p. 445 ed. Havercamp.

170) Te Waterus V. C. ad haec ita: „Ingeniosae huic conjecturae minus favet auctoritas plurium codicum, in

Judaeus? Cum vero addat Herodotus imperasse istos reges per CVI annos, videndum, an hoc sit regnum Heracleopolitarum, quod Manetho apud Eusebium p. 15 affirmat durasse C annos. Heracleopolin vero esse Gosen, terram Israëlitarum in Aegypto, alibi docui. Habebatur idem Moses pro Mago seu sacerdote Aegyptiorum, et credebatur disciplinis sacris Aegyptiacis ita imbutus, ut cum Magis auderet decertare, ac tot tantaque ederet miracula." [171])

---

quibus pro φιλιτίωνος legitur φιλίτιος, quod Gronovius probavit, et Wesselingius in textum recepit." Haec ille. At quod Gronovius propterea codicis Medicei, deliciarum suarum, lectionem h. l. potiorem habuit, *quia φιλίτιος ex vero Aegyptium esset:* hac de re contendere noluit Schweighaeuserus, sed codicibus tamen aliis suadentibus dedit rursus φιλιτίωνος. Ac certe codex F. (Schellersh.), quem iterum consului exhibet φιλιτίονος. Neque hoc codice Mediceus est praestantior. Quae cum ita sint, *hactenus* sic satis in salvo videatur conjectura Jablonskii, quatenus de loci lectione quaeras.

171) Constat inter eruditos, a Josepho Manethonis locum de pastoribus (*Hyksos*) ad ipsos *Israëlitas* esse relatum. Qua de re nolo repetere quae post Marshamum p. 103 Can. Chron. disputarunt alii viri docti, quorum sententias docte et tamen brevissime exhibet in copiosissimo libro: Anleitung zur genauern Kenntniss der allgemeinen Welt- und Völkergeschichte I, 1. p. 296 seqq. C. D. Beckius V. C. Ac ne ipse prorsus ἀσύμβολος discedam ab hoc loco in rebus Aegyptiis primario (cf. Heerenii Ideen II. p. 551.), admonebo loci Manethonis, qui cum testimoniis ap. Josephum contra Apion. I. §. 14. p. 1039 sq. Colon. p. 444 sq. cum Syncello p. 61. d. et Eusebio p. 97 Scaligeri componi debet. Exstat autem Manethonis locus ap. Scholiastam Platonis ad Timaeum p. 202 Ruhnken, et emendatior ap. Bastium in comment. palaeogr. ad Gregor.

Jam, ut priorem partem conjecturae, quae Zoëgam auctorem habet, excutiam: equidem in ipsâ continuo genitivi formâ *Φιλίτιος* vel *Φιλιτίωνος* haereo. Nam cum Graecis haec verbis narrata sint, caussam non video, cur, si Philis in insulâ ortus rex significatus esset, non potius *Φιλάτου* dixerit Herodotus (Vid. Stephanum Byzant. p. 759 Berkel, ubi *τὸ ἐθνικὸν τῆς νήσου* dicit esse *Φιλάτης* [172]) vel *Φιλίτου*. Nam sive *Φιλίτιος* malueris sive *Φιλιτίωνος*: neuter genitivus in has Philas videtur cadere.

Corinth. p. 827; qui eum ex cod. Parisino exhibet: *Ἐκ τῶν Μανεθῶ Αἰγυπτιακῶν· ἑπτακαιδεκάτη δυναστεία ποιμένες ἦσαν ἀδελφοὶ Φοίνικες, ξένοι βασιλεῖς, οἳ καὶ Μέμφιν εἷλον, ὧν πρῶτος Σαΐτης ἐβασίλευσεν ἔτη ιθ, ἀφ' οὗ καὶ ὁ Σαΐτης νομὸς ἐκλήθη — ὁμοῦ ργ* (i. e. summâ factâ annos 103) *ὁ δὲ Σαΐτης κ. τ. λ.* Convenit autem ille numerus centum et trium annorum optime cum Eusebio in Chron. qui item CIII. annos sex regibus Pastorum assignat. Quod apud Heerenium in libr. Ideen II. p. 548. Josèphus istis regibus centum et sexaginta dicitur attribuere, subest vitium typographicum, cum ap. Josephum summa sit fere 260 annorum. Quod vero Kircherus Dynastiae decimae et sextae, quam Pastorum dicit, assignaverat Menam regem sive Osirin (nam pro uno eodemque habet): hoc nomine dudum reprehensus est a Perizonio in origg. Aegyptiacc. I, 5. p. 80 ed. Leid. Caeterum si recte conjiciunt auctores operis Descript. de l'Egypte Antiqq. Vol. II. p. 244: hodieque exstant anaglyphis delineata haec bella pastores inter atque Aegyptios, nimirum insculptis tabulis, quae ornant palatium regium Thebaicum prope Karnak.

172) Sic certe Stephani codices et editiones, posteaquam duarum insularum mentio injecta fuerat, et ejus, quae in Herodoti libris IV, 178 scribitur *Φλὰ* (Stephanus legit *Φίλα*) et vero Aegyptiacae, quae numero plurali vocatur *Φίλαι*. Berkelius autem conjicit *Φιλίτης*.

Deinde quod Homerici sermonis admonet vir doctus: per se patet, eo nihil effici, ubi de *Aegyptiaco* vocabulo quaeritur. Quod vero a *sacerdotibus* dicit reges appellatos esse pastores: non infitias ibo, apud alios populos hanc appellationem invaluisse: [173]) sed numquid etiam apud Aegyptios? Ego alia omnia comperi. Vel Moses loquatur, apud quem in ipsâ Aegypto Josephus ad fratres suos ita ap. LXX. sermocinatur Genes. XLVI, 34. *ἐρεῖτε· ἄνδρες κτηνοτρόφοι οἱ παῖδές σου ἐσμὲν — βδέλυγμα γάρ ἐστι τοῖς Αἰγυπτίοις πᾶς ποιμὴν προβάτων.* [174]) Ac plane in eandem sententiam Manetho ap. Joseph. advers. Apion. I, 14. p. 1039. G. p. 444: de pastoribus illis quos Hyksos appellat: *καὶ παραδόξως ἐκ τῶν πρὸς τὴν ἀνατολὴν μερῶν ἄνθρωποι τὸ γένος ἄσημοι καταθαρσήσαντες ἐπὶ τὴν χώραν ἀνεστράτευσαν.* Igitur et huic Aegyptii illi pastores sunt obscuri homines atque contemti. [175]) Quae qui legat, is

173) Sic, ut hoc utar, Abydenus apud Eusebium in Chronico, ex cod. Armen. nuper edito a Majo V. C. I, 6. p. XXXV. ed. Mediol. princ. de Aloro regum primo ita scribit: „Deque hoc homine id tantum narratur, a Deo nempe providentissimo *pastorem populo suo datum.*"

174) Ex accuratioris linguae legibus supervacaneum erat extremum vocabulum, si grammaticis fides, qui distinguunt *ποιμένα* et *αἰπόλον*, et illum ovibus reservatum volunt. Scholiast. Theocrit. Idyl. I, 6. Ammonius p. 9. ed. Valckenaer. *Ποιμὴν δὲ, ὁ ἐπὶ τῶν προβάτων.* Utut est, illud attende: et *κτήνεα* et *ποιμένα* pariter in loco Herodoteo legi atque in LXX. interprett.

175) Atque ab ipso adeo dedecore pastoribus nomen inditum credit *de Rossi* in Etymolog. Aegypt. p. 280: „*Σῶς, ποιμὴν, pastor* theb. Joann. X, 2. 11. 14. 15. 16

minime sibi persuaderi patietur, *sacerdotes* Aegyptios, quibus maxime infesti exstiterant isti pastores bellatores, hoc ipsum pastorum nomen suis regibus impositur os fuisse? Deinde illud universe concedo, quod Zoëga memorat, Aegyptios reverentiâ prosecutos esse sacratissimas moles pyramidum. Verumtamen illarum pyramidum conditores vehementer exosus erat populus. Lege antecedentia in Herodoto (II, 24): Cheops templa claudit, a sacrificiis arcet Aegyptios, uno verbo, ad omne facinorum genus processisse dicitur. Tum cunctos ad opus faciendum adigit, quo sibi pyramidem exstruat [176]). — Jam quaero, quid ab istiusmodi rege profectum *populus divexatus* (*λαὸς τριβόμενος* ibid. et cap. 128.) unquam sacrum potuerit ducere? Potius exosus erat omnia ejus regis et exsecrabatur. Hoc animo cum in Cheopem ac Chephrenem essent sacerdotes, atque infesta sibi nomina oblivione delere vellent (II, 28.), quis credat,

---

in cod. Nan. Item *Σὼς* Zach. XIII, 7 et *Σοὸς* Jobi I, 16 in cod. Borg. Nomen pastores traxisse reor a *σὼς probrum, dedecus.*" Sequitur observatio ad antiquitatem linguae Copticae firmandam pertinens. Utut est, recte, me judice, Herodoti locum quem tractamus II, 28 ad ea indicia retulit Heeren libr. l. p. 594 supra, unde appareret, quo in contemtu pastorum vagorum genus apud Aegyptios veteres fuerit.

176) Huic famae congruit locus Aristotelis Politicorum lib. V, 11 (9). p. 229 Schneideri. *Καὶ τὸ πένητας ποιεῖν τοὺς ἄρχοντας τυραννικὸν, ὅπως ἤτε φυλακὴ τρέφηται, καὶ πρὸς τῷ καθημέραν ὄντες ἄσχολοι ὦσιν ἐπιβουλεύειν. Παράδειγμα δὲ τούτου αἵτε πυραμίδες αἱ περὶ Αἴγυπτον κ. τ. λ.* De Pyramidibus similia legas apud Josephum Archaeolog. II, 9. 1.

eos odium suum ita dissimulasse, ut iisdem tecte maculam adspergere negligerent? Atque licet universe sit verum atque elegans, si Osiris, tanquam mortuorum dominus, *magni gregis pastor* dicatur: ab Aegyptiorum tamen sermone alienissimum est, pastoris nomen attribui ei deo, quem universa Aegyptus reverenter colebat.

Quae cum ita sint, ab hac parte multo firmatior judicanda est ratio Jablonskiana; quam tamen, quod reliqua attinet, et ipsam in medio positam relinquo.[177])

§. 17.

Osiris an homo. Reges Aegypti (Sesostris) sacerdotes, heroës, genii, dii deorumque in terris imperium.

Venio ad alterum locum Zoëgae, [178]) quo Osiridis historiam, qualem quidem sibi informavit, explicatius memorat et exornat. Ibi enim ille haec posuit: „Aegyptum existimo, quo tempore habitari coepta, colonos recipisse alios ex Arabiâ, pastoritio vitae genere utentes, alios ex Aethiopiâ, jam terram colere doctos. Illi tenuerunt paludes Pelusiacas et et partem Delta, cum Babylone et Heliopoli usque mediam Heptanomida. Aethiopes condidere Thebas

177) Ac similiter in ipso nomine haereas. Nam si *Philistaeum* sive *Palaestinum* editum audierat Herodotus ex ore Aegyptiorum: semper restat, ut quaeramus, cur non *Φυλιστίνου*, ut est apud Josephum Archaeolog. I. p. 14. C. ed. Colon; vel potius, quod Josephus ipse hoc sensu frequentat (v. c. I, 7. II, 6. VI, 1. et passim) *Παλαιστινοῦ*? — Hanc quidem gentis terraeque appellationem ipse usurpat Herodotus. Vide sis II, 104. III, 5. VII, 89.

178) De Obeliscis p. 577 seq.

et Abydum, multaque oppida in Thebaide et Delta: ac per plura saecula vario successu bella gesserunt cum pastoribus. Ad hanc aetatem pertinere videtur *historia Osiridis, qui ex Aethiopiâ advena, cum agrorum cultum novis inventis auxisset, et artes, quibus communis vita juvatur, docuisset Aegyptios, denique a pastorum principe Baby, quem Graeci Typhonem appellant, dolo circumventus periit, occasionemque praebuit ritibus lugubribus.* Praevaluere postea Thebaei, Memphimque condidere, et pastoribus eripuere Heliopolin, quin et ipsum Pelusium sive Abarin: sed quoniam divisi essent in multas civitates nullo foedere conjunctas, neque inter se concordes, saepe obnoxii fuere pastorum Deltensium Arabumque invasionibus, interdum et ab his sub jugum missi. Usque dum Sesostris sive Sethos, Amenophis filius, expugnato iterum Pelusio, pastoribusque, vel in paludes se recipere, vel in Arabiam Syriamque migrare coactis, arma sua usque in Palaestinam protulit, et in patriam redux totius gentis caput fuit constitutus. Is omnes Aegypti civitates in unius reipublicae formam redegit, legesque, quas ab *Hermete, antiquo Aegyptiorum sacerdotum numine, sibi traditas fingebat*, universo populo suffragante pertulit. — Quo factum ut posteri grato animo memoriam ejus colerent, et res ab eo gestas laudationibus et hymnis ad miraculum usque augerent.“ [179])

179) In notâ subjectâ nubem testium excitat, qui antiquitus de Sesostride varia tradiderunt, quos rursus excitare non attinet. Ejusdem res attingit idem vir doctus p. 16. p. 642 seqq. Qui autem apte disposita uno in loco legere cupiat, quae et veteres et recentiores hoc de rege

memorant, is adeat Beckii librum praestantissimum proxime laudatum I, 1. p. 694 sqq. et consulat Heerenii l.: Ideen II. p. 555 sqq. p. 735 sq. et p. 746 sqq. Illud ipse attingam, quod ad Herodoti (loco de Sesostride classico II, 102—110.) itemque Diodori (I. cap. 53. p. 62 seqq. ubi *Σεσόωσις* in plurimis codd. dicitur) fidem firmandam facere videtur. Ac primum quod ille cap. 100 init. refert: *Μετὰ δὲ τοῦτον κατέλεγον οἱ ἱρέες ἐκ βύβλου ἄλλων βασιλήων τριηκοσίων τε καὶ τριήκοντα οὐνόματα.* Qui locus nunc planius intelligitur, post protracta ex hypogaeis Thebaicis volumina papyracea, non solum imaginibus ornata, verum etiam late patentibus scripturae columnis referta; unde recte colligit doctissimus Jomard in Description de l'Eg. Antiqq. II. p. 358. non modo tesseras sacras, ritus, disciplinarum praecepta sacrarum perscripta fuisse in illis voluminibus, verum etiam historias, et pro *annalibus* magnam partem habenda esse ea, quae papyri illae habuerunt. Inde proclive est ad intelligendum, cur Diodorus res Sesostridis uberius persecutus sit, brevius Herodotus. Nimirum si statuas, e majoribus voluminibus hausta esse ea, quae Diodorus memorando audiverat, e brevioribus autem lectitata, quae apud Herodotum relata sunt: debent proinde utriusque narrationes censeri e fide *annalium sacerdotalium.* Deinde quae verbis narrata leguntur apud utrumque scriptorem, eadem prorsus, vel ex parte valde similia, anaglypha exhibent in parietibus templorum palatiorumque exsculpta. Quo ea pertinent, quae in vico Medina-tabu visuntur, aeneisque tabulis reddita exstant in opere laudato. Ad ea cf. quae ibidem monentur ab editoribus Vol. II. cap. 9. sect. 1. p. 60 seqq. Quae tabulae adhibendae sunt Herodoto II. cap. 102 seqq. De Memnone et Sesostride confusis verbo monuit in seqq. Herodotus (cap. 106.), ejusque confusionis etiam apud Pausaniam mentio fit I, 42. 2. p. 161. Fac. Quo in loco Herodotus Sesostridis statuas in Ioniâ agnoscere videtur editoribus Descriptionis (Vol. laud. p. 94.) neque vero utrumque regem pro uno eodemque habere. Caeterum regum Aegyptiorum opes, res ge-

stas, longinquasque expeditiones ex obeliscis Thebaicis Strabo etiam recitat, vel adumbrat potius XVII. p. 816 (1171 Almel). p. 600 Tzsch. Quod porro Historiae pater cap. 110. ἀνδριάντας λιθίνους et triginta et viginti pedum altitudine memorat, Sesostris jussu dedicatos: horum quóque compares, ex lapide Aegyptio rufo (Syenite) factos, nuper eruerunt Francogalli, in ipsâ Thebaide obvios, colossos, undetriginta pedum altitudine. (Ibid. II. p. 217 sq.) Haec singula qui recte aestimaverit, is agnoscat oportet, quantopere consulatur fidei multarum Herodoti Diodorique narrationum, quas superior aetas pro meris commentis habuit. Quocirca, quod negare videtur Zoëga l. l., ad ipsas Indiae oras navigasse Sesostrin: ei rei nunc firmamenta ex monumentis Thebaicis parare student Francogalli in opere Descript. de l'Eg. Vid. v. c. Vol. II. Antiqq. p. 54 seqq. et tab. 10. nec Heerenius (libr. l. p. 757) obloquitur, et Beckius l. l. citeriorem Indiam concedit potuisse attingi a Sesostride. Champollio in iis partibus libri l'Egypte sous les Pharaons, quae hucusque lucem viderunt, haec levi tantummodo brachio potuit attingere (vid. I. p. 55). Idem tamen ex mss. Copticis Indiae nomen exhibet, quod hac datâ occasione apponam: P-hendou, Pihendou; ibidem etiam offendisse sibi videtur voculam geminam Hebraeorum Ophir (p. 98). Quod Sesostridi insidias a fratre structas memorat Herodotus (II, 107 sq.) post Larcherum (VIII, 168.) eam rem denuo cum Manethone apud Josephum c. Apion. I, 14. 15. contulit Champollio, suspicans, temere universale nomen *Aegypti* Graecos imposuisse ei regi, qui Danai frater ferebatur, caeterum probabilia esse et congrua temporum rationibus, quae apud Josephum l. l. ex Manethone proferantur, viderique Danaum esse *Armaïn* Manethonis; fratrem autem, quem Graeci ignorantiâ Aegyptum dixerint, *Sesostrin*, quem *Sethosin Ramessem* judicat Champollio. Danai, nemo nescit, filiarumque ter mentionem fieri in Herodoti Aegyptiacis, nimirum: II, 91. 171. et 182. Quod Sesostris leges agrarias similesque attinet, Historiae patri memoratas II, 109. coll. 164,

Siccine effectum praestiterit Zoëga quod apud poëtam [180]) est:

Evolvam busto jam numen gentibus Isin,
Et tectum lino spargam per vulgus Osirin —?

Aut refragabimur, et obtendamus hujusmodi orationem, qua in alios viros doctos antehac usus est Perizonius [181]): „Nihil autem facilius quam in tot tantisque fabulis de Osiride et reliquis diis aliquid reperire circumstantiarum, quod ad hunc aut illum regem accommodes"? Minime vero. Quominus tam leviuscule in hâc caussâ defungamur, prohibet et doctrina viri jam saepius a me dilaudata et Herodoti nostri auctoritas, cujus loci aliquot etiamnum tractandi illustrandique sunt nobis, et vero etiam historia antiquitatis universa, cum fabularis tum reliqua, quae cum hac quaestione conjuncta videtur.

Ac continuo applicabo me testimoniis Herodoti ipsius, qui nihil minus novit in Aegypto, quam deos famâ vulgi ex hominibus factos. Ille vero ex ore sacerdotum Aegyptiorum ita (II, 142.): „Intra undecies mille trecentos et quadraginta annos dixerunt

---

laudat in consimili argumento, ubi Cretensium Minoisque leges attingit, Sesostrin Aegyptiorumque instituta tanquam antiquissima omnium, Aristoteles in Polit. lib. VII, 10. 3 (cap. 9. p. 288 Schneideri). Easdem leges ex Herodoto l. l. cum Sinensium legibus comparavit nuper admodum vir doctus in the classical Journal Vol. II. p. 587. De praefecturis (νομοῖς) Diodoro (I. 54. p. 64 ubi consule Wesseling.) refragatur Champollio I. p. 71, eam distributionem multo antiquiorem esse conjectans.

180) Lucan. IX, 158.

181) Aegyptt. Origg. Investigat. p. 79 ed. Leid.

(sacerdotes) deum nullum sub hominis formâ exstitisse: atque etiam nec antea, nec postea, in reliquis Aegypti regibus tale quidquam fuisse.“ [182]) Proximo capite (II, 143.) Hecataeo Milesio, narrat Herodotus, Thebis originem generis sui recensenti illamque ad deum tanquam decimum sextum progenitorem referenti, idem fecisse sacerdotes Jovis, quod sibi (Herodoto) genus suum non recensenti. „In aedem amplam, [183]) pergit, me introduxerunt ac monstra-

182) Quae continuo subjiciuntur de sole intra hoc temporis spatium quater e suis sedibus egresso, nemo nescit multorum astronomorum ingenia exercuisse. Ego iis, quae Wesseling. Larcher. Schweighaeuserusque ad h. l. excitarunt, nonnihil addam. Etenim e veteribus Hipparchi consimilis dicitur sententia fuisse. Vid. etiam Senecae epistol. ad Lucil. 71. et ad eum Mureti Scholia Tom. III. p. 61 Ruhnken. Porro qui nuper admodum sacerdotali Aegyptiorum doctrinae ipsique astronomiae ab ipsis excultae quindecim millium annorum vetustatem asserere studuerunt Franci, eos, nemo dubitabit, hunc locum praecipue adhibituros fuisse. Vide Remi Raige in Memoir. Astronomique (in Descript. de l'Eg. libr. I. p. 169 seqq.). Ad scientiam *progredientium certis periodis aequinoctiorum* revocarunt alii in eodem opere Antiqq. Vol. II. p. 257. In aetate Aegyptiorum definiendâ cautior Goerres meus in libro: Mythengesch. der Asiat. Welt. p. 415. not.; qui nec ipse Herodoteum locum neglexit.

183) ἐς τὸ μέγαρον — ἐὸν μέγα. Non repetam quae alibi de hujus vocis variâ potestate collecta dedi. Hoc loco illud unum delibabo: in Odysseâ A. 269 Scholiasten Palatini cod. μεγάροισι explicare, οἴκοις. Hoc loco pro atrio accipiunt Francici editores magni operis Descript. de l'Eg. Antiqq. II. p. 219; nimirum oculis sibi videntur usurpasse illud ipsum Herodoteum μέγαρον, quandoquidem in vico Karnak ab orientali parte Nili hodieque patet

runt numeraveruntque statuas ligneas tot quot dixerant [184]). — Numerantes igitur monstrantesque mihi hasce imagines, incipiendo ab eo qui proxime mortuus erat, confirmarunt mihi, unumquemque esse filium alterius patrique successisse; atque ita omnes recensuerunt imagines, donec mihi cunctas monstrassent.“ Atque hanc ipsam summorum sacerdotum genealogiam opposuerunt: „non admittentes, quod ille affirmabat, ex deo generari hominem: opposuerunt autem ita, ut dicerent, unumquemque horum esse *piromin*, ex *piromi natum*; neque a deo aliquo, aut a semideo, genus illorum repetentes. *Piromis*

---

amplissimum atrium, in quod ipsum introductum arbitrantur utrumque historicum.

184) *Κολοσσοὺς ξυλίνους*. Usus est hoc loco docte, uti consueverat, nunc ipsum literis artibusque ereptus E. Q. *Visconti* ad Museum Pio-Clement. Vol. II. p. 32 sq. Francici autem quos modo dixi editores magni operis laud. II. p. 169 hos ligneos colossos arbitrantur fuisse sarcophagos ligneos, sive mumiarum arcas, in quibus ipsorum pontificum maximorum cadavera medicata inclusa fuerint. Haec ille. Quorum conjecturae, si quis opponere velit quae proxime leguntur: „Ibi namque quisque summus sacerdos, dum vivit, imaginem suam ponit“ (*ἵσταται*): ei ego auctor sim, uti reputet Herodotum II. cap. 86. de veris mumiis similiter loqui: *ξύλινον τύπον ἀνθρωποειδέα — ἵσταντες ὀρθὸν πρὸς τοῖχον*; deinde viros honoratos in conclavibus aedificiorum memorari sepultos; tum, quam vim in Aegyptiorum vitâ ac societate habuerit mumiarum spectaculum (vid. II, 78); denique, quam consentaneum sit ejusmodi religionum sacerdoti, vivum ac spirantem sibi arculam ipsum suam collocare in atrio sublustri. Itaque illam sententiam doctam judico.

autem graeco sermone significat virum probum honestumque." [185])

Pergit Herodotus sequenti capite (144). „Igitur hos, quorum illae sunt imagines, fuisse tales adse-

185) *Πίρωμις δέ ἐστι κατ' Ἑλλάδα γλῶσσαν καλὸς κἀγαθός.* Quod Jablonskius (Prolegg. ad Panth. p. 38 itemque in Vocc. Aegg. p. 204). *Piremei*, i. e. *facientem quod justum est*, ab Herodoto confusam esse dixerat cum *Piromi*, i. e. homine, ei sententiae obloquitur Larcher. (Vol. II. p. 486 sq.); idque vix fieri potuisse in vocabulo tam vulgato contendit. Recte, si quid video. Ac lucem arbitror afferri posse huic loco Herodoteo, si contuleris haec Maximi Tyrii Dissert. VIII, 5. p. 137 seq. Reisk., quae insignem Aegyptiarum Graecarumque religionum indolis significationem habent: *Ἕλληνες μὲν θύουσι καὶ ἀνθρώποις ἀγαθοῖς, καὶ τιμῶνται αὐτῶν αἱ ἀρεταί, ἀμνημοῦνται δὲ αἱ συμφοραί· παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις ἰσοτιμίαν ἔχει τὸ θεῖον τιμῆς καὶ δακρύων.* Ad quae Marklandus ita: „Vult, opinor, Graecos sacra facere nonnullis, qui boni viri fuerunt, dum inter homines versabantur, nunc autem in *τοὺς Κρείττονας* transcribuntur: quales Bacchus, Hercules, Castor et Pollux et *τοπικοὶ* innumeri." Jam quis dubitet, Hecataeum, qui *deum* adeo fecerat generis sui *ἀρχηγέτην*, de reliquis deinceps majoribus suis item magnificentius esse locutum, ut eos saltem heroas ac *Κρείττονας* appellaret. Cujusmodi orationi sacerdotes nihil aptius apponere poterant, quam illud: „Horum pontificum, quorum imagines adspicis, unusquisque fuit *vir quantivis καλὸς κἀγαθὸς*, neque tamen quemquam dicimus ex deo vel ex heroë esse generatum." Attende extrema: — *οὔτε ἐς θεὸν, οὔτε ἐς ἥρωα ἀνέδησαν αὐτούς.* Nihil igitur certius quam Hecataeum, qui deum auctorem sui generis proferret, *heroas* etiam inter Milesios suos majores jactasse, sive *Κρείττονας.* Quibus salse Thebaici sacerdotes obtrudebant illos suos, quos tantummodo *ἀγαθοὺς* dicebant. Proclus mscr. in Platonis Cratyl. — *καὶ διὰ*

verant, multumque a diis diversos. Ante homines autem istos, dixerunt, deos fuisse, qui in Aegypto regnarent, simulque cum hominibus illam habitarent [186]; et ex his semper unum fuisse qui sum-

---

τοῦτο δοκεῖ πολλάκις ἐκ τῆς μίξεως αὐτῶν πρὸς τοὺς ἀνθρώπους γεννᾶσθαι ἥρωας· οἳ ἂν δοκῶσιν ἔχειν τι ὑπὲρ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν πλεονέκτημα. Quae cum ita sint, Herodotum prorsus accurate explicasse dixerim Aegyptiacum illud: *Πίρωμις*. Caeterum quod Lacrozius hist. Christ. des Indes p. 429, referente Larchero, Samscritanum *Biroumas*, *Brahma* (*Birma*) cum Aegyptiaco Piromi comparavit: multos nuper sectatores haec sententia nacta est. De qua ego pronuntiare nolo.

186) *οἰκέοντας ἅμα τοῖσι ἀνθρώποισι*, reposuit ex codicibus aliquot post Schaeferum Schweighaeuserus. Ego mihi hoc loco laudo modestiam Wesselingii, qui, cum et ipse faveret ei lectioni, in textu tamen pristinam exhibuit *οὐκ ἐόντας*, quam Athenagoras in suo cod. legerat, et Med. Schellersh. (F.) aliique tuentur. Nec Valckenaerius diserte potiorem judicat alteram. Simpliciter accepit Jablonski Prolegg. Panth. p. 39. 41. qui cum hominibus *non una vixerint*. Quae sententia quam difficultatem pariat, commonstravit Wesselingius ad nostr. locum, et, ut hoc ipse etiam addam, nemo nescit, Thebas, Abydum aliasque Aegyptias urbes conditas ferri a diis. Sed quid, si *εἶναι ἅμα τοῖσι ἀνθρώποισι* h. l. eam potestatem habeat, quam alibi *συμμῖξαι*, *ὁμιλεῖν*, *διαλέγεσθαι*? Quae verba de rebus venereis usurpari docuit Valckenaerius ad Nostri II, 64. Hoc si admittas, hoc ipsum *οὐκ ἐόντας ἅμα κ. τ. λ.* idem foret atque superius fere: *οὐ δεκόμενοι παρ' αὐτοῦ, ἀπὸ θεοῦ γενέσθαι ἄνθρωπον.* Neque vero quisquam hac in sententiâ exspectaverit *μὴ ἐόντας κ. τ. λ.* Vide modo Matth. Gramm. gr. §. 600. 1. et inprimis Hermannum ad Vigerum Nr. 458. p. 805. — Verumtamen — neque enim quidquam silentio est premendum quod ad rem faciat — ipsi Herodoto refragatur quodammodo Plutarchus, ita

mum imperium teneret. Postremum horum in Aegypto regnasse *Orum*, *Osiridis* filium, quem Apollinem Graeci nominant: hunc finem fecisse Typhonis potentiae, postremumque ex deorum numero regem fuisse Aegypti.[187]) Osiris autem Graecorum sermone Dionysus (sive Bacchus) est."

E quibus locis nunc illud inprimis teneri volo, quod ipsi *sacerdotes* Aegyptiorum utrique historico diserte declararant: se ἥρωας sive *semideos in suis*

---

narrans in Symposiacc. VIII. prooem. pag. 718. pag. 960 Wyttenb. — *ἀλλ' Αἰγύπτιοι — ὅλως ἄῤῥενι θεῷ πρὸς γυναῖκα θνητὴν ἀπολείπουσιν ὁμιλίαν· ἀνάπαλιν δὲ οὐκ ἂν οἴονται θνητὸν ἄνδρα θηλείᾳ θεῷ τόκου καὶ κυήσεως ἀρχὴν παρασχεῖν*. Graecorum religiones, quae utramque consuetudinem deorum hominumque statuerent, philosophorum disputationibus locum fecerunt, cum differentiam inter heroës a deo vel a deâ genitos explicarent. Vid. v. c. Plotin. p. 7. C. Alia ex Proclo attigi in Meletemm. I. p. 88.

187) Cum Herodoto hactenus facit Manetho apud Syncellum p. 19, quod et ipse *Osiridem deum* dicit. Contra idem Orum *semideorum* primum vocat. Ex quo loco corrigendus erat Manetho apud Eusebium in iis, quae nuper admodum ex codice Armen. erutae sunt, partibus Chronici inediti p. xxxix ed. princ. Maji V. C. Mediol. ubi nr. 17. haec leguntur: „Ex Manethonis Aegyptiacis monumentis (qui in tres libros opus suum tribuit de Diis Deorumque filiis, de simulacris, et mortalibus regibus, qui in Aegypto regnarunt usque ad Darium Persarum regem). Primus *homo* apud Aegyptios *Vulcanus* fertur, qui et auctor ignis fuit, ex quo sol exstitit, quem *Saturnum* vocabant. Post eum *Osiris*, post *Typhon*, Osiridis frater etc. Ubi illud: „*Primus homo Vulcanus*" aut interpretis est lapsus, aut ipsius Eusebii. Quod putidum est multis verbis confirmare velle.

sacris non agnoscere. Atque hujusmodi testimoniis nixus Historiae pater alio loco diserte item in medium profert illud: *νομίζουσι δ' ὦν Αἰγύπτιοι οὐδ' ἥρωσι οὐδέν· porro nec Heroas ullo cultu prosequuntur Aegyptii.* [188]) Zoëga, qui probe sentiret, parum favere hoc testimonium suae rationi, quam nunc cum maxime judicamus, ita vertit: „Neque heroïbus *defunctis* Aegyptii aliquid offerre consueverunt." In notâ autem subjectâ haec posuit: „Quod quidem intelligendum de aetate Herodoti et quae eam antecesserat, animarum doctrinâ apud Aegyptios jam excultâ et definitâ: nam tempus fuisse, quo ipsi, ut reliquae fere gentes, inferiis prosequerentur defunctos, documentum habemus, religionem Osiriacam, quae hinc maxime orta esse videtur. Qua de re alio loco." Atqui hic ipse est ejus locus quem de *rege Philensi* supra apposuimus. Herodotus autem l. l. (cap. 50.) de mortuis nil loquitur, sed posteaquam deos posuit, quos Graeci vel ex Aegypto vel aliunde adsciverint, simpliciter adjicit illa: „Heroïbus nihil sacri cultus tribuunt Aegyptii."

Namque Herodoto, nativâ ingenuâque fide narranti hausta ex ore *Aegyptiorum*, in hujusmodi caussâ unice auscultabimus. Atque ille superioribus testimoniis (capite 144.) continuo (cap. 145.) subjicit locum primarium de *triplice ordine* deorum Aegyptiorum, primorum (octo), alterorum (duodecim), tertiorum, in quibus ipse Osiris-Dionysus est. Quae

188) Quo de loco quid alii judicarint, ut Meinersius in libro vernac. histor. crit. omn. religg. I. p. 327. consulto praetermitto. Zoëgae autem verba supra posita leguntur de Obeliscc. p. 302.

omnia ubi in unum colligimus, quid inde efficitur? Nimirum hoc, quod, si quid video, hodieque firmatur doctrinâ consimili sacerdotali universorum populorum, qui nobis melius innotuerunt, Indorum, Persarum, aliorum. Habet nimirum hujusmodi doctrina hoc singulare, ut quae hodieque ad metaphysicas, physicas, astronomicas inprimis rationes rediguntur, ea sacerdotalis ratio ad historiae quandam speciem effingat. Hinc omnia illa quae hominum memoriam excedunt, dispescuntur per *regna deorum* (*βασιλείας θεῶν*). Videlicet ponunt prisci sacerdotes copiam quandam aetatum, quae per temporum decursum invicem se excipiunt. In principio et quasi in rerum omnium culmine locant vel unum vel plures deos supremi ordinis, et solâ mentis cogitatione informandos. Hos sequuntur dii alteri, inferiores illis primis, sed in quibus tamen et ipsis vera vis divinitatis, qua illi primi censentur, insit; et sic porro diversis gradibus procedente ordine. Hoc pacto fit, ut summum numen et tanquam ipsa divinitas propagine suâ deorum per labentes aetates sese explicet, et, licet per se summa, ad infima tamen omnia nec minus pertineat. In extremum autem gradum progressa, quâdam sui parte implicatur inferiorum rerum vicissitudine, rerum fluxarum gurgite immergitur, et mortalia adeoque mortem subit, ita tamen, ut, quia nunquam potest a se ipsa discedere, vi perennis suae divinitatis, reviviscat, et perpetuitatis rerum naturalium auctor sit.

Jam cogita *Osiridem*, ad omnia extrema adactum, nec immunem ab ultimâ sorte mortalium. Mortem oppetit; et tamen deus est, et tamen ge-

neratus ex secundi ordinis deo, qui et ipse progenitus fuerat a deo primario, et proinde tamen ipsius germanae atque illibatae divinitatis vim omnem in sese continet. Verum hoc ipsum, quod ille nec extrema mortaliaque refugit, reddit eum tertianum deum; verumtamen *deum* et suâ ipsum naturâ parem primariis deûm. *Moritur, componitur, et in mumiae formam condîtus fit perenne exemplum omnium earum rerum, quas mortalium quivis subire debet: et tamen nunquam illâ in parte descivit a summâ dignitate et perennitate summorum deorum.* Hinc egregie Maximus Tyrius l. supra excitato: *παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις, ἰσοτιμίαν ἔχει τὸ θεῖον τιμῆς καὶ δακρύων: „Apud Aegyptios vero ex aequo lacrymas deo et honores offerunt.“*

Hanc quidem tanquam germanam indolem religionum Aegyptiarum praestat nobis antiquus, antiquaeque fidei testis Herodotus. Neque vero propterea vituperandi videntur ii, qui, quod *deorum* naturam a mortali sorte immunem esse vellent, *magnos genios* appellari et judicari mallent eos, qui tam lugubria perpessi narrantur. Plutarch. de Isid. et Osirid. p. 300. p. 477 seq. Wyttenb. *Βέλτιον οὖν, οἱ τὰ περὶ τὸν Τύφωνα καὶ Ὄσιριν καὶ Ἶσιν ἱστορούμενα, μήτε θεῶν παθήματα, μήτε ἀνθρώπων, ἀλλὰ δαιμόνων μεγάλων νομίζοντες.* „Melius ergo faciunt, qui, quae de Typhone, Osiride, Iside narrantur, neque deorum neque hominum, sed *magnorum geniorum* eventa sentiunt.“ [189]) Quibus

189) Hîc rursus tenenda sunt illa Plutarchi quae supra attigimus, Symposiacc. VIII. prooem. p. 960 Wyttenb. ubi ab Aegyptiis, dicit, concedi mari deo cum mortali feminâ

continuo haec subjicit: „quos genios et Plato et Pythagoras et Xenocrates et Chrysippus, priscorum theologorum imitatione, hominibus robustiores exstitisse ajunt, et potentiâ nostram naturam longe superare, divinâ autem naturâ non sincerâ aut purâ praeditos, sed quae animae natura corporisque sensu comprehensa, voluptatis esset dolorisque capax, aliisque id genus obnoxia affectibus ac mutationibus, quibus alii magis, alii minus turbantur."

Quod nec pro *hominibus* haberi vult Osiridem, Isidem consimilesque Plutarchus, id pertinet ad communem opinionem reliquorum Graecorum. Qui quidem variis de caussis, quas h. l. explicare longum est, heroum cultum ejusmodi frequentaverant, ut homines bene de patriâ meritos in deos abiisse opinarentur, eosque adeo divinis honoribus, festis diebus, sacrificiis, precibus impertirent. Quocirca supina erat haec consuetudo, ut Graeci, sicubi in Aegypto (ut hic subsistamus) de aliquo deo ea narrari audiissent, ea etiam in ejus honorem fieri vidissent, quae in

consuetudinem, non item, mari homini cum deâ feminâ. Caussam autem subjicit hanc: *διὰ τὸ τὰς οὐσίας τῶν θεῶν ἐν ἀέρι καὶ πνεύμασι καί τισι θερμότησι καὶ ὑγρότησι τίθεσθαι.* „quia naturae deorum in aëre, ventis, caloribus, humoribusque certis ponuntur." Easdem *physicas caussas* religionum Aegypti popularium agnoscit idem de Iside et Osiride p. 366. p. 503. Wytt. cum dicit Aegyptiorum stolistas: — *ἐμφαίνοντες ὅτι γῆς οὐσίαν καὶ ὕδατος τοὺς θεοὺς τούτους* (Isin atque Osirin) *νομίζουσιν.* Quo minus dubitandum, priore loco merito dedisse Wyttenbachium *οὐσίας* pro *θυσίας*. Ex utroque autem loco hoc efficitur, ex Plutarchi sententiâ *semideorum* quoque originem ex *elementorum* quâdam divinâ vi et efficacitate repetendam esse.

mortalem hominem cadere viderentur: hujusmodi deum pro homine venditarent, meritis suis in deorum numerum relato. Qua in re insigniter etiam invaluerat illud, ut quidquid in Aegypto memorabile magnumque atque sacrum esset, illud a suis heroïbus Graecanicis profectum dictitarent. Hinc ipsas illas Thebas Aegyptiorum ab Ogyge Thebâque, uxore ejus, conditas, ab iisque Isidis sacra instituta fabulabantur (vid. Pherecydis et Antiochi locum excitatum in Meletemm. nostris I. p. 94). Fuit haec consuetudo ab initio nativum quoddam et insons studium magnum quidvis Graecorum meritis vindicandi, indeque rebus Graecis gloriam afferendi. Postea sub Alexandri Magni tempora et deinceps, cum ipsi suis religionibus diffidere coepissent philosophi et rerum publicarum praesides, et deos quosvis factitios dictitarent, Euhemerus aliique nihil antiquius habuerunt, quam ut, excogitandâ subtili ratione, barbarorum quoque deos, in his Aegyptios maxime, de suâ dignitate deturbarent, cum dicerent, et ipsos post hominum memoriam in deorum demum numerum esse relatos.

Jam in Aegyptiis religionibus si quaeras, utra ratio verior sit habenda: nunc non multis verbis opus est demonstrare: veriorem esse *Herodoteam* vel potius *ipsam sacerdotalem Aegyptiacam*. Quae quidem ita docet: deorum cognitionem cultumque sacrum ab initio ortum esse, vel meditando, cum vates sacerdotesque supra vulgus sapientes rerum omnium origines subtili ratione explicarent, et *summum aliquod numen* juberent [190]) suspici atque

190) Hanc rationem sequitur Jamblichus de mysteriis Aegyptiorum VIII, 3. p. 159 Gal. cum *Deum, quatenus*

adorari (quam rem in medio positam relinquo), vel certe, cum ex *coeli sui terraeque naturâ haurirent sensum quendam naturae divinae*, ac populares suos assuefacerent, tanquam deum deamve venerari quidquid potissimum vel sensus feriret, vel vi suâ qualibet sese patefaceret, vel eas res, quibus vita humana omnis contineri videretur.

Quae cum ita sint, ego, uti praecise non negaverim (nam, ut alios taceam, obstat Manethonis auctoritas) *aliquo certe tempore a veteribus Aegy-*

---

incognitam et occultam idearum vim producat in lucem, ab Aegyptiis appellari dicit *Amun; quatenus* summâ cum veritate et arte omnia perficiat, *Phtha*; quatenus autem beneficus sit, *Osirin* (*ἀγαθῶν δὲ ποιητικὸς ὢν Ὄσιρις κέκληται*). Utrum haec *veterum sacerdotum* doctrina fuerit, nunc cum maxime quaerere longum est. — Eandem beneficam vim voluntatemque alii in *heroïbus* quoque inesse docent. Adscribam locum Procli, qui ad universam de diis geniisque ac heroïbus doctrinam nonnihil lucis adfert. Ita enim ille in Comment. mscr. in Platon. Cratyl: *τοῦτο γοῦν τὸ ἡρωϊκὸν γένος τῶν ψυχῶν οὐκ ἀεὶ μὲν ἕπεται θεοῖς, ἄχραντον δέ ἐστι καὶ νοερώτερον παρὰ τὰς ἄλλας ψυχάς· καὶ κάτεισι μὲν ἐπ' εὐεργεσίᾳ τοῦ τῶν ἀνθρώπων βίου, ἅτε μετέχον καὶ τῆς βριθούσης κάτω μοίρας· πολὺ τὸ ἀναγωγὸν καὶ εὐαπάλλακτον τῆς ὕλης ἔχουσι· διὸ καὶ ῥαδίως εἰς τὸν νοητὸν ἀποκαθίστανται, καὶ πολλὰς περιόδους ἐκεῖ διάγουσιν, ὥςπερ τὰ ἀλογωδέστερα τῶν ψυχῶν γένη· ἢ οὐδ' ὅλως ἢ δυσχερῶς ἢ ἐπ' ἐλάχιστον εἰς τὸ νοητὸν ἀποκαθίσταται. Ὅτι αὐτὸς μὲν ἕκαστος τῶν θεῶν ἀμιγῶς ἐξήρηται τῶν δευτέρων· δαιμόνων δ' οἱ πρώτιστοι καὶ ὁλικώτεροι τῆς τοιαύτης ὑπερίδρυνται σχέσεως· πνεύματα δὲ περίγεια καὶ μερικὰ συλλαμβάνουσι [ν] εἴς τινων γενέσεις· οὐχὶ φυσικὴν ποιούμενα πρὸς τὰ θνητὰ μίξιν, ἀλλὰ κινοῦντα τὴν φύσιν καὶ τὴν δύναμιν αὐτῆς τελειοῦντα τὴν γόνιμον καὶ τὴν ἄτραπον ἀναπλοῦντα τῆς γενέσεως καὶ πάντα τὰ ἐμπόδια*

ptiis etiam semideos esse rite cultos, quos tamen Thebaici sacerdotes apud Herodotum non agnoverunt: ita negandum ac pernegandum existimo: Osiridis sacra ex hominis Aegyptii adeoque Thebaici Regis praeclarâ morte feralique ritu enata esse.

§. 18.

Pharaonum vitae ratio ac sacerdotalis disciplina.

Verum age, quo universam rationem nostram penitus concludamus, consideremus, quomodo illa altera ratio Graeculorum invalescere tantopere potuerit, ut etiam doctissimis viris fraudi esset.

συστέλλοντα. οἱ μῦθοι οὖν διὰ τῆς ὁμωνυμίας τὰ πράγματα τῆς συγκαλύπτουσι. τὰ γὰρ τοιαῦτα πνεύματα ὁμώνυμα εἰσὶ τοῖς ἑαυτῶν σειρᾶς ἀρχικοῖς αἰτίοις θεοῖς· διὸ φασὶν ἢ θεοὶ [θεοὺς] θνηταῖς, ἢ θνητοὺς θεαῖς συμμιγῆναι· εἰ δ' ἠβούλοντο διαῤῥήδην καὶ σαφῶς λέγειν, εἶπον ἂν ὅτι ἡ Ἀφροδίτη καὶ ὁ Ἄρης καὶ ἡ Θέτις καὶ οἱ ἄλλοι θεοὶ, ἕκαστος ἄνωθεν ἀρχόμενος, μέχρι τῶν τελευταίων προάγει τὴν οἰκείαν σειρὰν περιέχουσαν πολλὰς οὐσίας διαφερούσας ἀλλήλων τῇ οὐσίᾳ αὐτῇ, οἷον ἀγγελικὰς, δαιμονικὰς, ἡρωϊκὰς, νυμφικὰς, καὶ τὰς τοιαύτας· αἱ τοίνυν περιπέζιοι τῶν ταξέων τούτων δυνάμεις πολλὴν κοινωνίαν ἐνεστήσαντο πρὸς τὸ ἀνθρώπινον γένος· τὰ γὰρ τέλη τῶν πρώτων συμφύεται ταῖς τῶν δευτέρων ἀρχαῖς· καὶ ταῖς τε ἄλλαις κατὰ φύσιν αὐτῶν διεξαγωγικαῖς συντελοῦσι. — συμπαθεῖ δὲ φυσικῶς οὐ μόνον τὸ τοιοῦτρν δαιμόνιον γένος τοῖς ἀνθρώποις, ἀλλὰ καὶ ἄλλα γένη ἄλλοις, ὥςπερ αἱ νύμφαι τοῖς δένδροις καὶ ἄλλαι ταῖς πηγαῖς καὶ ἄλλαι ταῖς ἐλάφοις ἢ ὄφεσιν. Vides quomodo Graecorum philosophi, qui negare nollent, quod pernegaverant Aegyptiorum sacerdotes apud Herodotum: *hominem a deo generari*, hujusmodi generationes expedire, et cum sanctâ illibatâque deorum naturâ conciliare studuerint.

Videlicet inprimis spectanda est *Regum Aegyptiorum* vitae ratio. Quae in hunc modum instituta erat, ut perpetua familiaritas illos cum sacerdotibus jungeret. Strabo XVII. p. 787. p. 477 Tzsch. *Οἱ δ' ἱερεῖς καὶ φιλοσοφίαν ἤσκουν, καὶ ἀστρονομίαν, ὁμιληταί τε τῶν βασιλέων ἦσαν·* et rursus p. 790. p. 488 Tzsch. *Οἱ πάλαι δὲ βασιλεῖς οὐ πάνυ ἐφρόντισαν τῶν τοιούτων· καίπερ οἰκεῖοι σοφίας γεγονότες καὶ αὐτοὶ, καὶ οἱ ἱερεῖς, μεθ' ὧν ἦν αὐτοῖς ὁ πλείων βίος.* Comparat enim *Pharaones* [191]) cum Ptolemaeo Philadelpho *φιλιστοροῦντι.* Explicatior etiam de Pharaonum vitae genere locus exstat in Bibliothecâ Diodori lib. I. cap. 70. p. 80 seq. Wesseling. in quo laudando nunc quidem consulto omittam ea, quae ad rem civilem veterum Aegyptiorum formamque imperii pertinent. [192]) Quippe ad ministeria Regum,

---

191) Hanc communem regum appellationem latitare arbitrantur in nomine *Φερῶν*, qui rex Sesostridi successit, apud Herodotum II. cap. 111. Vid. Wessel. ut locus consimilis sit sexcentis locis V. Testamenti, ubi semper appellative *Φαραώ* usurpatur. Quod nominis quum viri docti multi, in his Jameson in Spicilegiis Antiqq. Aegypti pag. 3 seq. dicerent hebraicae originis esse: hodie nemo ambigit vere Aegyptiacum esse, et *regem* significare. Vid. Jablonski de terrâ Gosen IV. §. 111. et in Vocc. Aegyptt. p. 375 sq. ubi etiam adhibe doctissimum mihique amicissimum Te Water. Nuper etiam plura de hoc regum nomine disputata sunt a viris eruditis in the Classical Journal. Vol. IV. p. 468 seqq. Vol. V. p. 180 seqq. Ad Herodoteum autem locum, quem modo attigi, adhibe etiam Zoëgam de obeliscc. p. 2 seq.

192) Ad quam judicandam eum adhibuit Plessing. in libro vernaculo gravissimi argumenti et bonae frugis plenissimo, qui inscribitur Memnonium II. p. 623 seqq.

narrat Siculus, nullum adhiberi servum, neque emtitium neque vernam, sed nobilissimorum tantum sacerdotum filios, qui quidem viginti annos egressi sint, ac prae ceteris gentilibus suis optime institutos. Tum sigillatim exponitur, quid singulis horis diei Regi faciundum sit; quomodo mane lotus et regni insignibus trabeâque ornatus diis sacrificatum eat, et quomodo princeps sacerdos in sacrario[193]) in coronâ populi altâ voce preces fundat. Ad eum Diodori locum quae ex Platonis Polit. pag. 290. d. apposuit Wesselingius, ea, cum ad caussam nostram faciant, et ipse adscribam: *περὶ μὲν Αἴγυπτον οὐδ᾽ ἔξεστι βασιλέα χωρὶς ἱερατικῆς*[194]) *ἄρχειν.* „Nefas esse in

---

193) His precibus quotidianis sacrificioque sacellum destinatum fuisse, palatio regio contiguum, prope Karnak, credunt editores operis Descript. de l'Egypt. antiqq. (Thèbes) Vol. II. p. 216. Hoc si ponas, populus, quo coram haec facta narrantur, foris constitisse dicendus erit. Verum utrum illud spatiosum aedificium pro *palatio* accipiendum sit, an pro *templo:* architecturae me longe peritior amicus, *Sulpicius Boisserée* Philos. Dr., dijudicabit in opere, quod meditatur, de originibus ae vicissitudinibus architecturae.

194) Qualis fuerit haec Aegyptiorum scientia sacerdotalis, cum satis arguant Strabonis Plutarchique testimonia allata, nunc equidem, ne limites meos egrediar, non quaeram: illud verbo apponam, plane me hac in caussâ facere cum *Frid. Christoph. Schlossero* meo; quem consule in libro qui inscribitur: Weltgeschichte Vol. I. p. 18 et 19 in not. Caeterum de *Persis* prorsus gemina produnt veteres scriptores: Cic. de Divinat. I, 41: „Nec quisquam rex Persarum potest esse, qui non ante magorum disciplinam scientiamque perceperit.“ Quae pluribus verbis exposuit Plato in Alcib. I. p. 121. e. p. 149 Buttm.

Aegypto Regi sine sacrorum scientiâ regni gubernaculum tractare.“ Luculentius haec eadem exponit Plutarchus de Isid. et Osir. p. 354. p. 452 sq. Wyttenb. *Οἱ δὲ βασιλεῖς ἀπεδείκνυντο μὲν ἐκ τῶν ἱερέων ἢ τῶν μαχίμων, τοῦ μὲν δι' ἀνδρίαν, τοῦ δὲ διὰ σοφίαν, γένους ἀξίωμα καὶ τιμὴν ἔχοντος· Ὁ δὲ ἐκ μαχίμων ἀποδεδειγμένος εὐθὺς ἐγένετο τῶν ἱερέων, καὶ μετεῖχε τῆς φιλοσοφίας, ἐπικεκρυμμένης τὰ πολλὰ μύθοις καὶ λόγοις ἀμυδρὰς ἐμφάσεις τῆς ἀληθείας καὶ διαφάσεις ἔχουσιν, ὥςπερ ἀμέλει καὶ προδηλοῦσιν αὐτοὶ, πρὸ τῶν ἱερῶν τὰς σφίγγας ἐπιεικῶς ἱστάντες, ὡς αἰνιγματώδη σοφίαν τῆς θεολογίας αὐτῶν ἐχούσης.* „Reges porro aut e sacerdotibus, aut e bellicosis legebantur, cum haec gens ob virtutem, illa ob sapientiam in honore et auctoritate esset. Qui autem e bellicosis creabatur rex, statim se sacerdotibus dabat, ac philosophiae fiebat particeps, pleraque fabulis occultantis, ac sermonibus obscura veritatis indicia et argumenta habentibus, quod sane ipsi declarant, ante templa Sphinges plerumque collocantes; quo innuunt, suam rerum sacrarum doctrinam constare perplexâ et sub involucris latente sapientiâ.“ Idem alio loco ex Hecataeo [195]) ita: *Οἱ δὲ βασιλεῖς καὶ μετρητὸν ἔπινον ἐκ τῶν ἱερῶν γραμμάτων ὡς Ἑκαταῖος ἱστόρηκεν, ἱερεῖς ὄντες.* [196]) Igitur diserte

195) Sive Milesio illo sive Abderitâ. Qua de re disputavi ad Fragg. historr. Graecc. Antiqq. p. 28 seq.

196) Locus componendus cum Herodoteis II, 36. 37, quod nunc levi brachio attingam. Utrobique agitur de vini potu sacerdotibus concesso. De vini proventu per Aegyptum antiquo Pharaonum aevo, quae nuper disputavit Hamackerus vir eruditus in Lectt. Philostratt. p. 5 sqq., ea ego alibi attigi.

sacerdotes vocantur et ipsi illi Pharaones. Quod quam vim habeat, qui accurate quaerere instituat, ei in res Aegyptias omnes descendendum sit: ego me continebo in caussâ nostrâ.

Ex asse conveniunt cum his scriptorum locis argumenta aliquot anaglyphorum, in Thebaide erutorum a doctis Francogallis. Habent enim ea haud pauca *initiationes Regum s. Pharaonum.* Sic, ut hoc utar, in eo anaglypho, quod in porticu exstat, quae est in vico Medina-Tabu, [197]) videas regem ductari a quatuor sacerdotibus, manibus inter se junctis, incedentibus ante foras templi; quod ipsum templum digito regi monstrat Ibiocephalus, i. e. Hermes, initiorum omnium inventor et auspex. In ipso sacrario stant tres dii deaeque.

Aliud anaglyphum, in vico Karnak repertum, *terna Pharaonis initia* exhibet. [198]) Etenim primo loco sacerdotes eum adspergunt lustrantque sacrâ undâ Nili. Altero eidem imponunt manus. Tertio

---

197) Description de l'Egypte II. (Thèbes) cap. 9. sect. 1. pag. 40.

198) Vid. ibid. Vol. II. p. 235 seq. Caeterum, uti haec res in memoriam revocat illud tempus Patriarcharum, quo unus idemque homo rex atque sacerdos, recte observante Sanctocrucio in libr.: Recherches sur les mystères du paganisme Tom. I. p. 213 sq. ed. alter. (adde quae ipsi disputavimus de Melchisedeco, Genes. XIV, 18 seqq. in Mythologiâ Vol. IV. p. 406 sqq.); ita eadem ad Ptolemaeorum usque in Aegypto regum tempora pertinuit. Tunc Memphi facta regum initiatio. Vestigia reliqua sunt in Rosetanâ inscriptione; vid. Silvestre de Sacy ad Saintecroix l. l. Rem supra quoque attigi in loco de *Memphi Aegyptiaci imperii capite.*

introducunt eum in sacellum, deorum imaginibus insigne. Circumscribitur imago hieroglyphicis literis. Nec deest apparatus sacer: navigia, arculae, alia.

Jam his expositis non opus est operose demonstrari, quid haec omnia ad nostram caussam faciant. Etenim nemo, arbitror, dubitaverit, hanc ipsam vitam Pharaonum, hanc perpetuam consuetudinem cum sacerdotibus, haec praecipue auguria atque initia facile variis fabulis potuisse locum facere, inprimis si rem quoque funebrem addideris et reputes, Pharaones illos ut plurimum in arculis compositos esse, quae *deorum* insignia attributa haberent, inque hypogaeis sepultos, quibus ab *Osiride* nomen esset. Neque vero omittenda festorum dierum solemnia ac pompa sacra, ubi *reges ut plurimum primam personam agebant et dei partes gerebant in re scenicâ.* Qui ritus, pompae, exequiae ad perpetuam quoque memoriam commendata sunt iconibus. Quorum exempla praestant illa Thebaica anaglypha. — Quae cum ita sint, mirum utique, ni labentibus saeculis et evanescente paullatim certiore doctrinâ, popellus et gens peregrinantium Graecorum *Pharaonem* aliquem, de patriâ meritum et rebus gestis insignem, dilaudatumque etiam in carminibus sacris, igitur ni eum plane *cum Osiride confunderet;* vel, ut disertius eloquar, *ni ipsum Osiridem pro aliquo rege mortali haberet*, qui divinis honoribus fuerit impertitus, praesertim cum sacerdotes et ipsi Osiridem in iis numerarent, qui quondam Aegypto imperitarit.

Haec ubi mecum reputo, sic pronuntiandum arbitror: *non regem aliquem Philensem in deum abiisse*, *quae Zoëgae ratio est ad Euhemeri ratio-*

nem informata: verum Osiridem, ab initio deum naturalem, temporum decursu, a multis pro antiquo Pharaone acceptum et esse et facile accipi potuisse.

§. 19.

Interponuntur Argolica ac Sicyonia. Adrastus in Bacchi locum evectus.

(Ad Herodot. lib. V. cap. 67. aliosque locus.)

Ac quomodo mortalis regulus in dei alicujus vel heroïs locum transferri soleat a posteris in cultu sacro, ejus rei luculentum exemplum suppeditant ipsae Musae Herodoteae, idque pertinens ad ipsum Bacchum-Osiridem, cujus religiones nunc cum maxime explicamus. *Herodot. V*, 67. „Clisthenes Sicyonis tyrannus quum bellum gereret cum Argivis, primum Rhapsodos [199]) Sicyone vetuit carminibus decertare (sive carmina publice canere), propter Homericos versus, quoniam in illis ubique fere nonnisi Argivi et Argos celebrantur: deinde, quum esset in foro Sicyoniorum aedes (sacellum) *Adrasto*, Talai filio, tanquam heroï, consecrata, hunc Clisthenes, quippe Argivum, sede suâ ejectum cupiebat.“ [200])

---

199) Sententiam hujus loci expediit Schweighaeuserus in annotatt. ad h. l. Valckenaerianis adjice disputationes Wolfii in Prolegg. ad Homer. pag. 98 seq. p. 140 seq. et Heinrichii in Appendice ad librum vernaculum de Epimenide p. 156.

200) Etiam Athenis ἡρῷον habuit Adrastus, Pausaniâ narrante I, 30 fin. Idem de Megarensibus ita: I, 43: *Ἔχει δὲ παρὰ Μεγαρεῦσι καὶ Ἄδραστος τιμάς· φασὶ δὲ ἀποθανεῖν παρά σφισιν, ὅτε ἑλὼν Θήβας ἀπῆγεν ὀπίσω τὸν στρατόν· αἰτίαν δὲ οἱ τοῦ θανάτου γῆρας καὶ τὴν Αἰγιαλέως γενέσθαι*

Quod cum facere eum vetuisset Pythia, quam consuluerat, aliam artem excogitavit Clisthenes. „Melanippo Sicyonem deducto fanum dedicavit, in ipso prytaneo, illudque ibi in loco munitissimo statuit. Melanippum autem arcessiverat Clisthenes (nam et hoc me declarare oportet) ut qui inimicissimus fuisset

---

τελευτήν. Pertinent haec ad bellum Epigonorum in quo Aegialeus occiderat. Hygin. fab. 11. 69. 70. (Exhibui autem Pausaniae verba liberata ab ingratis additamentis, quod idem nuper fecit codicum auctoritate nixus Claverius in nitidâ editione, quam immaturâ viri docti morte interruptam continuabit doctissimus Courier. Adrastus enim et prioris belli Thebani et alterius ducibus praefuerat.) Sed de Adrasti rebus quae ad h. Herodoti locum Larcherus congessit, ea repetere nolo: ex meis adversariis nonnulla subjiciam. Ac progeniem Adrasti luculenter exhibet Apollodorus I, 9. 13. p. 76 Heyn. alter. ubi *Ταλαὸς* et Adrasti hujus et vero etiam Parthenopaei filius dicitur; unde non erat, quod docta manus in margine nostri exempli Pausaniae Corinth. (II.) 20. 4. sic transponeret verba ejus: *Αἰγιαλεὺς Ἀδράστου τοῦ Ταλαοῦ καὶ Πρόμαχος Παρθενοπαίου.* Neque enim codices suffragantur, vid. edit. Claverii l. l. p. 462. et refragatur ipse Pausanias, qui alio loco IX, 18. sub fin. nec minus in illis rebus Thebanis agnoscit *Παρθενοπαῖον τὸν Ταλαοῦ.* Adrastum autem hoc nomine quoque cecinit Antimachus in Thebaide. Vid. nr. XVIII. p. 65 ed. Schellenberg. *"Αδραστος Ταλαοῦ υἱὸς Κρηθηϊδάω*, ad quod fragmentum, sicut ad sequentia, plura ibidem congessit editor. p. 66 seqq. Alia dabit tibi Heynius ad Apollodor. III, 6. p. 277. sqq. p. 291. (in Observv. p. 244. et 252.) Antimacheis nunc adhiberi debet Lexicon rhetor. in Bekkeri V. C. Anecdott. gr. I. p. 342, quod tres versiculos suppeditat de Adrasteâ Nemesi, de qua Lexicographus ibid. *λαβεῖν δὲ τοὔνομα παρ' Ἀδράστου τινὸς βασιλέως, ἢ ἀπὸ Ἀδράστου τοῦ παλαιοῦ,* ubi coniicere

Adrasto, quippe cujus fratrem interfecisset Mecistem, et Tydeum generum. Huic postquam templum dedicavit, sacrificia et solemnia Adrasto ademta eidem Melanippo attribuit. Consueverant autem Sicyonii admodum magnifice honorare *Adrastum*. Fuerat enim haec regio Polybi; Adrastus autem Polybi ex

possis: τοῦ Ταλαοῦ, quandoquidem antiqui Adrasti fuerunt plures: Phryx, Herculis filius, filius Meropis, ut alios omittam. Verumtamen quae in Lexico sequuntur de Thebanis rebus, ea minus necessariam mutationem arguunt. De Adrasteâ-Nemesi Scholiastam Aeschyli Prometh. 936 adhibuit Blümner V. C. in elegantissimâ disputatione vernac. de *Fato in Aeschyli tragoedd.* p. 130, qui ibidem p. 22 seqq. bellum Thebanum ex tragoediae legibus docte illustravit. Ad anaglypha prisca eum deum exhibentia nuper attendere nos jussit *Franc. Inghirami* V. C. in libello, qui inscribitur: Estratto del libro intitolato: *De pateris antiquorum* Florent. 1815. p. 12 seq. et plura exspectamus in eo libro ipso. Idem argumentum attigit Zoëga in Commentt. vernacull. p. 32 seqq. et in Additamentis Welckerus p. 417 sqq. Equus vero Adrasti, Arion, non modo a poëtis et ipso Antimacho celebratus, verum etiam frequentatus in philosophorum disputationibus, ubi is testudinem sectari dicitur dialectice. Vide Plutarchum advers. Stoicos p. 1082 E. p. 418 Wyttenb. Platonicum illud in Phaedro p. 269. p. 323 Heindf. τὸν μελίγηρυν Ἄδραστον peperit imitatio versiculi in Fragg. Tyrtaei ap. Stob. Serm. XLIX. p. 354: γλῶσσαν δ' Ἀδράστου μειλιχόγηρυν ἔχοι. de quo epitheto multa ad Tyrtaeum congessit Klotzius. De Platonici loci sententiâ differunt interpretes: Heindorfius l. l. Schleyermach. in annott. vernacc. I. p. 386 et Astius ad Phaedri l. p. 372, qui ingeniose ad Antiphontem refert Rhamnusium. Quod nunc dijudicare non vacat. De Adrasti ipsius facundiâ Boeckhius ad Platon. legg. p. 142 sq. laudat Pindari Olymp. VI, 18, ubi cf. Scholiast.

filiâ nepos fuit, qui cum sine liberis decederet, tradidit Adrasto regnum; Adrastum autem quum aliis honoribus colebant Sicyonii, tum calamitates ejus tragicis choris celebrabant [201]): *non Bacchum, sed Adrastum colentes.* Clisthenes vero choros Baccho tribuit, reliquam vero solennitatem Melanippo. Hoc

Dicterium Adrasti in Alcmaeonem ex poëtâ tangit Plutarch. de capiendâ ex inim. util. V. p. 89. a. pag. 342 Wyttenb. Quem autem locum Platoni adhibuit Heindorfius, quo facundiam Adrasti comprobaret, eum ego tragoediae et Dionysiorum caussâ adhibebo Herodoto. Nimirum in scenâ Atticâ celebrata ejus heroïs facundia, qua, supplex factus, Athenis Thesei auxilium implorarat. Isocrates Panath. cp. 70. p. 529. p. 268 ed. Coray. *Τίς γὰρ οὐκ οἶδεν, ἢ τίς οὐκ ἀκήκοε, τῶν τραγῳδοδιδασκάλων ἐν Διονυσίοις, τὰς Ἀδράστῳ γενομένας ἐν Θηβαίοις συμφορὰς, ὅτι κατάγειν βουληθεὶς τὸν Οἰδίπου μὲν υἱὸν, αὐτοῦ δὲ κηδεστὴν, παμπληθεῖς μὲν Ἀργείων ἀπώλεσεν, ἅπαντας δὲ τοὺς λοχαγοὺς ἐπεῖδε διαφθαρέντας — ἱκέτης γενόμενος τῆς πόλεως, ἔτι Θήσεως αὐτὴν διοικοῦντος, ἐδεῖτο κ. τ. λ.* Ad sequentia adhibe Apollodori ll. ll. et quae Sturzius ad Pherecydis Fragg. XXXIX. p. 168 sqq. ex Scholiastis Venett. et Lips. de rebus Melanippi et Tydei collegit et aliunde docte illustravit. Quod ibidem Pherecydes ap. Schol. ad Iliad. ξ 120. Tydeum dicit *καθαρσίων τυγχάνειν πρὸς αὐτοῦ (Ἀδράστου)*, ea antiquius affert, in rebus alius *Adrasti*, Phrygis, Herodotus noster I, 35. *καθαρσίου ἐδέετο κυρῆσαι.* Sed eum locum, cum aliis primi libri, alibi, si deus annuerit, tractabimus, ubi etiam Adrasteae religiones Phrygias Graecasque adumbrabimus. De Atticorum humanitate in Adrastum cf. Herodot. IX, 27. et quae plura excitavit Wernsdorf. ad Himerium orat. II, 11. p. 388 seqq.

201) Vestigia ejus rei residua videntur in vasis Graecorum pictis, quae plura Adrasti utramque fortunam habent. De uno vasculo disceptatum nuper est a doctis Italis,

modo cum Adrasto egit Clisthenes." Insigniora Graece apponam: — τά τε δὴ ἄλλα οἱ Σικυώνιοι ἐτίμων τὸν Ἄδρηστον, καὶ δὴ πρὸς τὰ πάθεα αὐτοῦ τραγικοῖσι χοροῖσι ἐγέραιρον [202]: τὸν μὲν Διόνυσον οὐ τιμέωντες, τὸν δὲ Ἄδρηστον. Κλεισθένης δὲ χοροὺς μὲν τῷ Διονύσῳ ἀπέδωκε, τὴν

---

referente Millino in libr.: Magas. encyclop. 1814. p. 229 sqq. Nec alia desunt monumenta artis ad Adrastum pertinentia, velut, ut hoc utar, gemma perantiqua Thebani belli duces junctos exhibens, nominibus adscriptis, in *Lanzii* libro: Saggio di lingua Etrusc. II. tab. VIII. nr. 7. et aliud opus, quod Winckelmannus primus edidit in libr.: Monumenti antichi ined. tab. 83., ne plura memorem.

202) Locus classicus de origine tragoediae. Nec omisit Bentleius in nobilissimâ disputatione adversus Boyleum p. 293 (opuscc. philoll. p. 310 sq. ed. Lips.) Ita autem ille: „Revera nihil aliud ex his locis elici potest; nisi quod ante Thespidis tempus prima fundamenta et quasi semina tragoediae jacta sint; fuerunt chori et ex eo tempore cantus αὐτοσχεδιαστικά, sed nihil scriptum nec editum, ut poëma dramaticum." Qua de re nihil certi pronuntiare audet Wesseling. ad h. l. Larcherus pag. 303 seq. ad nostr. loc. plane se ad Bentleii auctoritatem applicat: A l'égard du passage d'Herodote, comme cet historien vivoit dans un temps où la tragédie avoit atteint son point de perfection, il donne par une prolepse aux choeurs en l'honneur d'Adraste, le nom de choeurs tragiques, quoiqu'ils ne l'eussent point alors. „In alia abierunt nuper Heinrich. in Epimenide Append. p. 158 et Boettiger. in prolus. quae inscribitur: Quatuor aetates rei scenicae p. 6. Quibus adde Hermanni disputata ad Aristotel. poëticam III, 5. p. 104, qui Epigenem Sicyonium tragicum a Bentleii dubitatione vindicavit (cf. Bentl. opuscull. p. 279 sq. ed. Lips.) Ego ex Suida (Vol. II. p. 731 Kuster.) et Photio (Lexico gr. pag. 260 seq.), ab Hermanno laudatis, aliquot verba

δὲ ἄλλην θυσίην τῷ Μελανίππῳ. [203]) *Ταῦτα μὲν ἐς Ἄδρηστον οἱ πεποίητο.* Haec Herodotus. Pausanias autem nos docet, Argis locorum vicinitate junctos fuisse Bacchum atque Adrastum. Corinth. cp. 23. init.

---

apponam, quae cum Herodoto conferenda esse videntur. *Οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον. Ἐπιγένους τοῦ Σικυωνίου τραγῳδίαν εἰς τὸν Διόνυσον ποιήσαντος, ἐπεφώνησάν τινες τοῦτο· ὅθεν ἡ παροιμία. Βέλτιον δὲ οὕτω· τὸ πρόσθεν εἰς τὸν Διόνυσον γράφοντες, τούτοις ἠγωνίζοντο, ἅπερ καὶ Σατυρικὰ ἐλέγετο. ὕστερον δὲ μεταβάντες εἰς τὸ τραγῳδίας γράφειν, κατὰ μικρὸν εἰς μύθους καὶ ἱστορίας ἐτράπησαν, μηκέτι τοῦ Διονύσου* (*τοῦ θεοῦ* Phot.) *μνημονεύοντες κ. τ. λ.* Ubi attende ad illa: Postea vero tragoedias scribere aggressi paullatim ad *fabulas* et *historias deflexerunt*, *nullam Bacchi mentionem amplius facientes.* Ejus rei testis laudatur *Chamaeleon* in libro de Thespide. Non neglexit eam rem, qui nuper de his artibus ingeniose disputavit *J. Hauss* V. Illustr. ad Aristotelis poëticam ab eo editam Append. p. 67—73. et iterato Boeckhius, cum in princ. Graec. Tragoed. p. 250 sqq., tum in libro: die Staatshaushaltung der Athener Vol. II. p. 361 sqq., ubi a Bentleii auctoritate suam sententiam sejungit. *Comoediam* a Sicyoniis inventam prodit Onestes poëta in Anthol. gr. II, 2. 331. (Antholog. Palatin. Vol. II. p. 328 seq. nr. 32.), recte explicante Jacobsio in Animadverss. II, 2. p. 332. Caeterum nemo eorum, qui adhuc de utriusque artis primordiis disputarunt, reputasse videtur, quam vim in hac re habuerint *religiones* etiam *orientalium* hominum, et *Osireae* inprimis.

203) Haec partim vertit, partim *περιφράζει* ita Bentleius: „Sicyonii omnibus modis memoriam coluerunt Adrasti et imprimis res vitae ejus tragicis choris celebrarunt; quum materiam illis subjectam *non Bacchum sed Adrastum* facerent. Sed Clisthenes chorum assignavit Baccho et reliquum festivitatis Melanippo."

'Εντεῦθεν ἐρχομένοις ὁδὸν καλουμένην [*Κοίλην*[204])], *ναός ἐστιν ἐν δεξιᾷ Διονύσου.* — Deinde, pluribus interjectis sic pergit: *Τοῦ Διονύσου δὲ ἐγγυτάτω οἰκίαν ὄψει τὴν 'Αδράστου, καὶ ἀπωτέρω ταύτης ἱερὸν 'Αμφιαράου, καὶ τοῦ ἱεροῦ πέραν 'Εριφύλης μνῆμα*[205]).

Jam his expositis neminem magnopere quaesiturum arbitror: Quorsum haec. Res ipsa loquitur. Loquuntur maxime haec verba Herodotea: *τὸν μὲν Διόνυσον οὐ τιμῶντες.* Quae quidem satis arguunt: a communi consuetudine Graecorum descivisse Sicyonios, qui non Bacchum scenarum lugubrium argumentum facerent, sed hominem natum ac meritis suis in heroas relatum. Bacchus enim, sive deus sive heros dicatur, debebat hoc ipsis natalibus suis et iis eventis, quae inde consecuta erant, ut scenis sacris, hymnis, dithyrambis, phallicis carminibus antiquitus celebraretur. Ac sicut Aegyptiis noctu, in urbe Saï ad lacum, Osiridis casuum speciem imaginemque exhibuerant[206]): ita prisco admodum aevo similiter eventa Bacchica exhibuerant ad Lernaeum

---

204) Sequor in his Claverium, qui recte *Κοίλην* in textum retulit. Tu vide Palmerium p. 574 e cujus praeceptis in meo exemplo locum correxerat manu suâ Valckenaerius.

205) Revisit haec loca Pausaniae ductu nuper admodum eruditus peregrinator *Guil. Gell*, Britannus, descripsitque ac delineavit in eâ parte itinerarii, quae inscribitur *Argolis* p. 61. Idem ibidem in tabulâ VII antiquam inscriptionem adjecit Graecam, quae Adrasti nomen habet

206) Herodot. II, 171. *'Εν δὲ τῇ λίμνῃ ταύτῃ τὰ δείκελα τῶν παθέων νυκτὸς ποιεῦσι, τὰ καλέουσι μυστήρια Αἰγύπτιοι.* Quae utrum in lacu an circa lacum facta sint, nunc equidem non quaero.

lacum Argivi. Inde publice quoque in festis Bacchi diebus talia, quae publice evulgari poterant, rudi incomtoque modo repraesentata sunt in agris oppidisque per universam Graeciam et Italiam eam, quam Graeci habitarunt. Docent vascula, in illis maxime oris magno numero reperta. Verum hinc inde temporis decursu hoc sibi indulsit Graecorum ingenium, *ut Bacchi loco suos heroas τοπικοὺς chori tragici rudioris argumentum faceret.* Atque hoc ipsum in Adrasto evenerat Sicyone. Quae omnia in unum collecta satis docent: *veterum religionum non hanc nativam ac primigeniam indolem esse, ut e regibus sibi deos suos populares effingant, verum ut ab initio ponant deos atque heroas, profectos e caussis naturalibus physicis; postea vero eos quoque, qui post hominum memoriam cum laude vixerint, nonnunquam impertiant eo cultu, qui ab initio tantummodo diis reservatus erat,* iisdemque etiam in communi universi populi solemnitate integer atque illibatus deinceps servatur. Quocirca ut non nego, licet Herodotus praecise neget, Pharaonem aliquem aliquando honoribus subditorum aequatum esse Osiridi: *ita pernegandum arbitror, Osiridem e rege mortali in Deum esse conversum.*

§. 20.

Laconica. Ariston et Demaratus Spartanorum reges.

(Ad Herodot. libr. VI. cap. 61 seqq. aliosque locos.)

Jam vero, ut accuratius cognoscamus hasce *populares localesque religiones* antiquorum hominum: age Sicyone paullulum discedamus *Lace-*

daemona; ubi itidem heroas offendemus, quorum fabula fabulas Aegyptias, in quibus ipsis eruendis versamur, in memoriam revocat, et universae antiquitatis insigniora vestigia impressa habet. Quod cum facimus, alium locum *Herodotei operis* illustrabimus. — Etenim *Historiae pater libro VI. cap.* 61 seqq. copiose exponit Demarati Lacedaemoniorum regis utramque fortunam. Eum ego locum partim excerptum exhibebo, partim ipsa verba apponam ex Schweighaeuseri interpretatione, quam omnino in his commentationibus maxime sequimur. Ubi autem necessarium videbitur, meas annotationes inspergam. Atque hoc ipsum argumentum expeditum habebit reditum ad res Aegyptias.

Cap. 61. „Cleomenem — quum accusasset *Demaratus* invidiâ et odio ductus, [207]) tum vero Cleomenes — regiam dignitatem abrogandi Demarato

207) — ὁ Δημάρητος διέβαλε — φθόνῳ καὶ ἄγῃ χρεώμενος. Ad vim verbi διαβάλλειν intelligendam adhibe locum primarium *Nostri VII. cap.* 10. §. 7. ibique interprett. Eum locum quam insigniter diversum a vulgatâ exhibeat codex noster Palat. nr. 129: docebit te *Appendix* infra adjecta. Neque enim attinet in talibus rebus immorari. — De ἄγῃ *invidiâ* quae collegerunt interpretes, inprimis Valckenaerius, iis adde Apollonii Lex. homer. p. 17 Toll. et praecipue p. 6, ubi optime Villoisonus rescribi jussit: Ἀάσσατο· ἠγνόησεν, ἥμαρτεν· Ἀγάσσατο, ἐφθόνησεν. Valckenaeriana docte poëtarum veterum locis adhibuit *Huschkius* de fabulis Archilochi in Matthiae Miscell. I. p. 34 seq. Adde quae *Schaeferus* in Thesauro l. gr. Steph. Vol. I. part. 3. p. 90 seq. ed. Valpianâ Londin. hac de voce congessit, qui etiam codicum aliquot Herodoti h. l. lectionem ἄγει pro ἄγῃ ex Alexandrinorum usu explicat.

consilium cepit; cujus exsequendi consilii haec res ei ansam occasionemque praebuit. *Aristoni*, Spartae regi, cum duas deinceps uxores duxisset, liberi ex his nulli prognati erant. Cujus rei non suam esse culpam existimans, tertiam duxit uxorem: duxit autem hoc modo." Narrat (cap. 62.) Herodotus quomodo Ageto sibi amico uxorem abstulerit Ariston, quae Helenae beneficio ex foedissimâ puellâ formosissima evaserat. Eam enim deperiit Aristo. [208]) Atque haec ipsum Demaratum peperit. Quem quidem pater Ariston, sedens in consessu Ephororum, [209]) suum esse posse negaverat: postea tamen pro germano habuit, et Demaratum appellavit. [210]) Pergit

---

208) *Τὸν δὲ Ἀρίστωνα ἔκνιζε ἄρα τῆς γυναικὸς ταύτης ὁ ἔρως.* In Annotatione ad h. l. operarum vitio bis impressum est: *ἔκνιξε* in novissimâ editione Argentoratensi. De hoc verbo Batavorum editorum observationes in suam rem converterunt, et novis exemplis auxerunt viri docti nostrates Aug. Matthiae ad Homer. hymn. p. 441. Ilgen ad Hermesianact. Eleg. in opuscull. philoll. Vol. I. p. 291 et Ast. ad Pindar. in Commentar. Soc. philol. Lips. II, 1. p. 22. Xenophon Memor. III, 11. 5. similiter de animantibus usurpat *ὑποκνιζόμενοι.*

209) *ἐν θώκῳ κατημένῳ.* — De hoc vocabulo iis, quae interpretes monuerunt, adjice Apollonii Lex. Hom. p. 354 ibiq. Villois. et Tollium.

210) *Δημάρητον δὲ αὐτῷ οὔνομα ἔθετο διὰ τόδε· πρότερον τουτέων πανδημεὶ Σπαρτιῆται Ἀρίστωνι, ὡς ἀνδρὶ εὐδοκιμέοντι διὰ πάντων δὴ τῶν βασιλήων τῶν ἐν τῇ Σπάρτῃ γενομένων, ἀρὴν ἐποιήσαντο παῖδα γενέσθαι· διὰ τοῦτο μέν οἱ τὸ οὔνομα Δημάρητος ἐτέθη.* Locos Eustathii, qui haec Herodotea ter citavit, nec minus Thomae Magistri exhibet Wessel. Tertius autem pertinet ad Odyss. III, 414. pag. 135 infr. Basil. ed. ubi in textu Homerico

Herodotus capite 64. „Succedente tempore e vitâ discessit Ariston, et *Demaratus* regnum suscepit. Fuisse autem videtur in fatis, ut ista res, quum comperta fuisset, regno exueret Demaratum, eo quod

---

Ἄριτος scriptum est in cod. Palat. nr. 45. solemni vitio. Ad argumentum quod attinet, nolo iterare quae in *libro de arte historicâ Graecorum vernaculo* p. 52 seq. disputavi. Hoc loco Procli verba apponam, qui in commentario mscr. ad Platonis Cratylum (p. 48 seqq. ed. Heind.) de nominibus, quae mortalibus imponuntur, ita pronuntiat: — *τῶν δ' ἐπὶ τοῖς φθαρτοῖς (ὀνομάτων) τὰ μὲν κατὰ τέχνην, τὰ δ' ἄνευ τέχνης (κεῖται)· τῶν δ' ἄνευ τινὸς τέχνης καὶ διανοίας, τὰ μὲν κατὰ θείαν αἰτίαν ἄγνωστον, ἥτις ἐστὶν ἡ τύχη, ὥσπερ ὁ Ὀρέστης· τὰ δ' ἄνευ τοιαύτης αἰτίας· τῶν δ' ἄνευ αἰτίας τὰ μὲν κατ' ἐλπίδα, τὰ δὲ κατὰ μνήμην· τὰ δ' οὐδ' ἑτέρως· τῶν δὲ κατὰ τέχνην ὀνομασθέντων τὰ μὲν ἐπὶ τοῖς οὖσι, τὰ δὲ ἐπὶ τοῖς γενομένοις, τὰ δὲ ἐπὶ τοῖς μέλλουσι· ἐπὶ μὲν τοῖς οὖσιν, οἷον ὁ Ἀριστοκλῆς Πλάτων μετωνόμασται· ἐπὶ δὲ τοῖς γενομένοις, οἷον μὲν ὁ Ἀντίλοχος μετωνομάσθη Φιλοπάτωρ διὰ τὸ προκινδυνεῦσαι τοῦ πατρός· ἐπὶ δὲ τοῖς μέλλουσιν, οἷον εἴ τις διὰ μαθηματικῆς προγνοὺς τὸν ἑαυτοῦ παῖδα εὐκλεᾶ γενήσεσθαι τοῦτον Περικλέα καλέσειεν· ἔστι δ' ἔτι μικτὸν γένος ὀνομάτων ἔκ τε τύχης καὶ τέχνης, καὶ τοῦτο διττόν· τὸ μὲν γάρ ἐστιν ὅταν τις γινώσκῃ μὲν τὴν τοῦ ὀνόματος δύναμιν, τὴν δὲ φύσιν ἀγνοεῖ τοῦ πράγματος· ὁ γὰρ Ξάνθιππος ὅτι μὲν τὸ ὄνομα τοῦτο ὁ Περικλῆς εὔκλειαν σημαίνει περιττὴν ἐγίνωσκεν, οὐκ ᾔδει δὲ τὸν ἑαυτοῦ παῖδα Περικλέα εὐκλεέστατον ἐσόμενον, ἵνα διὰ τοῦτο οὕτως αὐτὸν ὀνομάσῃ· τὸ δ' ἔμπαλιν ἔστιν, ὅτ' ἄν τις τὴν μὲν τοῦ ὀνόματος δύναμιν ἀγνοῇ, τὴν δὲ οὐσίαν τοῦ πράγματος γινώσκῃ· οἷον ὁ τὸν Θησέα μετονομάσας Ἡρακλέα· ἐγίνωσκε μὲν γὰρ ὅτι παραπλήσιος ἦν ὁ Θησεὺς τῷ Ἡρακλεῖ, ἠγνόει δὲ τὸ Ἡρακλῆς ὄνομα ὅτι ἐπὶ μόνον ἥρμοζε τοῦ Ἡρακλέους.* Sequitur notissima etymologia nominis *Ἡρακλῆς*. Neque opus est exponere, ad quam classem referendum sit *nomen Demarati.*

magnum in odium incurrerat Cleomenis, primum, exercitu Eleusi abducto, deinde (ut dixi) tunc, quum *Cleomenes* in Aeginam trajecisset adversus hos, qui cum Medis sentiebant." (Cap. 65.) „Itaque ulcisci eum cupiens *Cleomenes*, paciscitur cum *Leotychide*, Menaris filio, Agidis nepoti, in hanc conditionem, ut ille, suâ operâ rex creatus in locum Demarati, ipsum sequeretur adversus Aeginetas." — Memorat caussam simultatis Leotychidem inter atque Demaratum scriptor, atque ita pergit: — „Tunc a Cleomene sollicitatus *Leotychides* jurat contra Demaratum, dicens, *non legitime*[211]) *illum regem esse Spartanorum, nec enim filium esse Aristonis.* Deinde, post interpositum hoc juramentum,[212]) judicio

211) — φὰς „αὐτὸν οὐκ ἱκνεομένως βασιλεύειν Σπαρτιητέων, ac deinde: οὔτε ἱκνεομένως βασιλεύοντα Σπάρτης." Wesselingianis annotationibus ac Valckenaerianis adjice Schaeferi notam ad Gregorii Corinth. p. 548 et *Wyttenbachii* annot. ad Plutarchi de liberor. educat. p. 6. C. p. 20 haec verba: τῆς ἱκνουμένης συμμετρίας, in Animadverss. Tom. I. p. 104 seq.

212) Ita Schweighaeuserus, qui τὴν κατωμοσίην referre videtur ad antecedentia (nec aliter Valla, qui vertit: postquam *ita juraverat*): ὁ Λευτυχίδης κατόμνυται Δημαρήτου. Aliter haec acceperunt veteres interpretes apud Eustath. ad Odyss. libr. X. vers. 343 seqq. p. 1660 ed. Rom. p. 400 Basil. ubi haec leguntur: ἔτι δὲ τὴν ἀντωμοσίαν καὶ τὴν ἀπωμοσίαν καὶ τὴν ἐξωμοσίαν· ὧν κατὰ τοὺς αὐτοὺς (τοὺς παλαιοὺς) ἀντωμοσία μὲν ἦν δίκη ἀντωμοσμένη· προόμνυε μὲν γὰρ ὁ διώκων, δικαίως κατηγορεῖν· καὶ ἦν, φασί, τὸ αὐτὸ καὶ κατωμοσία· ἀντώμνυε δὲ ὁ φεύγων, ἀδίκως ἐγκαλεῖσθαι· καὶ ἐλέγετο οὐκ ἀντωμοσία μόνον, ἀλλὰ καὶ διωμοσία ὁ ἀμφοῖν ὅρκος· τὴν δὲ ὡς ἐῤῥήθη διωμοσίαν κατωμοσίαν Ἡρόδοτος εἶπε. Sequitur hic

eum est persecutus, in memoriam revocans verbum istud quod Aristoni — exciderat — *non esse illum filium suum.*" — Eandem in sententiam pronuntiante Pythiâ, inductâ Cleomenis artificiis, regiâ di-

ipse Nostri locus. Haec sic accipienda, ut Grammatici Historiae patrem prisco modo locutum dixerint, neque vero ad legem sermonis forensis, inprimis juris Attici. Quod intelliges, si ea contuleris, quae Graecorum Grammatici ac Lexicographi de ἀντωμοσίᾳ sive διωμοσίᾳ praecipiunt. Quorum locos collegerunt Ruhnkenius ad Timaei Lex. Platon. p. 38 sq. (cui adhibe Lex. rhetor. in Bekkeri V. C. Anecdott. Graecc. I. p. 200 et p. 239) ibique laudatus Hemsterhusius ad Polluc. VIII, 55. Aug. Matthiae V. C. in Miscellan. philoll. I. p. 258. et qui nuper cum laude in scholis nostris egit vir eruditus, *Hudtwalcker*, in libro vernac. de Diaetetis Atheniensium p. 75 seqq. Qui quidem solus, quod sciam, nuper Eustath. locum adhibuit. Adde locis supplementi caussâ ab eo collectis Scholiast. Platon. Clarkian. sive Bodlej. cod. p. 72 et p. 76. E quibus prior locus tenendus erit iis, qui posthac eam in rem inquirere velint. Ego me continebo in iis, quae ad Herodotei loci sententiam pertinent. Etenim jurabat et actor et reus, uti videtur, omnibus in caussis de calumniâ, ita quidem, ut ille juraret se vera prolaturum, hic, se vera defensurum. Atque hoc utriusque juramentum duplici nomine veniebat, ut modo ἀντωμοσία diceretur, modo διωμοσία. Proprie tamen ἀντωμοσία erat jusjurandum rei, accusatoris jurijurando τῇ προωμοσίᾳ oppositum (vid. Matth. l. l.). Atque jam Herodotus h. l. illam accusatoris προωμοσίαν sic eloquitur: ὁ Λευτυχίδης κατόμνυται Δημαρήτου. Jam Valla et Schweighaeuserus verba μετὰ δὲ τὴν κατωμοσίην simpliciter accipiunt pro repetitione antecedentium: ὁ Λ. κατόμνυται Δ: veteres autem Grammatici, qui scirent, in foro Attico τῇ προωμοσίᾳ accusatoris opponi τὴν ἀντωμοσίαν rei, atque ita demum caussae dictionem institui, igitur hi Herodoteam κατω-

gnitate exutus est Demaratus (Cap. 66). Qui postea, ab eodem Leotychide probro etiam affectus, ad Persas profugit." [213])

μοσίαν accipiunt pro eâ, quae proprie dicenda erat ἀντωμοσία sive διωμοσία. Qua in re ipsi viderint illi Grammatici, quatenus *Laconica* caussa ad *Attici* judicii normam revocari queat. Ego nihil decerno. Sed tamen non minus caute in Herodoto hujusmodi Grammaticorum observationes adhibendae sunt, quam consimiles eorundem hominum in Homero, cujus diverbia, nemo nescit, quantopere iidem adstringere soleant ad Oratorum Atticorum rationem ac leges. — Quod paucis interjectis de Aristone sequitur ἀπώμοσε satis expeditum est, utpote usurpatum solemni potestate cum asseveratione *negandi*. Est etiam in loco Homerico laud., qui illis Grammaticorum disputationibus locum fecit, itemque in altero Odyss. II, 377, ubi attigit idem Eustathius p. 102 Basil. Ibidem ad vs. 378 Scholiasta Palatin. cod. Heidelb. nr. 45. ita habet: ὀμόσαι τὸ ὀνομάσαι θεόν· τελευτῆσαι δὲ τὸν ὅρκον τὸ ἐπάγειν τὸ πρᾶγμα περὶ οὗ ὁ ὅρκος γίνεται. Quae nos nil moramur. — Mox illud ἀνασώζων ἐκεῖνο τὸ ἔπος pertinet ad eos locos, ubi itidem σώζειν de memoriâ usurpatur; de quibus egerunt Heindorf. ad Platon. Theaet. pag. 318. et Ast. ad Rempubl. VI, 2. p. 535.

213) Ex hoc loco attingamus paucula: Cap. 67. ἦσαν μὲν δὴ γυμνοπαιδίαι. De hoc Lacedaemoniorum festo classicum locum jam indicavit Ruhnkenius ad Tim. p. 73 seq., nimirum Athenaei XV. pag. 678. (pag. 470 ed. Schweigh.) Tu consule hujus animadvv. Tom. VIII. pag. 98 seq. Adhibe praeterea Ernestum ad Xenoph. Memor. I, 2. 61. Wyttenbach. ad Plutarchi Instit. Lacon. Animadvv. p. 1206. Welker. ad Alcman. Fragg. p. 13. et Sturz. ad Hellanici Reliqq. p. 84. Caeterum in Phrynichi loco *Προπ. Σοφ.*, quem exhibuit Ruhnkenius, pro *Γυμνοπαιδίᾳ* scriptum nunc legitur *Γυμνοπαιδιά*. Vid. Bekkeri Anecdott. gr. I. p. 32. — Hinc quivis emendare facile

Antea tamen ea fecit, quae, cum ad nostram caussam inprimis pertineant, ad verbum apponamus. Ita enim pergit Herodotus cap. 67: „His dictis, velatâ facie theatro egressus, domum suam abiit: ibique protinus, praeparatis rebus necessariis, Jovi bovem immolavit, et eo mactato vocavit matrem (cap. 68). Quae postquam advenit, datâ in manus ejus extorum parte victimae, supplex eam *Demaratus* allocutus est his verbis: *Mater, et alios omnes deos testatus et hunc Herceum* [*id est domus nostrae praesidem*] *Jovem,*[214]) *oro te atque obsecro,*

---

poterit ea, quae ad hunc Herodoti locum in annotationibus minus recte posuit *Larcherus.* — Mox ἐπὶ γέλωτί τε καὶ λάσθῃ, iis quae interpretes, ab iisque laudatus Casaubonus ad Athenaeum monuerunt, adjice Hesych. Vol. II. p. 430 ibique Albertium. Photii Lexicon. gr. p. 153 et Jacobs. ad Antholog. I. pag. 189. Brunck. I, 1. pag. 386 Animadvv., qui nec Herodoteum locum praetermisit. — Deinde illud ἢ μυρίης κακότητος, ἢ μυρίης εὐδαιμονίης Homericum est. Vide Iliad. XI, 382, unde sumserunt Orphici, ut Hymn. LXIV. (63.) 11. LXXXVIII, 12. (vulgo inter Hymnos Homericos). Confer etiam Proclum in Platonis Tim. p. 330. Nec minus Homericum atque Orphicum est illud in exitu capitis 66. Nostri: ἀνάπυστα ἐγένετο ταῦτα. Vid. Gesner. et Hermann. ad Orphei Argon. (1159) 1166. Eustathium ad Odyss. XI, 274. p. 434 infr. ed. Basil. et Apollon. Lex. Hom. p. 135 Toll. ibiq. Villoison.

214) *Καὶ τοῦ Ἑρκείου Διὸς τοῦδε.* De Jove Ἑρκείῳ utiliter exposuit Larcherus ad h. l. Primarios autem veterum scriptores ipse indicavi in Meletemm. Part. I. p. 17. Adde Cratini fragmentum ap. Athenaeum XI. p. 460, quod Porsonus tractavit in Adversariis p. 107 ed. Lips. Nunc ad Herodoteae narrationis argumentum applicanda haec a nobis quaestio est: *Cur in tali causâ potissimum*

ut verum mihi dicas, quis ex rei veritate pater sit meus. Leotychides enim in litis contentione dixit, gravidam te ex priori viro congressam esse cum Aristone: qui vero contumeliosiorem rumorem se-

---

Herceum Jovem testatus sit Demaratus. Qua in re bina occurrunt nobis. Nam primum, qui Juppiter Romanis *Cortalis* ac *Septitius*, Graecis *Ἑρκεῖος* dictus est, idem etiam *πατρῷος* appellatus. Igitur proprie ejus tutelae commissa erant gentilitia jura ac sacra privata. Hinc ap. Demosthenem adversus Eubulid. p. 1319 Reisk. *εἰτ' Ἀπόλλωνος πατρῴου, καὶ Διὸς ἑρκείου γεννηταί.* et ap. Platonem in Euthyd. 72 p. 404. *Ζεὺς δ' ἡμῖν πατρῷος μὲν οὐ καλεῖται, ἑρκεῖος δὲ καὶ φράτριος, καὶ Ἀθηνᾶ φρατρία.* (Lege *κ. Ἀθηναίη φρατρία.* Antiquam enim formam hujus ipsius loci exemplo firmat Eustathius ad Odyss. III, 51. p. 112. Basil.) Athenis Minervae Poliadis mentio jungitur religionibus *Διὸς ἑρκείου*, cujus ara in Pandrosio fuisse videtur Philochor. ap. Dionys. Hal. Vol. V. p. 636 Reisk. cf. Philochori Fragmm. p. 2. Atque cum Romanorum quoque *Penatibus* a Graecis comparatos esse deos *Ἑρκείους* diserte prodit Dionysius Halicarnass. A. R. I, 67. p. 169 Reisk. Propterea quidquid ad heri patrisque familias potestatem, ad sanctitatem domus atque intemeratam illibatamque propaginem pertineret, id omne ejus ipsius Jovis Hercei judicio permittebatur. Proinde apud ejus dei aram Acrisins filiam suam Danaën unâ cum filiolo Perseo, quem ipso inscio pepererat, ad Jovis Hercei aram adduxerat et in nepotis ortum inquisierat (Scholiast. Apollon. IV, 1091. cf. Pherecyd. Fragg. I, 2. p. 77 - 80 ibiq. Sturzium. Qui vir doctus si Herodotei loci meminisset, haudquaquam eo in loco conjecturus fuisset: *Ὁρκίου* — Sed de hoc loco proxime videbimus. Hinc in excidio Ilii paterfamilias idemque rex Priamus ad ejus dei aram confugerat; sed, quo facinore atrocius nullum ex Graecorum religionibus cogitari poterat, ad eam ipsam fuerat a Neoptolemo occisus; ipsiusque Jovis Hercei signum in

quuntur; ajunt cum servo asinario te esse congressam, et illius me esse filium. Quare ego te per Deos obsecro, verum mihi dicas. Nam et, si quid tale, quale dicunt, fecisti, non tu sola fecisti, sed multis cum aliis mulieribus: et pervulgata quoque Spartae fama est, prolificum semen non fuisse Aristoni; alioqui priores etiam uxores parituras fuisse. Haec igitur ille dixit (cap. 69). Cui mater his verbis respondit: *Fili, quoniam me supplex oras ut verum dicam, omnem tibi rem ex vero aperiam. Postquam me pater tuus domum duxit, tertiâ nocte a primâ venit ad me simulacrum,* [215]) *simile Ari-*

---

praedâ abductum. Rem tradiderat ἐν Ἰλίου πέρσει Arctinus vid. Heynii Excurs. VI. ad Virgil. Aeneid. II, 512 seq. et Tzetz. ad Lycophron. 538. p. 544 ed. Mueller. E quibus exemplis jam satis intelligitur, cur Demaratus, quum de ortu suo dubitaret, et certo scire cuperet, utrum ipse ad *Proclidarum* nobile genus pertineret, an pro alieno adeoque spurio habendus esset, cur ille inquam potissimum *Jovem Herceum* rei testem faceret.

215) *φάσμα εἰδόμενον Ἀρίστωνι.* Hoc *φάσμα* continuo ἥρως dicitur, ac δαίμονα etiam dici infra docebimur. Hoc *φάσματος* nomen in mentione pugnae Salaminiae, in qua ipsius Demarati partes fuerunt, frequentat Aristides Sophista. Cujus locos exhibuit Valckenaerius ad Herodoti VIII, 65. haec: *Ἔφη δὲ Δικαῖος — ἰδεῖν δὲ κονιορτὸν χωρέοντα ἀπὸ Ἐλευσῖνος, ὡς ἀνδρῶν μάλιστά κη τρισμυρίων. — καί οἱ φαίνεσθαι τὴν φωνὴν εἶναι τὸν μυστικὸν Ἴακχον. εἶναι δ' ἀδαήμονα τῶν ἱρῶν τῶν ἐν Ἐλευσῖνι τὸν Δημάρητον κ. τ. λ.* Ubi quod pro εἶναι reponi jussit Villoisonus ad Sanctocrucii librum: Recherches sur la relig. secr. des Anc. (p. 199) p. 327 ed. alter. ἰέναι vix necessarium post ea quae Valckenaerius ibidem monuit. Et improbata est haec conjectura a Larchero et Silvestre de

stoni: quod cum mecum concubuisset, coronas mihi, quas habebat, imposuit. Illud postquam abiit, venit deinde Ariston: qui me videns coronis ornatam, interrogavit quis illas mihi dedisset: et ego dixi, ipsum. Quod ubi abnuit ille, jurata equidem respondi, non recte eum facere qui rem

---

Sacy ad l. l. l. l. — Haec Herodotea respiciens Aristides loquitur de τοῖς ἀπ' Ἐλευσῖνος φάσμασι. Ad quem locum ibidem ex Scholiasta mscr. Leidensi locum commode apposuit Valckenaerius. Ego ejusdem Scholii mscr. extremam partem, utpote discrepantem a Leidensi Scholio, adscribam ex cod. Monac. fol. 44, cujus Apographum Werferus mecum communicavit (ad orat. Panath. Vol. I. p. 143. Jebb.). Atque in ejus initio recte scriptum legitur: Δίκαιος καὶ Δημάρατος: clausula ita habet: ἐν δὲ τῇ τοῦ κονιορτοῦ ἄρσει, καὶ ὅσοι τῶν Ἀθηναίων ἦσαν μεμυημένοι, ἤκουσαν φωνῆς τινὸς ἐκ δαίμονός τινος ἀφανοῦς, λεχθείσης ὡς παρέσονται τῇ ναυμαχίᾳ Περσεφόνη καὶ Δημήτηρ. Mich. Psellus de operat. daemonum p. 105 ed. Kilon. ἡ δὲ δαιμόνιον ἔφη φάσμα σκιοειδὲς κ. τ. λ. Etiam Aristidis Scholiasta mscr. ad Vol. I. p. 102 ed. Jebb. jungit Λαμίας et φάσματα; quem locum infra apponam. Scholiasta Platon. ad Theaet. p. 19 Ruhnk. φάσματα ex mente Philosophi illustrat. Plato in Sympos. p. 179, p. 383 ed. Bekker. de Orpheo et Eurydice: φάσμα δείξαντες τῆς γυναικός, ubi cod. Darmstad: φάντασμα. Male Origen. contr. Cels. VI, 8. de ipso Platone: οὐκ Ἀρίστωνος υἱός, ἀλλὰ φάσματος ἐν Ἀπόλλωνος εἴδει προςελθόντος τῇ Ἀμφικτιόνῃ. Grammaticus nuper editus ad calcem Etymologici Gud. Vol. II. p. 638 ed. Lips.: φάσματα τὰ ἐν ὕπνῳ φαινόμενα καὶ ὅσα φαντάζουσι τὰ δαιμόνια νύκτωρ ἢ μεθημέραν ἐν ταῖς ἐρήμαις ἀπὸ τοῦ ἀέρος λαμβάνοντα τὰς μορφὰς οἵας ἂν ἐθέλωσι. — De simulacris daemonum, praesertim *Venereorum* φάσματα κακίας sive φ. κακιῶν usurpat Eusebius Pamphili, docente Henr. Valesio ad illius Orat. de laudib. Constantini cap. 8.

perneget; paullo enim ante venisse ipsum, mecumque concubuisse, ac deinde has mihi coronas dedisse. Tum me videns Ariston jurejurando rem confirmare, intellexit divinitus haec accidisse. Nam et coronas illas apparebat esse [216]) *ex heroïs*

---

p. 672 ed. Taurin. Jamblichus Syrus in Babylonicis ap. Phot. cod. 94. pag. 131. ed. Hoeschel. 1601: de daemone pulchram feminam depereunte: *καὶ τράγον τι φάσμα ἐρᾷ Σινώνιδος.* Locum respexit Suidas in *φάσμα·* (Tom. III. p. 584 Kust. cf. Chardon. de La Rochette in Mélanges d. Literat. Vol. I. p. 76.) *καὶ ἔδοξε τράγος εἶναι, μὴ ταῦρος ἐκεῖνο τὸ φάσμα.* Hi extremi loci quam similes sint huic ipsi Herodoteo, in quo versamur, magis etiam sequentia docebunt.

216) Similiter in pompâ Jovis et Alexandri apud Athenaeum lib. V, 8. p. 202. d. p. 281 Schweigh. memoratur *στέφανος μυστικὸς χρυσοῦς — οὗτος δὲ περιετίθετο τῷ τοῦ Βερενικείου θυρώματι,* ubi proinde *etiam corona portae sacelli heroïci, s. aedis, applicita reperitur.* Nec aliter Romani suis *Laribus* faciebant. Juvenal. Satyr. IX, 137:

O parvi, nostrique Lares, quos thure minuto,
Aut farre, et tenui soleo exorare coronâ

ubi consule Rupertium in Commentar. pag. 548. Plautus Trinum. Act. I. sc. 2. init:

Larem coronâ nostrum decorari volo.

Quae res ad extremam adeo aetatem invaluit. Codex Theodos. lib. XVI. tit. X. de Paganis. „Nullus — vel secretiore piaculo, Larem igne, mero Genium, Penates nidore veneratus, accendat lumina, imponat thura, serta suspendat.“ Ubi adhibe Jacobum Gothofredum p. 275 sq. *Quod vero ipsius mariti Aristonis donum putaverat eas coronas mulier*, hoc eo pertinet, quod non solum amasiorum fores ac vestibulum coronare consueverant veteres, verum etiam muneris quasi gratiâ corollis ornare eas qui-

aediculâ, quae est ad januam[217]) *aulae nostrae;* (*Astrabaci aedem vocant*) *et, esse hunc ipsum Heroëm pronuntiarunt vates. Ita igitur, fili, rem*

buscum concubuerant. Illum morem accurate explorat Clearchus in libris Eroticorum ap. Athenaeum XV, 3. p. 670. p. 441 seq. Schweigh. ubi diligenter et caussis additis exponit illud: *Στεφανοῦσι δὲ τὰς τῶν ἐρωμένων θύρας, ἤτοι τιμῆς χάριν, καθαπερεί τινος θεοῦ, τὰ πρόθυρα στεφανοῦσι αὐτῶν· ἢ οὐ τοῖς ἐρωμένοις, ἀλλὰ τῷ Ἔρωτι ποιούμενοι τὴν τῶν στεφάνων ἀνάθεσιν*, et quae plura ibi disputantur Praecipue autem huc facit Plutarchi locus de Isid. et Osirid. p. 356. E. p. 462. seq. Wytt. ubi *Isis coronam* melilotinam *pro argumento habet, Osiridem cum Nephthye concubuisse: Αἰσθομένην δὲ τῇ ἀδελφῇ ἐρῶντα συγγεγονέναι δι' ἄγνοιαν ὡς ἑαυτῇ τὸν Ὄσιριν, καὶ τεκμήριον ἰδοῦσαν, τὸν μελιλώτινον στέφανον ὃν ἐκεῖνος παρὰ τὴν Νέφθυν κατέλιπε.* Itaque, licet Ionicis scriptoribus *στεφάνη* et *στέφανος* promiscue usurpetur (vid. annot. nostr. ad Cic. de N. D. I, 11. p. 50): tamen h. l. crediderim *serta florum cogitanda esse.* Ac Noster libr. VIII, 118 fin. ita: *δωρήσασθαι χρυσέῃ στεφάνῃ.*

217) — *ἐκ τοῦ ἡρωΐου παρὰ τῇσι θύρῃσι τῇσι αὐλείῃσι ἱδρυμένου.* Agnosce communem formam Doribus aliisque Graecis familiarem: *θύρα αὐλεία*: Atticorum erat *ἡ αὔλειος θ.* et *αἱ αὔλειοι.* Quâ de re praecipiunt Graecorum grammatici. vid. Moerin, ibiq. Pierson. pag. 88. Dorvill. ad Chariton. pag. 217 ed. Lips. Fischeri Indic. ad Theophrasti charactt. in hac voc. Platon. Sympos. p. 1200. cap. XXX. h. l. ibique F. A. Wolf. Ita enim habet Lexicon gr. in Bekkeri Anecdott. I. pag. 463. *αὐλία θύρα πυλῶν καὶ ἡ αὔλιος.* Sed eam formam a librariis intrusam dicunt Dorvill. et Fischer. Neque tamen eam in Herodiano VII, 5. reponere conatus est Irmisch. p. 673 sq. — Gravius est illud, ut recte intelligas quo pertineat ea res, quod hac in historiâ juxta *Jovem Herceum etiam heros collocatur* cum mentione *aulae*. Dispiciendum igitur, ubi

totam habes, quam scire cupis. Nam aut ex hoc heroë genitus es, et pater tuus Astrabacus heros est, aut Ariston: eâ ipsâ enim nocte te concepi.

---

ara illius et hujus sacellum sita fuerint. Quaeritur proinde, quid proprie cogitaverit Herodotus cum scriberet παρὰ τῇσι θυρ. αὐλ. Quae res pendet a potestate vocis αὐλή. Apion Gloss. Homer. ita: αὐλὴν, τὸν σταθμὸν τῶν προβάτων, καὶ οἰκίαν καὶ σπήλαιον. Ac primum αὐλὴν nonnunquam esse domum ipsam, vel domus atrium, satis comprobarunt Athenaeus lib. V, 5. 3. p. 190. p. 232 Schweigh. Valesius ad Evagri. H. E. IV, 1. p. 343. Perizon. ad Aelian. V. H. III, 5. et Wessel. ad Diodor. XIX. Vol. II. p. 323. — Verum ad nostrum locum faciunt praecipue illa Athenaei V, 15. p. 189. p. 232 Schweigh. Ὅμηρος δὲ τὴν αὐλὴν ἀεὶ τάττει ἐπὶ τῶν ὑπαίθρων τόπων, ἔνθα ἦν ὁ τοῦ Ἑρκείου Διὸς βωμός. Vides hanc observationem non solum ad Homericos pertinere locos, (quales sunt Odyss. XXII, 334 seq. IV, 74. Iliad. XI, 772.) verum etiam ad nostrum locum omnesque, in quibus *sacrorum privatorum* mentio fit. Faciebant enim rem divinam Graeci privatim ἐν αὐλῇ. Platon. Republ. I, 2. p. 328. p. 4 Ast. de Cephalo: τεθυκὼς γὰρ ἐτύγχανεν ἐν τῇ αὐλῇ in *impluvio*. Cf. Xenoph. Memorab. I, 12. et quae in copiosissimo Epimetro de Graecae domus partibus disputavit Schneiderus. V. C., qui nec Herodotei loci fuit immemor, p. 274 sq. Heynii Obss. ad Iliad. XI, 772. Quod autem Apion l. l. *septa sub dio, in quibus oves stabulari solebant*, αὐλῆς nomine comprehendit, pertinet ea res etiam ad N. T. scriptores. Tu vid. Valckenaerii Selecta Scholarum ed. Wassenbergh. p. 269 sq. ad Evangel. Luc. XXVI, 55. Atque ipsi *Herodoto* II. cap. 148. in descriptione Labyrinthi Aepyptiaci hunc αὐλῆς significatum vindicavit Wyttenbachius ad Selecta Historicc. p. 355, ut esset *apertum superne*. Jam nihil necesse est operose exponere, αὐλείας θύρας h. l. Herodoti nil aliud esse quam ἑρκείους πύλας Aeschyli in Choeph. 559. 569. 651. i. e. *quam eas fores, quae ex aulâ*

Caeterum, quo argumento te maxime adgrediuntur inimici, dicentes, ipsum Aristonem, quum ei te natum esse nuntiaretur, audientibus multis negasse suum te esse filium, quoniam justum tempus

---

(αὐλῇ) *per maceriam* (ἕρκιον) *in viam ducunt.* Vid. Valcken. ad h. l. et Schneider. in Epimetro laudato p. 271: illud a nobis sigillatim est explorandum, *quomodo locorum vicinitate juncti fuerint in Demarati aedium impluvio Juppiter Herceus* atque *Astrabacus heros.* In domus Homericae delineatione J. H. Voss. ad suam interpretationem Odyss. vernac. ponit Jovis Hercei aram *mediâ in aulâ.* Qua de re nunc non attinet dicere. Ad *historicorum veterum* rationem, quam nunc expedire studeo, maxime facit Pherecydis locus classicus ap. Scholiast. Apollon. IV, 1091. et in Pherecydeis Sturzii p. 78, ubi de Acrisio ita narratur: *Δανάην δὲ κατάγει σὺν τῷ παιδὶ ἐπὶ τὸν ὑπὸ τοῦ Ἑρκίου Διὸς βωμόν.* Haec concoquere nequibat Sturzius, p. 80. Supra attigi conjecturam ejus. Vitium inveteratum. Nam Phavorinus vulgatam retinet, itemque Eudocia in Violeto p. 32. Veram germanamque scriptoris manum praestat codex Scholiastae Parisinus p. 314 ed. Schaeferi, qui ita: *Δανάην δὲ μετὰ τοῦ παιδὸς καταγαγὼν εἰς τὸν ὑπὸ τὸ ἕρκιον τοῦ Διὸς βωμόν.* h. e. ad Jovis aram, *quae est sub maceriam.* Quae si nostro loco adhibeas, dicas in Demarati corte vel impluvio (i. e. aulâ subdiali) et ipso Hercei Jovis aram maceriae (τῷ ἑρκίῳ) tantum non contiguam fuisse. Jam cum ibidem Astrabaci heroïs sacellum locatum dicatur *παρὰ τῇσι αὐλείῃσι θύρῃσι*, i. e. ad ἑρκείους πύλας: consentaneum est credere, *Jovis Hercei aram locatam fuisse in aulâ, et quidem ab alterâ parte ejus portae, quae per maceriam aulae in viam patebat: heroum autem Astrabaci situm fuisse et ipsum in aulâ*, *itemque ab ejusdem portae parte alterâ* (i. e. *oppositâ*) *ita, ut introrsus et Juppiter et Heros utrinque aditum tenerent et quasi tutarentur.* Ad pertinebant hae religiones cum ad securitatem aedium

decem mensium nondum esset completum; id verbum illi inscitiâ talium rerum exciderat. Pariunt enim mulieres etiam novem mensium foetus, atque

---

privatarum, tum ad sanctitatem. Et quando Herceus Juppiter Italorum *Penatibus* poterat accenseri (vid. supra): gentilitius heros Astrabacus *Laris* locum sustinet. Haud dubie enim in sacris privatis valde cognatus inter se fuit cultus sacer veterum populorum quos diximus. Qua de re nuper admodum plura contuli in Annalibus Heidelbergenss. ann. 1817. nr. 78. p. 1236 sqq. Hîc alia paucula subjiciam conjunctiora cum Herodoteo hoc argumento. Ad securitatem igitur spectat illud, quod alibi *Juppiter Custos* cum *Lare* copulatur per attributa; v. c. per adjunctum *canem*. Ita ille Juppiter fulmen tenens accubante cane visitur in lucernâ sepulchrali ap. Bartol. et Bellorium in Lucern. sepulchr. part. II. p. 1. Laribus enim ob fidam custodiam attribuebantur canes. Vid. scriptores, quos laudavi ad Cicer. de N. D. II, 27. p. 515. et ad III, 25. p. 653. *Sanctitatis* ac *castitatis* supra mentionem fecimus, ubi quaerebamus, cur ad Hercei Jovis aram ortum suum exploraret Demaratus. Neque minus earundem religionum legibus continebatur ἡ οἰκουρία *feminarum*, cum septo excedere inque viam prodire honeste non possent mulieres. Quam rem attigit Valckenaer. ad Herodot. IV. cap. 114. Boettiger. in libro vern. die Aldobr. Hochzeit pag. 134. cf. annot. nostram ad Musonii Fragm. in Studiis nostrr. Vol. IV. p. 130. Nunc in clausulâ Herodoto applicabo illud Menandri poëtae ap. Stob. Sermon. cap. 163:

τοὺς τῆς γαμετῆς ὅρους ὑπερβαίνεις γύναι
διὰ τὴν αὐλάν. πέρας γὰρ αὔλειος θύρα
ἐλευθέρᾳ γυναικὶ νενόμιστ' οἰκίας.

Cui loco similem Philonis de specialibus legibus junxit magnus Valesius ad Eusebii Histor. Constantini IV, 7. p. 568. ubi etiam *οἰκουρίας* diserta mentio. Haec hactenus. Nam Lacaenarum disciplinam postea his in rebus remissiorem fuisse, nemo paullo eruditior ignorat.

etiam septem mensium, [218]) *neque cunctae decimum complent mensem: et ego te, fili, septimo mense peperi: agnovitque paullo post ipse Ariston, per inscitiam sibi verbum illud excidisse.*

218) *Τίκτουσι γὰρ γυναῖκες καὶ ἐννεάμηνα καὶ ἑπτάμηνα, καὶ οὐ πᾶσαι δέκα μῆνας ἐκτελέσασαι.* Hoc extremum pertinet ad communem famam, quam sic eloquitur Menander ap. Gellium N. A. III, 16. *Γυνὴ κυεῖ δεκάμηνος* (De potestate vocum *κυεῖν, ἀναιρεῖσθαι,* aliarum hac in re solemnium dicendi otium fecit Beckerus meus ad Philostrati Vit. Apollonii lib. I. p. 17 seqq.). Nunc libet quaerere, *cur octavum mensem silentio premat Herodotus*, cum tamen Caecilius ap. Gell. l. l. eum addat:

Insoletne mulier decimo mense parere?
Pol nono, etiam septimo *atque octavo.*

Nimirum Herodotus ejusque aequalis Hippocrates applicuerant se ad vulgarem sententiam, *quae partum octavo mense aut edi posse negaret, aut certe vitalem fore.* Atque medicus ille ita pronuntiaverat: *ἔστι δὲ καὶ οὐκ ἔστιν ὀκτάμηνος γένεσις* vid. Gell. l. l. et cf. Hippocrat. de carn. p. 254 et de optimo partu p. 258 sq. Eam sententiam emendavit atque explicavit Muretus in Varr. Lectt. XV, 12. p. 359. 360 Ruhnken. In alia omnia abierat Aristoteles de procr. IV, 4. Probl. XL, 10. et inprimis in Histor. Animal. VII, 4. p. 327. ed Schneideri; quem miror in Annot. Gellii mentionem omisisse. Ita autem Stagirita in H. A. l. l. *Τὰ μὲν οὖν ἄλλα ζῶα μοναχῶς ποιεῖται τὴν τοῦ τόκου τελείωσιν· εἷς γὰρ ὥρισται τοῦ τόκου χρόνος πᾶσιν. ἀνθρώπῳ δὲ πολλοὶ μόνῳ τῶν ζώων· καὶ γὰρ ἑπτάμηνα καὶ ὀκτάμηνα καὶ ἐννεάμηνα γίγνονται καὶ δεκάμηνα τὸ πλεῖστον.* Deinde pag. 38 adjicit: „*in Aegypto tralatitium esse et octavo* (*mense*) *gigni*“ ut Plinii verbis utar, qui haec ab Aristotele sumsit, H. N. VII, 5. 4. p. 376 Hard. — Illam autem observationem de octavo mense ad numerorum philosophiam revocarunt Pythagorici. Vestigia reliqua in libello *Nicomachi*, qui inscribitur Theologumena arith-

Alios autem de nativitate tuâ rumores procul habe: nam verissima omnia audivisti. Ex asinariis vero Leotychidi ipsi et aliis, qui hoc narrant, liberos pariunt uxores. Haec mater locuta est." Sequitur narratio de fugâ Demarati ad Persarum regem. Quae h. l. nil ad nostram caussam facit.

§. 21.

De Astrabaco et Alopeco, heroïbus Laconicis. Dianae Orthiae lunaeque religiones Peloponnesiacae.
(Ad Herodot. IV, 35. 87. V, 69. aliosque locos.)

Redeamus ad mentionem *Astrabaci* heroïs, cujus caussâ haec praemisimus. Qui ipse deinde nos quasi manu reducet ad *Aegyptiaca* sacra, inprimis *Typhonia.*

---

methica p. 47. p. 48 et (p. 55) p. 56 *Astii.* Confer hujus animadversionem p. 188 seq. Cui omissum Jo. Lydi de mensibus locum hoc magis addamus, quia Nicomachi mentionem habet. Videlicet ille p. 53 ed. Schow. haec prodit: Ὅτι ὁ τῆς ὀγδοάδος ἀριθμὸς θῆλυς καὶ ἄπειρος καὶ ἀτελής. ὅθεν καὶ παρὰ Νικομάχῳ ἠλιτόμηνος καλεῖται, ὁ γὰρ ὀκτάμηνος χρόνος πρὸς οὐδένα τῶν ἁρμονικῶν ἔχων φαίνεται λόγον. ὅθεν οὐ τελεσφορεῖται τὰ ὀκτομηνιαῖα κ. τ. λ. Vides a Joanne Homericam formam attribui Nicomacho cum vulgatus textus vulgarem habeat: ἀλιτόμηνος. Illam exhibet Ilias XIX. vs. 118; ubi vid. quae ex Scholiis profert Heynius in Obss. p. 632, qui etiam confert Apollonii Lex. Hom. Vid. p. 331 ed. Toll. Caeterum quod supra *Herodotum* dixi communem opinionem sequi, hoc eo pertinet, quod talia diverbia probabiliter effingere, vel certe exornare solent veteres historici. Non audeam dicere doctiorem hac in re historiae patrem quam medicorum principem. Sed fac meliora ipsum fuisse edoctum: nihilo tamen secius mulieri prisci aevi tribuere debebat communem opinionem. Poscebat sibi hoc et πιθανότης et ἦθος, quibus virtutibus clarent Musae Herodoteae.

Ferebatur triplex fama de ortu Demarati. Prima alteraque expedita est, quâ quidem vel Aristonis regis vel Astrabaci heroïs dicebatur filius. Tertiae famae originem latentem aperiamus. Aristonis dubitantem animum nutantemque confirmaverat oratio uxoris et vatum de Astrabaco heroë narrantium. Inclinaverat rursus temporis ratio, ut in Ephororum adeo consessu mensium numero inito Aristo negaret, suum filium esse Demaratum. At vero ejus dicti eum poenituit, posteaquam adoleverat puerulus. Quam inconstantiam credibile est eum excusare voluisse Spartanorum optimatibus, ac proinde, certe in aurem, narrasse illum interventum Astrabaci heroïs, quaeque inde evenerant. Atque ex hoc ipso nomine *Astrabaci* inimici Demarato homines effinxerant τὸν ὀνοφορβὸν servum *asinarium*, tanquam ipsius patrem. Nam qui Ἀστράβακον audierat pronuntiari, ei pronum erat, de ἀστράβῃ sive *asino clitellario* [219]) cogitare, adeoque de *agasone*, quando vocis clausula: — ακος non longe discederet a voculâ ἀγός. Ne multa: luserant in Astrabaci nomine regis adversarii, quo graviorem notam inurerent, contemtioremque redderent populo. Neque vero solum illi Lacones tunc temporis in eo nomine lu-

---

219) Lexicon rhetor. in Bekkeri Anecdott. gr. I. p. 455. Ἀστραβηλάτης· ὀνηλάτης vid. ibid. p. 454 in ἀστράβη. Atque haec vocula apud veteres declaraverat *asinum mulumque clitellarium* ac proinde quodvis jumentum onerarium, postea quoque sellam clitellasque ipsas. Vid. Moerin ibique Pierson. p. 57 sq. Hesych. I. p. 585 Alberti; Bergler. et Wagner. ad Alciphron. II, 3. p. 322 et Zonar. L. Gr. p. 314. 321.

sisse putandi sunt: verum, ut fit in religionibus antiquis, veteres homines ab initio atque universe. Nam quae scriptura nominis in aliquot codicibus[220]) exstat, ea *astronomum* declarat. Suidas Vol. I. p. 360. Kust. Zonar. Lex. Gr. p. 313: *Ἀστρόβακος ὁ ἀστρόνομος.* Qualis vero hoc in nomine astronomia cogitari debeat, non est quod operose doceam, et Suidas continuo docet in voc. *ἀστρονομία,* ubi *ἀστρολογίας μαγείας Magorumque* ac Persarum (Magog) mentionem facit. Quae cum ita sint: *altera*

---

220) In quatuor Parisinis et cod. F. (Schellersh.) qui exhibent: *Ἀστρ ο βάκου* et *Ἀστρ ό βακος.* Vid. Var. Lect. Herodot. Schweigh. Quod tertiam lectionem unius cod. Clementis Alex. Protrept. p. 35. *Ὀστραβάκου* nemo eruditorum Herodoto adhibuit: nec ipse eam moror. Frequentissima haec transpositio, ut lib. V, 67. *Ὀστακοῦ* pro *Ἀστακοῦ,* quod expediit Schweighaeuserus. Haud alienum ab istiusmodi genere religionum foret *Ὀστρακόβακος,* utpote idem fere qui *ἰχθυόμαντις,* quales Phoenicia ac Babylonia nec minus Syria habuit vates. — Caeterum ejusmodi *nominum convenientia cum rerum, locorum hominumque indole et conditione* saepiuscule tacite attingitur apud veteres. V. C. *Πολυνείκης ὄνομα νεικέων φερώνυμον,* Euripid. Phoeniss. vers. 639 seq. ibiq. Scholiast. et Valckenaer. et ne longe discedam, apud Herodot. VI, 37, quem locum sic accipiendum esse conjeci, quasi scriptum sit: *Πιτυόεσσαν πίτυος τρόπον ἐκτρίψω,* in Historicorr. antiqq. Fragg. p. 108. 109. Talia ex clarioribus locis explicanda sunt. In quibus hoc est eodem Nostri libro (VI. cap. 50.) *Κλεομένης — εἴρετο τὸν Κριὸν, ὅ τι οἱ εἴη τὸ οὔνομα* — et deinceps: *ἤδη νῦν καταχάλκου ὦ Κριὲ τὰ κέρατα.* Quem locum commode adhibuit Apostoli verbis, Epist. ad Galat. IV, 25. *Τὸ γὰρ Ἄγαρ — Ἱερουσαλήμ,* Borgerus V. C. in Commentario pag. 309.


heroïci nominis forma *asinorum* mentionem habet: *astrorum astrologiaeque altera.* Disjuncta haec ac differentia jungere ac copulare facile possis, si admoneas *φάτνης* et *ὄνων, stellarum*, in astronomorum veterum libris celebratarum. Ego vero malo has res sponte coïre inter se ac coalescere, quam consulto jungi ac conglutinari. Neque enim opinionum commenta quaero, sed priscarum rerum fabularumque germanam nativamque indolem. —

Atque hanc ipsam eâ in re patefaciet nobis Pausanias, quo nemo magis in rerum scriptoribus Graecis Herodoti, historiae patris, similis est. Ejus igitur locum de Astrobaeo integrum subjiciam: Atque hic scriptor haec refert de *Dianâ Orthiâ* narrans Lacon. XVI, 6. p. 249. Kuhn: *Πλησίον δὲ Ἀστραβάκου καλούμενόν ἐστιν ἡρῷον. Τὸ δὲ χωρίον τὸ ἐπονομαζόμενον Λιμναῖον Ὀρθίας ἱερόν ἐστιν Ἀρτέμιδος. Τὸ ξόανον δὲ ἐκεῖνο εἶναι λέγουσιν, ὅ ποτε (καὶ) Ὀρέστης καὶ Ἰφιγένεια ἐκ τῆς Ταυρικῆς ἐκκλέπτουσιν· ἐς δὲ τὴν σφετέραν Λακεδαιμόνιοι* (Ita etiam Claver. recte pro vulgato ac frigente *Λακεδαιμονίαν*) *κομισθῆναί φασιν, Ὀρέστου καὶ ἐνταῦθα βασιλεύοντος. καί μοι εἰκότα λέγειν μᾶλλόν τι δοκοῦσιν, ἢ Ἀθηναῖοι. Ποίῳ γὰρ δὴ λόγῳ κατέλιπεν ἂν ἐν Βραυρῶνι Ἰφιγένεια τὸ ἄγαλμα· ἢ πῶς, ἡνίκα Ἀθηναῖοι τὴν χώραν ἐκλιπεῖν παρεσκευάζοντο, οὐκ ἐσέθεντο* (*ἐπέθεντο* alii) *καὶ τοῦτο ἐς τὰς ναῦς; καί τοι διαμεμένηκεν ἔτι καὶ νῦν τηλικοῦτο ὄνομα τῇ Ταυρικῇ θεῷ, ὥστε ἀμφισβητοῦσι μὲν Καππάδοκες καὶ οἱ τὸν Εὔξεινον οἰκοῦντες τὸ ἄγαλμα εἶναι παρὰ σφισιν· ἀμφισβητοῦσι δὲ καὶ Λυδῶν* („*Μήδων* vel *Χαλύβων* Helvetius“ Valckenaeri not. mscr. in mar-

gin. exempli mei.) οἷς ἐστὶν Ἀρτέμιδος ἱερὸν Ἀναΐτιδος. Ἀθηναίοις δὲ ἄρα παρώφθη γενόμενον λάφυρον τῷ Μήδῳ· τὸ γὰρ ἐκ Βραυρῶνος ἐκομίσθη τε ἐς Σοῦσα, καὶ ὕστερον, Σελεύκου δόντος, Σύριοι Λαοδικεῖς ἐφ' ἡμῶν ἔχουσι. Μαρτύρια δέ μοι καὶ τάδε, τὴν ἐν Λακεδαίμονι Ὀρθίαν τὸ ἐκ βαρβάρων εἶναι ξόανον· τοῦτο μὲν γὰρ Ἀστράβακος καὶ Ἀλώπεκος οἱ Ἴρβου τοῦ Ἀμφισθένους τοῦ Ἀμφικλέους τοῦ Ἄγιδος, τὸ ἄγαλμα εὑρόντες, αὐτίκα παρεφρόνησαν· τοῦτο δὲ καὶ Λιμνᾶται Σπαρτιατῶν καὶ Κυνοσουρεῖς καὶ ἐκ Μεσόας τε καὶ Πιτάνης θύοντες τῇ Ἀρτέμιδι ἐς διαφορὰν, ἀπὸ δὲ αὐτῆς καὶ ἐς φόβους καὶ ἐς φόνους προήχθησαν, ἀποθανόντων δὲ ἐπὶ τῷ βωμῷ πολλῶν, νόσος ἔφθειρε τοὺς λοιπούς. Καί σφισιν ἐπὶ τούτῳ γίνεται λόγιον, αἵματι ἀνθρώπων τὸν βωμὸν αἱμάσσειν· θυομένου δὲ, ὅντινα ὁ κλῆρος ἐπελάμβανε, Λυκοῦργος μετέβαλεν ἐς τὰς ἐπὶ τοῖς ἐφήβοις μάστιγας.[221]) ἐμπίπλαταί τε οὕτως ἀνθρώπων αἵματι ὁ βωμός. Ἡ δὲ ἱέρεια τὸ ξόανον ἔχουσά σφισιν ἐφέστηκε. Τὸ δέ ἐστιν ἄλλως μὲν κοῦφον ὑπὸ σμικρότητος, ἢν δὲ οἱ μαστιγοῦντές ποτε ὑποφειδόμενοι παίωσι κατὰ ἐφήβου κάλλος ἢ ἀξίωμα, τότε ἤδη τῇ γυναικὶ τὸ ξόανον γίνεται βαρὺ, καὶ οὐκ ἔτι εὔφορον. Ἡ δὲ ἐν αἰτίᾳ τοὺς μαστιγοῦντας ποιεῖται, καὶ πιέζεσθαι δι' αὐτούς φησιν. Οὕτω τῷ ἀγάλματι ἀπὸ τῶν ἐν τῇ Ταυρικῇ θυσιῶν ἐμμεμένηκεν ἀνθρώπων αἵματι ἥδεσθαι. Καλοῦσι δὲ οὐκ Ὀρθίαν μόνον, ἀλλὰ

221) De hoc flagellationis ritu Laconico adde iis, quae editores laudarunt ad h. l., Grammaticum in Bibl. Coïslin. p. 118 (Nonni Scholiast. in biblioth. Monac. cod. nr. 131.) et Eudociam in Violeto p. 274.

καὶ Λυγοδέσμαν τὴν αὐτὴν, ὅτι ἐν θάμνῳ λύγων εὑρέθη, περιειληθεῖσα δὲ ἡ λύγος ἐποίησε τὸ ἄγαλμα ὀρθόν. — Secutus sum textum Claverii; qui in extremis cum reliquis editoribus recte retinuit antiquam formam *λυγοδέσμαν*. Nam quod nuper admodum vir doctus in Thesauri Stephan. editione Londin. Valpianâ I, 3. p. 292. malit *λυγόδεσμον:* immemor fuit priscae rationis, praecipue Doriensium. Cujus ego vestigium vidisse mihi videbar in Scholio ad Hesiodum, ubi codex Schellershem: *γῆς εὐρυστέρνας*, pro *εὐρυστέρνου*, quod Pausaniae textus dat. Vid. epistoll. vernacull. Hermanni measque de Homero et Hesiodo p. 148 seq. — *Illud gravius* est, *quod Pausaniae narratio* de *Astrabaco et Alopeco repugnare videtur temporum rationibus chronologicis.* Facit enim Astrabacum et Alopecum inventores simulacri Dianae Orthiae. Atque idem prodit Lycurgum in ejus deae arâ homines immolari vetuisse, cum antea sorte ducti essent ad cruenta sacra. At vero, si Irbi filii fuerunt illi inventores, ut idem refert, post Lycurgum demum oportet esse natos. Confer mihi quaeso hos utriusque scriptoris locos: Herodoti I, 65. VII, 204. Pausan. Lacon. cap. 2. pag. 207. Kuhn. et cap. 16. pag. 249.; hanc lucraberis genealogiam:



Haec parum inter se congruere nemo adeo caecutit, quin continuo dispiciat. Possis consulere loco velle ita, ut Pausaniae l. l. illud *εὑρόντες* convertas in *φέροντες* aut *φοροῦντες*, hoc sensu, ut Astrabacus et Alopecus mente capti fuerint, cum *gestaverint* illud signum Dianae Orthiae, fortasse in pompâ solemni. Cujusmodi pompae ipse Pausanias mentionem facit Boeot. cap. 10. cum commemoratione Herculis *δαφνηφορήσαντος*. Possis etiam hoc pacto expedire locum impeditum, ut dicas *εὑρόντες* pertinere ad *amissum* fortasse Dianae Orthiae signum. Feruntur enim subinde amissa ablataque deorum signa et postliminio quasi restituta. Proinde primi inventores ejus simulacri fuerint Orestes et Iphigenia: alteri Astrabacus et Alopecus. — Verumtamen ego, quando universam Pausaniae narrationem recolo, haec omnia accipere malim pro famâ vulgi, quae temporum rationes mirifice confundere solet. Ac consimilia sacra vario tempore memorantur invaluisse in Peloponneso.

Utut est, illud faciendum ante omnia, ut harum rerum indolem reputemus. Refert autem eadem summam barbariem. Nemo ignorat homicidia in fano Tauricae Dianae admissa. Sequitur apud Pausaniam mentio Dianae *Anaïtidis* Armenicae. Quae quidem in memoriam redigit nequitiam divinis legibus sacratam. [222]) Sequuntur apud Pausaniam furores,

222) Strabo XVI. p. 117. et quae plura posui in Mythologiâ II. p. 22. Nunc haud alienum judicabitur paucula adjicere. Videlicet cum alii veterum libri *'Αναῖτις* (*'Αναΐα*) exhibeant; alii *Ταναΐς* (*Ταναῖτις* conf. Clement. Protrep. p. 57 Potter. *'Αφροδίτης Ταναΐδος*. Qua de lectione

amentia, terrores, caedes, oracula etiam ipsum humanum sanguinem sitientia. Quid quaeris? Nihil non arguit luculenter sacra barbarica cum furore peracta. Nec illud negligendum, quod Dianae Orthiae simulacrum dicitur leve fuisse ac parvum. Cujusmodi sunt idola, quae secum asportant barbari populi in navibus, in jumentis, quaeque condere solent in arculis ac secum habere domi. Denique quod idem Dianae signum vitice undique circumvolutum memoratur: revocat ea res in memoriam Bacchum *περικιόνιον*, hederâ circumvolutum, atque Osiridem,

etiam vir doctus monet in Thesaur. Stephan. Londin. Valp. I, 3. p. 291): bifariam disputant viri eruditi. Quibus *Ἀναΐς* germanum videtur, ii ex parte Persicam linguam advocant. In quibus est Hammer. V. C., qui in libro vernaculo: Fundgruben des Orients, III. pag. 275 repetit a Persico *Anahid*, quod phosphori sive luciferi sideris nomen est. Altera lectio *Ταναΐς* placet Åckerbladio V. C. in lettre au chev. Italinski sur une inscription phénicienne, qui a Phoenicio vocabulo ducit (*Tanat*) et Aegyptiorum Minervam *Neith* cum eâ deâ componit, quam explicat: *misericordem.* Obloquitur *Silvestre de Sacy* in libr.: Journal des Savans 1817 m. Jul. p. 439, vindicans nomen Anaïtis linguae Persarum, qui Veneris stellam ita appellaverint. — Haec illi. Neque *lunae* cogitatio sejungenda ab Anaïtidis religionibus, docente Gerhard. Vossio de Orig. et Progress. Idololatr. lib. II. p. 15. Atque quod supra monui, haec sacra barbarorum non cruenta solum, verum etiam in libidinem supina. De *Anaïtide* etiam disputavit Zoëga in libro vernaculo, qui inscribitur: Abhandlungen, nuper admodum a Welckero in lucem edito p. 102 sq. cf. Editoris additamm. pag. 400 sqq. Caeterum *Ὀρθωσίης Ἀρτέμιδος* mentionem facit ipse Noster libr. IV. cap. 87; cui loco adhibe a Schweighaeusero laudatum Fabricium ad Sext. Empir. Pyrrh. Hyp. III. §. 208. p. 179.

cujus cadaver cum ericâ undique et ipsum coaluisse traditur. [223])

Atque *lunares* res ac *Venereas* eminere in his fabulis Laconicis, apud Herodotum ac Pausaniam obviis, nemo ambigat, qui accurate reputaverit, quae in antecedentibus Historiae pater de matre Demarati memoriae prodit. Nimirum quando haec ex turpissimâ puellâ Helenae beneficio in formosissimam [224]) feminam convertitur: tenendum est illud: in hâc ipsâ Laconiâ Leucippi filias coli solitas Ilaïram,

---

223) Conf. Mythologia nostr. III. p. 109 ibiq. laudd. Mnaseas ap. Scholiast. Euripid. Phoeniss. 651. Plutarch. de Isid. p. 357. p. 463 Wyttenb. Quid in hoc plantarum genere eligendo spectaverint fabulae, nunc quaerere non attinet.

224) Herodot. VI, 61. *καὶ ταῦτα μέντοι καλλίστη ἐξ αἰσχίστης γενομένη.* Contra Lamiam Junonis iracundia ex pulcrâ feminâ in foedam converterat, ut est in fabulâ, quam ita narrat Scholiast. mscr. Aristidis (ad Vol. I. p. 102 Jebb.) — *ἡ δὲ Λαμία γέγονε Λίβυσσα γυνὴ περικαλλής. Ταύτῃ Ζεὺς ἐμίγη, καὶ Ἥρα ζηλοτυπήσασα ἀπώλλυ τὰ τικτόμενα ὑπ' αὐτῆς. διὸ καὶ ἀπὸ τῆς λύπης αὐτὴ μὲν δύσμορφος ἐγεγόνει. τὰ δὲ τῶν ἄλλων γυναικῶν ἀναρπάζουσα παιδία αὕτη διέφθειρεν.* Quae comparanda sunt cum Scholiast. Aristophan. Vesp. vs. 1071. Pausaniae locum de Demarati matre geminum (Lacon. cap. 7. p. 220) jam excitavit Valckenaerius. Ego apponam locum scriptoris, qui saepiuscule, ut mihi videtur, Herodotea vestigia legit, Jamblichi Syri. Ita enim ille in Babylonicis ap. Photium, cod. 94. pag. 132 seq.: — *καὶ ὅτι ἡ τῆς ἐνταῦθα Ἀφροδίτης ἱέρεια τρεῖς ἔχει παῖδας, Εὐφράτην καὶ Τίγριν καὶ Μεσοποταμίαν· αἰσχρὰν τὴν ὄψιν ἀπὸ γενέσεως, ὑπὸ δὲ τῆς Ἀφροδίτης εἰς κάλλος μετασκευασθεῖσαν·* (*μετασκευασθῆναι* in marg.) *δι' ἣν καὶ ἔρις τριῶν ἐραστῶν γίνεται.*

Phoeben, Arsinoën, quarum vel nomina sidereas res lunaresque arguunt. Magis etiam considerandum, quod alibi firmavimus, *Helenam* nihil aliud esse, quam *Venerem-Lunam*, interpositam rebus regum Spartanorum. Ac quando ipsa luna nunc nubila est, tristis ac foeda, nunc serena, hilaris ac formosa: nihil mirum ejus beneficio ac potestate variari, esse traditam formam puellae Laconicae, cujus nutrix Helenae-Lunae supplex eam gratiam poposcerat. [225]) — Atque hic ipse Astrabacus sive Astrobacus (i. e. astrologus) heros antiquioris heroïs Peloponnesiaci memoriam renovat Endymionis. Videlicet hic et ipse astronomus dictus ob Lunae amorem. [226]) Et quando *Endymion* e *Lunâ* suscepisse dicitur *quinquaginta* filias, unusquisque intelligit, significari prisci anni lunaris orbem et ambitum. Quando autem idem ex *Asterodiâ* generat heroës, qui populis urbibusque nomina dedere, [227]) hoc

225) Eustath. ad Odyss. XIV, 457 (p. 557. Basil.) — *ἡ γὰρ τοιαύτη σελήνη διὰ τὴν πρὸς ἥλιον σύνοδον καὶ τὸν ἀέρα μεταβάλλει πρὸς τὸ ταραχωδέστερον. ὅτε καὶ κελαδεινὴ κυρίως ἐστὶν ἡ Ἄρτεμις, ὅ ἐστιν ἡ σελήνη.* Vides origines furorum in Dianae sacris exardescentium. Deinde cogita Doriensium atque Atticorum lunae appellationem: *σκοτόμαινα* (*σκοτόμανα*) a *σκότος* et *μάν*. Habes tenebrarum significationem lunae adjunctam. Nunc enim sufficit has res digito monstrasse. Explicatiora haec praestant fabulae Aegyptiorum de Bubasti ac Tithambone, h. e. lunâ furibundâ ac variante facie.

226) Vid. annotat. ad Hecataei Miles. fragg. p. 60 ibiq. Scholion. Apollon. IV, 57. Plin. H. N. II.

227) Paeonem, Epeum, Aetolum et filiam Eurycyden teste Pausan. Eliac. prior. I, 1. p. 375 Kuhn. Adde Pissam ex Phavorino p. 1509, ubi leg. *Ἐνδυμίωνος* pro *ἐνδημίωνος*.

nihil aliud est, quam *Astrobacum* aliquem in Heraclidis e genere Eurysthenidarum memorari. Haec eadem '*Αστεροδία*, stellarum declarans circuitum, affinis est deabus, quas *astrorum* cultus sacravit. Quarum nomina, uti assolent, ad suum sermonem redigunt Graeci homines. Sic, ut hoc utar, Syrorum religio '*Αστροάρχην* aliquam agnoscit, [228]) a Lunâ non multum diversam. Atque ipsam Lunam '*Αστράρχην* nuncupant Orphici (Hymn. VIII. [IX.] vs. 10). Magi autem Persici consimile nomen servavit Diogenes Laërtius. Dicitur '*Αστράμψυχος* vel forte '*Αστράψυχος*. [229]) Inde transiit ad Graecum hominem, qui praeter oneirocritica etiam *θεωρίαν τῶν ἀστέρων* conscripserat.

His positis neminem ego ambigere arbitror, quo pertineat vis ac potestas nominis '*Αστρόβακος* sive '*Αστράβακος* pronuntiare malis. Res atque argumentum istiusmodi heroum fabulae ab orientalibus oris est advecta: nomina ad Graecanicum sermonem efficta immutataque. Inest enim his in fa-

---

228) Herodianus Hist. lib. V. cp. 6. p. 188 ed. Irmisch, ubi perperam Reiskius '*Αστάρτην* volebat substituere. Ad rem quod attinet, *in Aegyptiis* quoque nominibus illud fecerunt *Graeci*, ut *vim vocabuli in suam linguam transferrent*, quod Solonem fecisse narrat Critias apud Platonem Tom. III. p. 113. A. Locum exhibuit et doctâ annotatione illustravit Valckenaer. ad Herodot. II. cap. 148. Quam viri summi observationem hoc magis teneri velim, quo saepius nuper viros doctos e nostratibus eâ in re haerere vidi, praecipue ubi de *originibus Graecorum deûm Aegyptiacis* agitur.

229) Diog. L. Prooem. §. 2. ibiq. interprr. cf. Heumann. et Harles. ad Fabricii B. Gr. Vol. V. p. 265 sq.

bulis omnibus lunaris aliqua ratio, vel verius *lunaticus furor*. Ac nomina eloquuntur quod mens vel potius amentia clausum recondit. [230]) Daemoniacarum superstitionum ubivis luculenta vestigia. Neque enim heroïca magis sunt haec singula, quam daemoniaca, cum gentilitiis popularibusque sacris confusa. Ac *daemonibus* interpositum ipsum *Astrabacum* videbimus infra.

Hactenus de *astrologiae* significatione adjunctâ nomini Astrabaci. Neque vero *bestiarum* significatio omittenda est. Flagitat adversariorum calumnia, quae Demarati patrem *ὀνοφορβόν* effinxerat. Flagitat *Ἀλώπεκος* quem fratrem sociumque Astrabaco adjungit Pausanias, h. e. *asinario vulpinum*.

Qua in re non multis verbis exponam quod alibi feci: Graecarum fabularum indolem ita ferre, ut, quae ab orientalibus hominibus uno simplicique symbolo juncta commonstrentur, ea illae disjungant et in genealogiae formam redigant. Et vero haec Laconica expedita redduntur per tesseras Aegyptias. Etenim Aegyptii exosi erant asinum, utpote animal

---

230) Ex Platonicorum sententiâ philosophorum nomina inventa ipsi geniorum potestati attributa sunt. *Proclus mscr.* in Cratylum (videlicet in editis ad locum p. 67 Heindf.) *πολλαὶ δὲ καὶ δαιμόνων ἐπιφάνειαι τοῖς εὐμοιροτέροις τῶν ἀνθρώπων ὀνόματα κατεμήνυσαν αὐτοῖς συμφυόμενα τοῖς πράγμασι, δι᾽ ὧν τὴν περὶ τῶν ὄντων ἀλήθειαν τρανεστέραν ἐποίησαν.* Nec illud alienum ab hoc argumento quod Origenes contra Celsum I. p. 19 ed. Spencer. posuit: *καὶ οὕτως εὑρεθήσεται τῶν ἐπὶ γῆς δαιμόνων, λαχόντων διαφόρους τόπους, φέρεσθαι τὰ ὀνόματα οἰκείως ταῖς κατὰ τόπον καὶ ἔθνος διαλέκτοις.*

Typhonis. Typhonium autem animal dicebant asinum non minus propter inertiam ac petulantiam quam propter rufum colorem. Rubent enim ut plurimum in oriente aselli. Plutarch. de Isid. p. 363. p. 488 seq. Wyttenb. *Αἰγύπτιοι δὲ πυῤῥόχρουν γεγονέναι τὸν Τυφῶνα νομίζοντες — ἀπολαύειν τε καὶ τὸν ὄνον· ὥςπερ εἴρηται τῆς ὁμοιότητος, διὰ τὴν ἀμαθίαν καὶ τὴν ὕβριν οὐχ ἧττον ἢ διὰ τὴν χρόαν, οἴονται.* [231]) Sed de asino contemto ab Aegyptiis alia etiam infra apponemus. Nunc hoc unum teneamus, ut cogitemus *vulpinum heroëm asinario* additum. Proinde cum in Herodoteâ narratione

---

231) Hinc asinus rufus hebraice audiebat חֲמֹר ab arabico *chamara, rubere,* Bochart. in Hierozoic. II, 12. pag. 181. *Ignaviae* notam (*ἀμαθίας*) asino inussisse Aegyptios nemo mirabitur; illud subeat mirari quod Horapollo I. 23. p. 40 Pauw. Aegyptios dicit in hieroglyphis hominem, qui nunquam patriâ excesserit peregrinator (*ἄνθρωπον τῆς πατρίδος μὴ ἀποδημήσαντα*), ac proinde ignarum rerum ita declararint, ut hominem asinino capite (*ὀνοκέφαλον*) pingerent. Namque falsum esse Horapollinem dicat necesse est, qui veteres Aegyptios desides sibi fingit ac numquam peregre militasse arbitratur. Verum nunc hactenus quidem salva Horapollinis fides. Cui Herodotus ac Diodorus etiam patrocinantur, cum Sesostris aliorumque regum expeditiones longinquas narrant. — Caeterum h. l. verbo admonebo Ocni (*Ὄκνου*) cui asinus adjungitur. Vetustum symbolum quod nonnulli et ipsum ad pigritiae significationem referunt. Qua de re nunc dicere longum est. Vid. de hac fabulâ Pausan. X, 29. pag. 868 Kuhn. Propert. IV, 3. 19. Plin. Hist. Nat. XXXV, 2. Mus. Pio-Clement. IV. tab. 36 et Fussium virum elegantem ad A. G. Schlegelii Elegiam quae Roma inscribitur interpr. lat. p. 34 seq.

despicientiae ac *contemtus* vestigia latitent, quo asinarii infames dicuntur: Pausaniae doctrina hunc nobis usum praestat, ut Alopecus heros *rufi asini* significationem conservare videatur.

Sed quid? quaerat quispiam. Contemtus asinarius, et tamen heroïbus interpositus atque adeo Heraclidarum quasi imaginibus illatus? — Uterque porro, cum is, qui ab asinis nomen habet, tum qui a vulpe, sacrorum etiam minister inventorque? — Audio. Igitur altius anquirendum et considerandum nobis est, quomodo haec tam absurda digeri possint, et concoqui quodammodo. Quâ in re ante omnia illud cavendum, ne ad nostri ingenii morumque nostrorum indolem referamus priscas religiones religionumque tesseras ac fabulas. Et nonne in vernaculis etiam chronicis nomina, ab animalibus desumta, imposita reperiuntur viris principibus ac honoratis inprimis?

Atque, ut hinc ordiar, Aegyptii asinum, Typhoniam bestiam, contemserunt, mulcarunt, et tamen sacris adhibuerunt, nimirum Isiacis. Minucius Felix Octav. cap. XXVIII, 8. p. 24. Rigalt. p. 179. Lindn.: „nisi quod vos et totos asinos in stabulis cum vestrâ vel Eponâ consecratis, et eosdem asinos cum Iside religiose devoratis.“ [232]) Quem ritum

232) Alii *denotatis*, alii *adoratis*, alii *decoratis*. Qui vulgatam tuentur, comparant Plutarchi locum de Iside p. 362 de placentis asini effigie impressis. Ad lectionem *decoratis* tuendam advocant Ovidii versiculos Fastor. VI, 311. 317. de sacro Vestae. Adde de eodem Lydum de menss. p. 107. *ὄνοι δὲ ἐστεφανωμένοι ἤγοντο* (*ἡγοῦντο*) *τῆς πομπῆς, διὰ τὸ τούτοις ἀλεῖσθαι τὸν σῖτον.*

cum Graecorum ritu apte composuit vir doctus; [233]) quandoquidem in Eleusiniis sacris vasa sacra Athenis Eleusinem portabat asellus. Hinc illud Graecorum adagium: *ὄνος ἄγει μυστήρια.* [234]) Ac dubitari nequit, quin in antiquissimis sacris plurium populorum, Aegyptiorum maxime, bestiarum usus

233) Saintecroix Recherches sur les mystères du paganisme I. p. 283. ed. alter.

234) Scholiast. Aristoph. Ran. vers. 159. Suidas II. p. 698 Kuster. Photii Lex. gr. p. 245 seq. Qui ita: *Ὄνος ἄγων μυστήρια, ἐπὶ τῶν ἑτέροις κακοπαθούντων καὶ παρεχόντων εὐφροσύνην, διὰ τὸ τῷ καιρῷ τῶν μεγάλων μυστηρίων ἐξ ἄστεος Ἐλευσῖναδε τοὺς ὄνους κομίζειν αὐτοῖς τὰ ἐπιτήδεια.* Et universe bifariam memoratur asinus veterum in fabulis proverbiisque. Modo enim turpitudo ac prigritia notatur ejus jumenti, modo ejusdem utilitas. Indidem etymologia *ὄνος· ὄνησις* Etymolog. magn. p. 626. Sylb. p. 568. Lips. De qua grammatici viderint. Nos hoc teneamus, ab utilitate in fabulis Cerealibus Bacchicisque commendatum esse asinum. Huc pertinet Naupliorum narratio de caussis asinini anaglyphi in saxo sculpti. Videlicet asinum abroso palmite vitem multo feraciorem reddidisse, ac sarmentorum putationem monstrasse (Pausan. Corinth. 38. p. 201. Kuhn.). Inde Baccho in deliciis hoc animal. In Cereris sacris quaenam partes fuerint asini, arguunt proxima. Videlicet eae, ut contemtui esset gravareturque imposito onere vasorum sacrorum et suâ specie ridendi materiam exhiberet in solemni hilaritate itineris Eleusinii. Haec ipsa haud dubie ex Aegypto traducta; ubi Typhonis, *mali genii, bestia,* et quae *νωθείας* notâ sorderet, *ad bonorum* deorum Osiridis Isidisque sacra famulari coacta est. Similia etiam obvia in medii aevi fabellis, quae diabolum Jesu Christo virisque sanctis aegre ministrantem faciunt. Ac sicut in Eleusiniis asinus onere gestando divexatur gravaturque

varie pertinuerit ad symbolicam significationem. Proinde probabile fit, Isiacis in ritibus asinum ita admotum esse rei sacrae, ut tanquam turpis bestia opponeretur nobilioribus, ac specie suâ moribusque Typhonem quodammodo referret, cum contra *canis*, *bos*, aliae bestiae in historiâ Osiridis sacrâ summo honore impertirentur. Unde antiquitus asinarii et ipsi in contemtus societatem venerunt. Cui generi hominum quodammodo accenseri possunt etiam isti *agyrtae*, qui diis deabusque stipem corrogabant et asello vehebantur. „Erant sacrificuli, qui dei deaeve alicujus effigiem vel humeris portantes, vel jumento imponentes, per oppida et vicos vagabantur, et verbo diis, re ipsâ sibi stipem quaerebant." 235) Atque ipsi Isidi istiusmodi sacrificulus stipem cogere memoratur apud Suidam. 236)

Verum prisco aevo haud dubie honestum fuit hoc sacrorum curandorum officium. Nam et ipse

(πιέζεται Schol. Aristoph. l. l.): ita nec minus sacerdos Laconica πιέζεσθαι dicitur eo simulacro, quod Astrabacus (asinarius) invenerat (vid. Pausan. l. l. de Dianae Orthiae signo). Ne multa: magicae superstitionis utrobique haud ambigua indicia exstant.

235) Sunt verba Ruhnkenii ad Tim. Lex. Platon. p. 10, qui de his consulendus.

236) Vol. I. p. 26. Solemnis formula: τῇ θεῷ ἀγείρειν, docente Ruhnkenio l. l. Hinc Galli, Cybeles sacrificuli, Μητραγύρται. Alii Μηναγύρται dicti Ruhnken. l. l. adde Porsoni Adversaria p. 125. p. 109. Lips. Nominis rationem inde repetit Ruhnkenius, quod *singulis mensibus* stipem cogebant. Ego, ut non obloquor, ita nec minus tamen Μήνην *Lunam* (Eustath. ad Odyss. XIV. vs. 457.) cogitari dixerim.

ille Abaris in agyrtarum numero censendus, teste Jamblicho de vit. Pyth. cap. XIX. p. 76. Atque ipsum Herodotum nostrum testem adhibere possumus veteris honestiorisque moris, et quidem in ipsius Dianae religionibus.[237]) Memorat origines sacrorum Deliacorum sacras virgines Hyperboreas atque Olenem Lycium vatem ac sacrorum auctorem. — Quae cum ita sint: non mirandum, *priscis temporibus ejusmodi sacrificulas atque agyrtas heroum quoque honoribus ornatos heroïcisque gentibus interpositos esse.* Neque jam obscurum est, cur sacrorum inventor idemque sacrificulus Astrabacus potuerit Heraclidis accenseri, atque sacello coronisque mactari Lacedaemone: et idem tamen jocorum cavillationisque argumentum exhibere. Nam Demaratus et qui ab asinario nomine dicteria in eum eliciebant adversarii, Persicorum aetate bellorum vixerunt; quo tempore licentia optimatum Laconicorum neque usquequaque religionibus pepercit.

Sed tamen etiam tum patriis religionibus publice privatimque suus constabat honor, sua sanctitas. Arguit vel Astrabaci heroum publice privatimque residuum Lacedaemone (vid. Herodot. et Pausan. ll. ll.)

---

257) Herodot. IV, 35. — *καὶ γὰρ ἀγείρειν σφι τὰς γυναῖκας, ἐπονομαζούσας τὰ οὐνόματα ἐν τῷ ὕμνῳ, τόν σφι Ὠλὴν ἀνὴρ Λύκιος ἐποίησε· παρὰ δὲ σφέων μαθόντας νησιώτας τε καὶ Ἴωνας, ὑμνέειν Ὦπίν τε καὶ Ἄργην, ὀνομάζοντές τε καὶ ἀγείροντες.* Extremam vocem Herodoto recte vindicat Ruhnken. l. l. item advocans Herodoti, qui fertur, vitam Homeri cap. 33. De *Abaride* dicetur a me alibi.

Age igitur, pedem referamus in illam antiquitatem, quae ejusmodi heroä consecravit. Eo manu quasi nos ducet Hyginus, qui et *asello* vectum Astrabacum aperiet nobis, et vero *astris* quodammodo interponet, vel certe eundem nobis in *astrologis* exhibebit. Quid quaeris? *Baccho prisco* adeoque *Sileno simillimus evadet idem ille Astrabacus.* Videlicet ille scriptor poët. astronom. cp. 23. p. 473. sq. Stàv. ita refert: „In ejus (cancri) deformationis parte sunt *quaedam*, qui [238]) Asini adpellantur: a Libero in testâ Cancri duabus stellis figurati. *Liber* enim a Junone *furore objecto*, dicitur *mente captus* fugisse per Thesprotiam, cogitans ad Jovis Dodonaei oraculum pervenire, unde peteret responsum, quo facilius ad pristinum statum mentis perveniret: sed quum venisset ad quandam paludem magnam, quam transire non posset, de quibusdam duobus *asellis* obviam factis dicitur unum deprehendisse eorum, et ita esse transvectus, ut omnino aquam non tetigerit. Itaque cum venisset ad templum Jovis Dodonaei, statim dicitur furore liberatus et *asellis gratiam retulisse, et inter astra eos collocasse. Nonnulli etiam dixerunt asino illi, quo fuerat vectus, vocem humanam dedisse. Itaque postea eum cum Priapo*

---

238) *Quaedam*, videlicet stellae. Alii, *quidam*, male, vid. Munckerum et Staveren. Ad constructionem: *quaedam, qui asini adp.* adhibe Cic. de Legg. I, 22. „*Animal* hoc providum, sagax, acutum, *quem* vocamus hominem. Cf. Verrin. V, 143. aliosque locos quos suppeditat annotatio ad Cic. de Nat. D. II, 2. p. 209. ed. nostr. II, 53. p. 431. II, 55. p. 443. III, 4. p. 778.

de naturâ [239]) *contendisse et victum ab eo interfectum. Pro quo Liberum ejus misertum in sideribus adnumerasse.*"

Haec Hyginus. Cujus narratio quantopere conveniat iis, quae et nomen Astrabaci et ejusdem historia apud Pausaniam concludit, putidum foret operose declarare. Res ipsa declarat. Nam utrobique magicarum rerum daemoniacarumque manifesta vestigia. Nec Astrabacus minus *asello* junctus *insaniaeque* implicitus, quam Bacchus. Neutri item deest significatio *astrorum.* Cogitandus autem h. l. est Bacchus-Silenus priscarum religionum Pelasgicarum, quae apud Dodonaeos inprimis invaluerant. Priscas etiam dico eas res omnes, Quapropter nec illam alteram Hygini l. l. fabulam, quâ aselli isti siderei Gigantomachiae interponuntur, recentiorum hominum inventum dixerim. Neque probantur mihi, quae vir ceteroqui doctissimus *Schaubachius* nuper posuit in notis ad Eratosthenis caput geminum Catasterismm. cap. XI. p. 85. „Altera vero (fabula) de Asinis ad Gigantomachiam spectat, et ab *astronomis*, ut puto, *inventa.* In nullo enim auctore Eratosthenem et Theonem aut agresso eam reperire possum." Est enim caute versandum in his rebus, quas aliunde antiquissimi auctores memoriae prodiderunt. Sic, ut hoc utar, Sileni mentio ab Hesiodo usque et Homeridâ in hymnis per antiquissimos re-

239) Vid. interpretes ibiq. Scholiast. Germanici: Cum Priapo contendere coepit de *membro naturali.* Quare minorem literam reposui in *Natura*, quae scriptio textum hodieque foedat. De hac vocis potestate diximus nuper ad Ciceron. de N. D. III, 22. p. 606. seq.

rum scriptores adeoque ipsum Historiae patrem (vid. Herodot. VII, 26. VIII, 158.) ad Theopompum propagata est, ut posteriores omittam. Dodonaeum autem illum asinarium Hygini agnoscit Philiscus sive Philistus historicus. [240])

Quod porro Hyginus l. l. Bacchum dicit, *asino illi, quo fuerat vectus, vocem humanam dedisse*, cuivis in mentem veniat necesse est *Balaami asina loquens;* neque Hygini locum neglexit magnus Bochartus in Balaami historiâ expediendâ. Nos hoc loco duo faciamus. Primum revocabimus in memoriam fabulam ab Eratosthene l. l. proditam, quae, diis trepidantibus, Satyricorum asellorum ruditu refert in fugam conjectos esse Gigantas. Nec minus salutaris alio tempore ejusdem aselli ruditus Vestae apparuit, ut quae eam a Priapi libidine vindicaverit (Ovid. Fast. VI, 319—349.). Sed Priapum inter atque Dodonaeum illum ipsum asellum litem intercessisse idem Hyginus tradit l. l.; nimirum posteaquam *humanâ loquelâ* praedita erat Bacchi beneficio ea bestia. Hoc alterum igitur consideremus paullulum. Nimirum exsistit nobis in hoc religionum antiquarum ambitu *asinus Bacchicus* idemque *side-*

240) Vid. Muncker. et Staver. ad Hygini l. l. p. 474. De Sileni fabulâ ejusque auctoribus sigillatim egi in Studiis II. p. 292 seqq. Ad fabulam sideris *praesepii* et asellorum (φάτνης καὶ ὄνων) adhibe, praeter Schaubachium l. l., Ez. Spanhem. ad Callimach. Dian. vs. 164. Ex eodem Hygini loco alias conjecturas duxit vir ingeniosus *A. Kannius* in libro qui inscribitur: Aelteste Urkunde der Geschichte p. 150 sq. Quas apud ipsum requirant harum rerum studiosi.

reus, idemque humanam vocem edens. Hoc est, exsistit nobis *Astrabacus* sive *Astrobacus.* Nam utrumque nomen eodem redit, hoc solo discrimine, ut prior forma magis aselli admoneat: posterior astrorum. Et nonne *lunaticus* iste Astrabacus *Dianae-Lunae* inventor vel certe sacrificulus: igitur is nonne est reapse *asino vectus agyrta, astrologus ac furibundus vates?* Redige in memoriam consimiles voces compositas, et junge tantummodo τοῖς ἄστροις vocem illam primitivam, unde *Bacchi* nomen manavit, dico: βάκος [241]): habes in Laconico Astrabaco eundem quem Dodonam vectum vidimus asello postmodum sidereo atque humanam loquelam expediente. Quid quaeris? *Utrobique Bacchicae* adeoque *Satyricae praestigiae!* Utrobique *furores veterum vatum sideribus lunaeque* quasi *inhiantium*, indeque auguria capientium! Utrobique sacra barbara rudiaque ac plena artium magicarum! Atque sicuti Lacedaemoniis Alopecus Astrabacusque Dianam illam Tauricam sive Orthiam afferre dicuntur: ita Atheniensibus *Bacchus* Apollinem fertur attulisse; ibique junctae erant arae: *Ἀπόλλωνος Διονυσοδότου καὶ Ἀρτέμιδος Σελασφόρου.* (Pausan. Atticor. cap. 31. p. 77.) Et

241) Etiam *Baoches* Etruscorum vates huc referendus; nec minus *Bacis* (*Βακίς*) Graecorum, cujus oracula exhibet ipse Herodotus VIII, 20. 77. 96. IX, 43. Atque in pluribus Bacidibus antiqui scriptores numerant etiam *Laconicum,* qui ab Apolline missus expiator Lacaenas *mulieres mente captas* persanavit, Theopompo teste, nono Philippicorum apud Suidam I. p. 411. Kuster. et Eudociam p. 92.

vero Silenus genuisse dictus est Apollinem Nomium (Clement. Alex. Protrept. pag. 24. Potter. Porphyr. Vita Pythag. p. 18. Kust. cf. annot. ad Cic. de N. D. III, 23 ed. nostr. p. 616.). Hoc postremum inprimis tenendum. Nam uti dubitari nequit, quin Bacchi in nomine saepius insit significatio vatis furiosi et fatidici: ita *Nomii* Apollinis epitheton *pastoritias* religiones arguit. *Cogitanda enim his in fabulis omnibus sunt sacra pastorum et agrestium hominum.* Ac nemo nescit, quam late pateat asinorum usus in silvestri ac pastoritio vitae genere; quam proni igitur ejusmodi homines esse soleant in eam superstitionem, ut ab eâ bestiâ, tam sibi necessariâ, tantopereque sibi familiari, auguria capiat; nec ipsum opus est multis verbis explicari. Igitur nil mirandum in Dodonaeo saltu, ubi prisci sortilegi vatesque columbas oscinibus aggregaverant stellisque annumeraverant: asinum quoque in ejusdem honoris societatem venisse. Loquitur per medium quoque aevum rusticorum hominum superstitio. Sic, ut hoc utar, in Francicis chronicis agaso a suo asello tempestatis ingruentis auguria captasse dicitur, et ipsi Regi de eventu persuasisse. [242]) Neque tamen hujus rei origines omnes tam angustis limitibus circumscribi volo. Et alibi exposui quemadmodum Sileni, asinarii genii, persona antiquitus ornata fuerit et eruditior reddita, ut primum *sapientis*, rerum omnium primordia finesque mente suâ *tenentis* formam assumserit, et postea ad *philosophi* quo-

---

242) Locum exhibet Baylius in Diction. Vol. III. p. 175. ed. Basil. nimirum in rebus Ludovici XI.

que excellentiam declarandam suffecerit. Neque me fugiunt orientalium hominum sive opiniones sive sententiae, quarum vestigia vel in Cabalistarum libris Sephiroth residua sunt; cum iidem saepintis symbolum ipsum esse velint asellum. Neque tam absurdum hoc, quam primum intuenti videatur: quandoquidem et meditandi laborem spectarunt, quo sapientia paratur, lentamque illam patientiam ac miseriarum tolerantiam.

Revertamur ad Hygini locum laudatum; ubi sub finem Bacchicus asellus ille, praeditus voce humanâ a *Priapo*, quocum de *naturali membro* contenderat, interfectus *inque sideribus adnumeratus* memoratur. — Miram contentionem dicas! — At vero, qui priscarum religionum nihil refugiat, sed omnium vestigia persequatur: is talia quoque mirari desinet: abhorrere non desinet. Ne multa (taedet enim istiusmodi flagitiis immorari): qui sidereis superstitionibus operabantur prisci sacrificuli, bifariam furoris sui argumenta expleverunt. Modo in Venerem proni atque in nequitiae omne genus, insatiabilemque adeo libidinem: modo ea quoque membra exsecuerunt, quorum ope Natura genus humanum perennare voluit. Utrique fatidici ac praesagi. Utrique ab initio *Bacchi* dicti, i. e. fatidici ac vociferatores. Deinde qui remissâ lasciviâ rebus Venereis indulserunt: iis *Bacchorum* nomen tanquam proprium adhaesit: qui furoris contra praemia fecerunt abscissa membra atque necessariam proinde abstinentiam, hi solenni nomine *Gallorum* insigniti sunt. Atque utrique saepiuscule oppositi sibi ac litigiosi. Alter alterum increpat, detestatur, insectatur, et

violentas manus intendit. Inde facinora, caedes; atque haec omnia in honorem Solis, Lunae, sidereorum numinum reliquorum. Inde explicandum Priapi facinus, aselli obitus, atque ejusdem sidereus honor, quae singula fabulis involuta Hyginus habet. Rationes fabularum reddere studuerunt deinceps Grammatici. Hinc illa in Lexico Rhetorico (in Bekkeri Anecdotis Graecis I. pag. 222.) *Βάκηλος· ὁ κατὰ θεοῦ μῆνιν ἀπόκοπος.* Lucem his affert Etymologicum magnum p. 185. Heidelb. p. 167 seq. Lips. Ubi duae explicationes. Altera sic habet: — *μέγας μὲν, ἀνόητος δὲ καὶ γυναικώδης.* Altera ita: *ἀποτετμημένος τὸ αἰδοῖον· οὕτω γὰρ ἐκαλοῦντο οἱ γάλλοι οἱ περὶ τὴν μητέρα τῶν θεῶν ὀργιάζοντες καὶ ἑαυτοὺς ἐκτέμνοντες.*[243]) Jam, si quaeras, ad utrum genus fatidicorum sacrificulorumque referendus sit ipse ille *Astrabacus* heros: dubitationem omnem eximit Herodotus, qui eundem cum muliere Lacaenâ rem habuisse prodit. Docebit item Clemens Alexandrinus, qui eundem heroa *daemonibus* etiam aggregavit. Ita enim hic in Protrept. p. 35. Potter: *Εἶεν δὴ, ἐπειδὴ οὐ θεοὶ, οὓς θρησκεύετε, αὖθις ἐπισκέψασθαί μοι δοκεῖ, εἰ ὄντως*

243) Retulerunt grammatici cum ad *membri naturalis* significationem, tum ad vim ac potestatem *asini*, Etymologus ibidem: *κήλων· τὸ αἰδοῖον· ἔνθεν καὶ κήλων ὄνος ὁ συνουσιαστικός.* — cf. ibidem pag. 183. Ubi Cratini fragmentum servatur: *χαῖρε χρυσόκερω βαβάκτα κήλων Πάν.* Sed, ne vociferandi potestatem ignores, ibidem *βαβάκτης* explicatur: *λάλος, ὀρχηστής, μανιώδης, βακχευτής.* Eustath. ad Odyss. IV, 249. p. 166. Basil. — *ἐκ τοῦ βάζειν· ὅθεν καὶ βάκχος φασὶν ὁ μανιώδης καὶ ἀκρατής.*

εἶεν δαίμονες, δευτέρα ταύτῃ, ὡς ὑμεῖς φατὲ, ἐγκαταλεγόμενοι τάξει. εἰ γὰρ οὖν δαίμονες λίχνοι τε καὶ μιαροὶ, ἔστι μὲν ἐφευρεῖν καὶ ἀναφανδὸν οὕτω κατὰ πόλεις δαίμονας ἐπιχωρίους, τιμὴν ἐπιδρεπομένους· παρὰ Κυθνίοις Μενέδημον· παρὰ Τηνίοις Καλλισταγόραν· παρὰ Δηλίοις Ἄνιον· παρὰ Λάκωσιν Ἀστράβακον. Similiter Graecus interpres Apollonii Rhod. II. vs. 1273. ἐπιχωρίους θεοὺς [244]) agnoscit, quos poëta dixerat ἐνναέτας, eosque copulat ἥρωσι, cum peregrinantes dicit iis sacrificare solitos esse. Atque haec appellatio ἐγχωρίων cum ad eos pertinet, qui apud singulos populos summis honoribus impertiuntur: tum ad eos, qui per urbes oppidaque tantummodo, aut per gentes adeo familiasque coluntur. Ita, ut hoc utar, Astrabaci sacra unius Laconiae finibus circumscripta videntur fuisse: contra Isidis religiones per universam Aegyptum antiquitus pertinebant, ac postea quoque per universum Romani imperii orbem. Nihilo tamen minus postea quoque localis deae sive patriae appellatio eidem mansit. Heliod. Aethiop. I. p. 2. p. 5. Coray: — ἢ τὴν ἐγχώριον Ἶσιν. Jam cum Isis cum Osiride et ipsa nonnunquam δαίμονος nomine veniat: nemo non intelligit inter illos genios atque heroas patrios sive locales plurimum discriminis intercedere, quod probe tenendum sit, ne nobiliora cum obscurioribus confundamus. Ac de geniorum differentiâ docte ita loquitur Porphyrius de Abstinent. II, 37. p. 171. Rhoer: τούτων δὲ (τῶν δαιμόνων) οἱ μὲν κατονομασθέντες ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, παρ' ἑκάστοις

244) Ubi codex Parisinus τοῖς ἐγχωρίοις θεοῖς exhibet.

τυγχάνουσι τιμῶν τ' ἰσοθέων καὶ τῆς ἄλλης θεραπείας, οἱ δὲ ὡς τὸ πολὺ μὲν, οὐ πάνυ τι κατωνομάσθησαν, ὑπ' ἐνίων δὲ κατὰ κώμας ἤ τινας πόλεις ὀνόματός τε καὶ θρησκείας ἀφανῶς τυγχάνουσι· τὸ δὲ ἄλλο πλῆθος, οὕτω μὲν κοινῶς προσαγορεύεται τῷ τῶν δαιμόνων ὀνόματι. Sed tamen quomodo ignobiliores genii localesque atque adeo gentilitii ad nobiliorum majorumque ac communium geniorum exemplum efficti fuerint, cum luculenter doceat Astrabacus, plane ad Sileni illius instar compositus, non est necesse copiosius exponere.

Atque, ut de Clementis loco porro videamus, si Satyrorum Silenorumque indolem cogites, atque etiam veneream Astrabaci heroïs libidinem reputes: pronunties in eam sententiam, ut in Clemente pro *δαίμονες λίχνοι* legendum censeas: *δ. λάγνοι libidinosi* sive *salaces.* Verum tamen cum plures genios populares jungat ibidem Pater ille Alexandrinus, quorum diversa variaque historia est: lectionem sollicitari nolim, rem ipsam memoriâ teneri velim.

Nimirum Sileno asinus etiam adjunctus tanquam bestia salax. Quam ejus animalis indolem cum sacri scriptores tum reliqui veteres memorant (vid. modo Bochart. Hieroz. I. p. 9.) eaque res etiam ad fabulas religionesque antiquas vim habuit. De fabulis proxime vidimus. Hoc loco, ad religiones, unius Plutarchi admonebo. Qui cum Aegyptios asinum exosos refert etiam *διὰ τὴν ὕβριν* (de Isid. pag. 363. pag. 489.) dubitari nequit, quin hanc ipsam bestiae petulantiam respiciat.

Atque ex hac asininâ indole emanarunt quasi peculiares genii cum masculi tum feminei; quorum

cum natales vicissitudinesque *pastoritiam* vitam hominum priscorum *moresque silvestres* rudioresque arguant: age etiam huc paullisper animum advertamus. Etenim ut solitariis sepulchrorum locis inferorumque silentio ac tenebricosis Hecates religionibus copularunt Empusam veterum fabulae, quam asinino pede incedentem fingebant: ita Alexandrini interpretes in Hebraici vatis Esaiae carminibus binis, quibus extremae solitudinis ac vastitatis imago informatur, *ὀνοκενταύρων* *asininorum centaurorum* vocabulum usurparunt. Illius fabulae fundus in Aristophanis Ranis vers. 293, ubi Empusa infertur asinino pede altero informis horribilisque:

— — *Ἔμπουσα τοίνυν γ' ἐστι*
— — *καὶ σκέλος χαλκοῦν*
ἔχει;
— — — *καὶ βολιτίνον* [245]) *θάτερον.*

---

245) Id est *ὄνειον* asininum. Vid. Scholia. Hinc etiam *Ὀνοκώλη* appellata illa Empusa. De quibus vocibus dicendi otium facit vir doctus, qui de earum vi ac scripturâ singula congessit, in Thesaur. Stephan. l. gr. Vol. I. part. 3. pag. 231. nov. ed. Londin. Valpy. Ego Scholion apponam ex parte ineditum. Ita enim graecus interpres Aristidis ad Orat. Panath. pag. 102. Jebb. *οἷον Λαμίας* (cod. Burm. *Λαμίαι*) *λέγει δὲ τὴν Μορμωην* (*Μορμῶ ἣν* idem ibid.) *ἀκούοντα ὀῤῥωδεῖ τὰ παιδία. φασὶ ταύτην γυναῖκα εἶναι Κορινθίαν· ἥτις ἐν ἑσπέρᾳ τὰ παιδία αὑτῆς καταφαγοῦσα ἀνέπτη κατά τινα πρόνοιαν. Καὶ λοιπὸν ὅτε βούλονται φοβῆσαι τὰ παιδία αὐτῶν αἱ γυναῖκες ἐπιβοῶσι· Μορμώ. Καὶ ὁ Πλάτων λέγει τὰ Μορμολύκεια καὶ ὁ Θεόκριτος· Μορμὼ δάκνε με. φασὶ δὲ νῦν τὴν Μορμῶ ὀνοσκελίδα.* Partem harum exhibuit Valckenaer. ad Theocrit. Adoniaz. vers. 40. pag. 347. quem vide. Adde Ruhnken. ad Tim. pag. 161 seq.

Ad hebraïcas fabulas maxime facit locus classicus Theodoreti, qui in commentario ad Esaiae cap. XIII, 21. p. 265 Schulzii in hunc modum loquitur: *Ἀσώματος μὲν οὖν ἡ τῶν δαιμόνων φύσις, ἐξαπατᾷν δὲ τοὺς ἀνθρώπους εἰωθυῖα, ἀλλόκοτά τινα τούτοις ἐπιδεικνύουσι σχήματα. ἀπὸ τοίνυν τῆς κατεχούσης παρὰ τοῖς ἀνθρώποις δόξης τέθεικε τὰ ὀνόματα·* (nimirum Esaias) *καὶ καλεῖ ὀνοκενταύρους μὲν, οὓς οἱ παλαιοὶ μὲν ἐμπούσας, οἱ δὲ νῦν ὀνοσκελίδας προςαγορεύουσι.* Deinde, posteaquem Sirenum et struthiocamelorum mentionem interposuit, haec addit: *καὶ τοῦτο δὲ ζῶον φιλέρημον.* Idem ad Esaiae cap. XXXIV, 13. p. 315 Schulz. ita: *καλεῖ τοίνυν ὀνοκενταύρους τὰς παρά τινων ὀνοσκελίδας καλουμένας* atque proxime pergit: *Διὰ πάντων τῶν εἰρημένων τὴν πολλὴν ἐρημίαν δεδήλωκεν:* „His omnibus *magnam vastitatem* declarat (propheta.)“ Jam de *Onoscelide* sive *Empusâ* locus primarius legitur apud Plutarchum in Parallelis, ubi Aristoteles ejus genii natales aperit, cum ex abjectâ nequitiâ hominis cum asinâ congressi illius daemonis ortum repeti prodit (vid. Plutarch. l. l. cp. 29. p. 312 p. 280 Wyttenb.). Onocentauros autem fabulis eximere conatur et oratorio modo depingit sophista Aelianus in Animalium Historiâ XVII, 9. pag. 537 Schneider. Quâ de re ipse viderit. Nos in iis rebus subsistamus, quae ad caussam nostram faciunt, videlicet ad *illustrandam superstitionem ac nequitiam veterum barbaricarum religionum, pastoritiarum inprimis.* Atque ut *heroum* numero atque adeo *daemonum* haberi vidimus illum Astrabacum, quem proinde ut

Deae sacrificulum a Deâ fortasse etiam ortum suum repetere putarent Lacedaemonii: ita quatuor etiam matres daemonum agnoverunt Judaei; quarum unam dixerunt Lilith לילית eamque, ipsius *Ilithyiae* Dianae modo, nunc salutiferam parturientibus, nunc iisdem nocentem et letiferam. Ex hac autem quatuor matrum familiâ, praeter alios daemones multos, ortum putabant femineum unum *ὀνοσκελίδα*, qui asinino pede commeans mulierculas exagitaret. Psellus de operat. daemon. p. 106: *πῶς τὸ τῇ γυναικὶ παρενοχλῆσαν δαιμόνιον ἑωρᾶτο θῆλυ.* [246]) Idem scriptor alio loco onosceles (*τοὺς ὀνοσκελεῖς*) tanquam masculos genios introducit, oppositos femineis, in quibus Najadas, Nereïdas ac Dryadas numerat (p. 125). Ac *silvestribus* quoque geniis ipsos illos *onocentauros* Hebraici vatis graeci aggregarunt doctique interpretes. Hesychius Tom. II. p. 762. Alberti. *Ὀνοκένταυροι παρὰ Ἀκύλᾳ, τριχίωνες* (*τριχιῶντες* al.), *δαιμόνων τι γένος, κάθυλον καὶ σκοτεινὸν τῇ ἐπιφανείᾳ, ὅπερ Σείην* (leg. *σείειν*) *ὠνόμασαν οἱ τὴν Ἑβραϊκὴν φωνὴν μεταθέντες οἱ λοιποί.* „*Ὀνοκένταυροι*, apud Aquilam *τριχιῶντες* (pilosi) daemonum *genus aliquod sylvestre* et *tenebrosum apparitione*, quod *σείειν* appellarunt reliqui, qui Hebraicam vocem transtulerunt.“ [247])

---

246) Sed integer locus adhibendus, ibique consulendus Gaulminus in annotat. p. 106 seqq. ed. Kilon.

247) Vid. Interprett. ad h. l. et quos laudat Alberti. Adde Bielii Thesaurum V. T. II. p. 431. coll. III. p. 267. Illud *τριχιῶντες* tuetur etiam codex Marcianus Venet. nec minus *σείειν*. Vid. Schowii supplementa ad Hesych. Albertin. edit. p. 584. Quomodo hoc ipsum *σείειν* (*σίειν*)

Jam illud unumquemque advertat ab *Hebraeis* non minus quam a *Graecis* in imagine *asini* et *asinarii genii* haec duo includi: primum *agreste vitae genus solitariumque ac silvestre;* deinde *lasciviam* atque *rerum venerearum cupiditatem.* Quarum rerum nihil abest ab *Astrabaci*, sive heroïs sive genii, fabulâ. Aggregatur a Clemente hic ipse τοῖς μιαροῖς i. e. scelestis ac saevis daemonibus. Et reapse adportat saevas religiones crudeliaque sacra, ducta ab extremis oris, et quae silvestrium hominum ac pastorum sensa ac mores luculenter arguant. Sed etiam hoc altero more asinariam naturam declarat ille Laconum genius, quod venereis rebus indulgere et cum muliere concumbere dicitur.

Haec omnia ubi in unum collegeris, dispicias necesse est *priscarum religionum* indolem, scilicet *earum*, quae, ut fit in pastoritio vitae genere, et *ritibus horrent*, *ac quasi sarmentis silvescunt*, *et vagis sedibus feruntur*, *et promiscuo lateque in vulgus grassante vaticinio conturbantur.* — Quae ipsa observatio expeditum nobis reditum praestat ad *Aegyptiaca sacra.* Verum quoniam *Hebraïcae* mentiones nos proxime adverterunt: age praemittamus nonnulla de Hebraeorum consimilibus rebus.

§. 21.

Aegyptii in Israëlitas malevoli ac maledici. Sacerdotes pastoritias religiones exosi. Typhon et Typhonia.
(Ad Herodot. I, 55. II. 156. III, 5. aliosque locos.)

Ex iis, quae proxime posuimus, quaerat fortasse quispiam firmamentum ei famae, quae Lacones at-

ex Hebraico etymo explicare studeant eruditi, discas ex annotatt. eorundem interprr. ad Hesych. ed. Albert. l. l.

que Israëlitas inter se cognatos facit. Etenim perhibetur Areus sive Arius [248]) Lacedaemoniorum rex in epistolâ, societatis jungendae caussâ ad Opiam summum Judaeorum pontificem scriptâ, ultro esse professus: Lacedaemonios non minus ex Abrahami Patriarchae posteris esse, quam ipsos Israëlitas. [249]) Nimirum qui hoc agat, exornare possit ejusmodi sententiam, ut commonstret nobis: utrumvis populum genios quosdam suos eâdem specie praeditos informasse sibi, et fabulis etiam frequentasse eosdem haud inter se discrepantibus. Verum ego tam lubrico argumento minime insistere velim. Namque istiusmodi tesserae fabulaeque ac superstitiones multorum populorum possunt communes esse, ut quae ex rudioris vitae primordiis ubivis fere obviis pendeant. Neque vero nostrum consilium hoc postulat, ut de illâ cognatione, quae Spartanos Judaeis jungit, amplius quaeramus. Illud faciundum nobis est, ut paullulum videamus de iis, sive commentis sive historiis, *quae asini delicias atque cultum adeo sacrum Judaeis veteribus varie attribuunt.* Insigniora dun-

---

248) Ἀρεύς ap. Plutarchum in Pyrrho cap. 37. p. 35. Ἄρειος apud Josephum locis proxime laudandis.

249) Josephi Antiqq. Jud. XII, 4. 5. p. 407. ed. Colon. coll. XIII, 9. Adhibe Meursium de regno Laced. cp. XIII. p. 64. et in Miscellan. Lacon. I, 7. p. 2312 et, qui plura hanc in rem disputavit, *Morinum* de *cognatione Lacedaemon.* et *Hebraeorum.* — Quam ipsam famam quomodo aliunde, praecipue ex Abrami Hebrive personâ rebusque argumento ducto, probabilem reddere studuerit A. Kannius, apud ipsum legat, qui volet in libr.: Aelteste Urkunde der Geschichte p. 623 seq.

taxat adumbremus: Tacitus Historiar. V, 4. „Moses, quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque caeteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quae apud nos sacra: rursum concessa apud illos, quae nobis incesta. Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere: caeso ariete velut in contumeliam Hammonis.“ 250) Videlicet asinum intelligi vult Tacitus. Nam apud Diodorum in Excerptt. XXXIV. Vol. II. p. 225 Wess. Antiochus Epiphanes dicitur reperisse in penetrali templi Hierosolymis *λίθινον ἄγαλμα ἀνδρὸς βαθυπώγωνος καθήμενον ἐπ' ὄνου, μετὰ χεῖρας ἔχον βιβλίον.* Unde Apion cavillandi materiam converterat in Judaeos. Qui tamen, paullum discrepans, asini caput in templi sacrario prodiderat ab Israëlitis collocatum divinisque honoribus mactatum. Cui Josephus, (contr. Apion. II, 7. p. 1065 Colon.) homo Judaeus Aegyptio homini, Aegyptiorum in colendis bestiis licentiam abunde regerit. Ac nemo nescit haec similiaque convicia deinceps quoque certatim conjecta esse in Judaeos, et per manus quasi studiose tradita ad postremam usque aetatem. Quo etiam referenda gemina fabula est, servata ab Epiphanio ex Evangelio Mariae (Epiph. advers. Haeres. XXVI. Conf. Fabricii cod. Apogryph. N.T. p. 3. ed. alter). Illam autem famam, asinum a Judaeis coli tanquam fontis inventorem in deserto et quasi aquilegem, prodit etiam Plutarchus Sympos. IV, 5. p. 670. p. 740 Wytt. cum de Hebraeis

250) Vid. ibid. J. A. Ernest. annot. p. 481. ed. Oberlin. ibique laudatos, inprimis Bochartum in Hierozoic. I, 2. 18. (p. 222. ed. noviss.)

dicit: *καὶ ἴσως ἔχει λόγον, ὡς τὸν ὄνον δὲ ἀναφήναντα πηγὴν αὐτοῖς ὕδατος τιμῶσιν.* Haec hactenus. Nolo enim plura congerere in re, quae tot aliorum doctorum studiis illustrata est.

Nostrum est quaerere, *quam vim hae fabulae habeant ad priscarum religionum Aegyptiacarum, Judaïcarum Graecarumque indolem cognoscendam aperiendamque.* Jam primum probe distinguenda sunt diversa, quae tamen, ut fit, atrox adversariorum odium junctim et quasi cum pulvisculo in Judaeos conjecit. Nam qui asininum caput, vel asinarium fatidicum in Hierosolymitano templo reconditum, et honori habitum persuaderi sibi patiatur: idem non poterit non istiusmodi quoque commenta amplecti, quale hoc est, cum Aegyptii dicunt, e proelio *Typhonem asino vectum* per septem dies fugisse, elapsumque filios genuisse *Hierosolymum* et *Judaeum*, ut est apud Plutarchum de Isid. et Osirid. p. 363. p. 489. Quae prudentissime idem scriptor pro eo, atque decet, accipit ac censet addens: — *αὐτόθεν εἰσὶ κατάδηλοι τὰ Ἰουδαϊκὰ παρέλκοντες εἰς τὸν μῦθον.* Et vero hoc utique nil aliud est, quam in fabulas detorquere antiquarum laudem urbium gentiumque. Meliora atque veriora Numenius Pythagoreus, et ut quisque ejus simillimus est doctrinâ, prodiderat de iisdem Judaeis, cum eos iis populis aggregasset, qui *incorporeum Deum* agnoverant. Origenes contra Celsum lib. I. pag. 13 ed. Spenc.: — *πόσῳ δὲ βελτίων Κέλσου, καὶ διὰ πολλῶν δείξας εἶναι ἐλλογιμώτατος, καὶ πλείονα βασανίσας δόγματα, καὶ ἀπὸ πλειόνων συναγαγὼν ἃ ἐφαντάσθη εἶναι ἀληθῆ, ὁ Πυθαγόρειος Νουμήνιος, ὅστις*

ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τοῦ ἀγαθοῦ λέγων περὶ τῶν ἐθνῶν, ὅσα περὶ τοῦ Θεοῦ ὡς ἀσωμάτου διειλήφεν, ἐγκατέταξεν αὐτοῖς καὶ Ἰουδαίους. Verum non est necesse haec commenta pluribus verbis convincere post ea, quae multa et ipse Origenes et alii haud pauci cum veteres scriptores tum recentiores in hâc caussâ docte perorarunt. Illud non possum omittere, quod ibidem Origenes in proxime antecedentibus profert in medium: — *ἢ Αἰγύπτιοι ἐν ταῖς ἑαυτῶν ἱστορίαις Ἰουδαίους κακολογοῦντες πιστοί εἰσι περὶ Ἰουδαίων;* videlicet minime. Et qui commenticias illas Hierosolymi et Judaei origines Typhonias, quas modo ex Plutarcho excitavimus, consideret: nonne profiteatur necesse est, *universam illam fabulam asini in templo Hierosolymitano Dei loco habiti non aliunde esse profectam, quam ex his ipsis sacerdotum Aegyptiorum annalibus?* [251])

At vero hi ipsi Aegyptiorum annales altiorem in memoriam priscorum temporum revocant, et nunc in eo est nostra caussa constituta, ut anquiramus: *an Hebraeorum antiquorum et vero etiam Patriarcharum sacra tribulia ac gentilitia aliquas radices seminaque incluserint, unde, grassante livore ac malevolentiâ, tam foedae idololatriae criminationem effingere potuerint adversarii?*

Jam primum, quoniam Aegyptiorum annales memoravimus, revocemus in memoriam *annales*

---

251) Mecum facit Cornel. *Vonk.* in Specim. crit. (append. ad ejusdem Obss. miscell.) p. 56, qui aliis de caussis hanc ipsam suspicionem injecit, neque Origeniani loci immemor.

Judaeorum. Nemo nescit, quantopere hi ipsi asinorum mentionem frequentare soleant. Nam in rebus Patriarcharum saepiuscule obvia asinorum memoria, nonnunquam etiam adjunctâ insigniore significatione, ut v. c. in carmine illo Jacobi Patriarchae (Genes. XLIX.) ubi diverso modo in Issacharis Judaeque sorte praedicendâ asinorum symbolum usurpat moribundus senex. Neque a posteriorum carminibus vatum, Deborae Prophetarumque cantionibus, ejus bestiae nomen abest. Atque decora etiam et miraculosa adjiciuntur aselli memoriae in annalibus Hebraeorum. Nobilitatus vectoribus suis asinus. Nam et Moses ei inequitaverat (Exod. IV, 20.) et Israëlitis reliquis opima spolia vasaque ex Aegypto portaverant aselli [252]). Balaami vatis asinam loquentem (Numer. XXII, 27 seq.) supra memoravimus. Unde *os asinae* a Chaldaeo paraphrasta et Talmudicis annumeratum decem rebus creatis post perfectum reliquum mundum omnem. [253]) Sed ea omit-

252) Utrâque de caussâ divinitus asino constituta praemia memorant Judaeorum doctores. Vid. R. Kimchi ap. Bochart. in Hieroz. II, 16. pag. 207 seq. — De asini apud veteres aliquot populos honestate non repetam, quae alii plurimi disputarunt. Neque vero omittenda est nobis, utpote ab asinarii heroïs (Astrabaci) memoriâ profectis, appellatio gemina Arabici Regis. Etenim Marvano secundo, Ommiadarum e stirpe rege ultimo, inditum nomen: Heman Algezirat *asinus Mesopotamiae*, utpote in qua terrâ bellicosum et ferox illud animal. Praefuerat autem ei provinciae ipse ille Marvan. Vid. Herbelot. Biblioth. Orient. ed. Haganae 1777. Vol. II. p. 570.

253) Etiam *daemones* sunt in his decem rebus absoluto mundo creatis. Vid. locus ap. Bochart. II, 14. p. 193.

tamus, nec magis immoremur iis disputationibus, quarum materiam suppeditavit oraculum illud apud Zachariam prophetam (IX, 9.). Etenim nunc illud unice agimus, ut monstremus res nonnullas in Judaeorum institutis obvias, locosque librorum Hebraïcorum sacrorum, *unde ansam notandorum Judaeorum arripere potuerint Aegyptii.*

Nam, praeter annales Hebraeorum et sacra vaticinia, aliae quoque res inducere poterant Aegyptios, ut asininarum religionum notam Israëlitis inurerent. Confusa esse saepius Palaestinensium Syrorumque instituta moresque cum moribus Israëlitarum ab exteris, nemo quisquam ignorat. Jam in earum orarum idolis memoratur Tharthac, Auanorum Deus, quem asininâ specie fuisse volunt Hebraeorum interpretes.[254]) Porro illud tenendum est, quod commenticius ille inque templo Judaeorum locatus deus apud Diodorum loco supra laudato non solum vectus, sed librum quoque manibus tenens infertur. Hoc Cabbalistarum

---

254) Videlicet ad locum, ubi ejus mentio 2 Regg. XVII, 31. ubi תַּרְתָּק, *Thartac, asininum* deum interpretantur Rabbini. Vid. Buxtorf. Lex. Talmud. p. 2666. Selden. de Diis Syris II, 9. p. 253. Quam explicationem cum in medio positam relinquant Bochart. Hieroz. II, 12. p. 182. et Gesenius in Lex. hebr. Append. I. p. 1320: nec ipse decerno: illud mihi patrocinari videtur ei interpretationi, quod eodem loco memoratur alterum eorundem Auanorum numen Nibchaz (Nifchaz) quod *canis* figurâ exhibitum dicunt Rabbini Kimchi et Jarchi (Selden. l. l. et Append. p. 151. p. 322.) Etenim Graecorum etiam Romanorumque religiones priscas domesticas *asinum et canem* eodem sacello junctos attribuere suis *Laribus Penatibusque* supra docuimus.

similitudinis admonet, qui asinum *sapientis* esse instar volebant (vid. supr.). Utut est: hoc certum, ab antiquo rerum scriptore Theopompo sapientiâ haud vulgari praeditum memorari Silenum, cui asinus in deliciis (ap. Aelian. V. H. III, 18). Proinde qui illam criminationem in Judaeos conjecerunt, ii *Silenum* fatidicum aliquem Hierosolymarum in templo locare voluisse putandi sunt. Ac reapse famam aliquam exstitisse *Judaicorum Silenorum*, dubitare nos non sinit doctissimus scriptor Pausanias, qui Sileni sepulchrum apud Hebraeos diserte agnoscit. [255]) Haec similiaque veterum testimonia magnis viris variarum conjecturarum argumentum suppeditarunt, cum v. c. Bochartus (Can. I, 18.) Silenorum nomen repeteret ex Silone (Genes. XLIX, 10 sq.), Davides autem Michaëlis (interpret. vernac. V. T. Vol. II. p. 142.) illos Theraphim (Θεραφείμ LXX. interprr.) cum Silenis componeret. Alii Theraphimos universe maluerunt accipi pro *Penatibus* antiquissimorum populorum etiam Hebraeorum. [256]) Ego nec *Lares Heroasque* ac *Genios* segregarim ab his Hebraïcarum superstitionum vestigiis.

---

255) Eliac. post. (VI.) cap. 24. p. 515 Kuhn: — *ἐν γὰρ τῇ Ἑβραίων χώρᾳ Σιληνοῦ μνῆμα.* Proxime *τάφων* mentionem fecerat.

256) Hanc rationem sequitur vir doctus in Biblioth. Hagan. histor. philol. Class. I. fascic. 3. p. 421. Quam eandem Gesenio probari video (Lex. Hebr. II. pag. 1227.). Asininum quidpiam, et quod ad Silenorum indolem speciemque quodammodo accedat, infuisse Theraphimis, suspiceris e locis Genes. XXXI, 19. 34. coll. XXX, 1 sqq. ubi Rachel eos Penates sive Lares surripit surreptisque

Et vero dubitari nequit, quin his in rebus omnibus residua sint semina *tribulium* sacrorum ac *gentilitiorum, quae antiquitus apud plerosque populos late patuerunt.* Non dico antiquissimas omnium esse has res. Valde antiquas dixerim. Nimirum posteaquam primigenia illa hominum propago magis deinceps magisque in tribus discessit, et in gentes abiit, locorum quoque intervallo disjuncta invicem et migrationibus variis immutata: fieri non potuit, quin verior et lucidior simpliciorque cultus sacer, paullatim multiplex efficeretur, et sui tandem ipse dissimilis evaderet. Hinc tribulia gentiliciaque numina varia. Hinc mutato coelo soloque mutati in dies magis dii; et quidquid in astris, quidquid in terris aquisque homines adverteret, illud caeco impetu conversum transversumque in peculiaria numina est. Quod in *pastoritiis populis* maximam vim habuit. Ibi tribules sacrificuli exstitere, harioli vatesque. Ibi licentius in dies grassans libido, et serpentia per tribus, gentes, familias vaticinia. Illic omnia furorum genera peragi, et nihil non luxuriari atque silvescere. Atque in ejusmodi moribus vitaeque genere nihil mirum, *bestiarum quoque indolem ac speciem adhibitam esse ad effingendos deos deasque tribules ac gentilicios.* Quae res quo altius

---

insidet, nimirum *sterilis* Jacobi uxor. Quo eodem vitio laborabat Aristo Lacedaemonius, cui heroëm succurrere vidimus ab asino nomen habentem. Et ad Appulejum usque pertinuit haec fama, ut asinos deperirent feminae. Quas sordes apud ipsum quaerat, cui lubeat. Nec juvat altius descendere in hanc partem priscarum religionum vel potius superstitionum.

ingenita erat hominum pastoriciorum animis, quoque verius ipsam rerum naturam referebat, eo magis eadem ac perennius in cultiorum quoque populorum religionibus ac symbolis insedit. Hinc ipsi populi, tribus, gentes animalium figuris ac nominibus exhibiti. Loquuntur vaticinia Jacobi Patriarchae ac prophetarum Judaïcorum. Loquuntur anaglypha Aegyptiorum Persarumque Thebaïca, Persepolitana. Atque hoc tam familiare antiquis scriptoribus fuit, ut ecclesiae quoque Christianae patres ei indulserint, et, ut hoc utar, in Zachariae illo vaticinio (IX, 9.) binos asellos ad Judaeos et peregrinos traherent.[257])

---

257) Locos Hieronymi aliorumque suppeditat Bochartus in Hieroz. II, 17. p. 212 seq. Ego, hâc datâ occasione, *Herodoti* locum I, 55. ubi *Cyrus* Persarum rex *mulus* dicitur, attingam. Est in oraculo, quod ita legitur in ed. Schweigh.:

Ἀλλ' ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς Μήδοισι γένηται,
καὶ τότε, Λυδὲ ποδαβρὲ, πολυψήφιδα παρ' Ἕρμον
φεύγειν, μηδὲ μένειν, μήδ' αἰδεῖσθαι κακὸς εἶναι.

Versu secundo licet Dio Chrysost. Orat. XIII. p. 220 D. vulgatam offerat, nihilominus *Δὴ τότε* legi jubet Porson. in Adversariis p. 311. p. 276 Lips. ex solemni formulâ, cujus ille exempla laudavit. *Καὶ τότε* est in Scholiis Platon. p. 188. Ruhnken. et in Bastii comment. palaeogr. ad calcem Gregor. pag. 826. Idem Scholiasta πολυψηφῖδα (μελαμ-) („igitur μελαμψηφῖδα" Bast.) παρ' Ἕρμον. Etiam Plato de Republ. VIII, 16. p. 566. p. 253 Ast. πολυψηφῖδα. Eustathius: πολυψηφῖδα — ὅρμον. Ejus alter locus ad Odyss. pertinet ad B. 119. p. 84 lin. extrem. ed. Basil. Versiculo tertio codex pervetustus Platonis Paris. in Scholio exhibet μὴ δὲ, non μηδὲ junctim, ut scripsit Ruhnken. Docet hoc Bast. l. l., ad quem etiam Cl. Schaefer. de voce ποδαβρὲ nonnullos veterum locos laudavit. Idem Scholiastes tuetur

Sed illa tribulia sacra gentiliciaque minutatim dissecta ac varias in partes dilabentia, moderante Deo, per sacerdotum, legislatorum regumque instituta rursus coïerunt, et a multiplici atque erratico lapsu in unum congesta redactaque sunt. Nam invalescente agrorum cultu ad certas sedes revocatae sunt tribus vagabundae et stabiliori vitae cultui adsuefactae. Exorta regna, regiae sedes, metropoles et ampliora sacrorum domicilia. Communia variis gentibus templa patefacta, et quidquid singularum gentium ac familiarum esset, illud ad unam sacrorum normam revocatum est, et certis legibus adstrictum. Hoc pacto Abrahamus hujusque posteri, Patriarchae, unius Dei cultum sectantes, compescuerant religiones daemoniacas Penatium, Lariumque, et quidquid earum rerum tributim ostiatimque gliscere coeperat inter suos populares. Quod salubre institutum inchoatum ab ipsis confecit Moyses, et in literis conscriptam unius Dei legem jurare jussit omnes Israëlitas. Contra apud eos populos, qui deorum multi-

---

κακὸς versu ultimo. Alias in hoc oraculo lectionis varietates praestat codex Prisciani; quam nuper admodum exhibuit Frid. *Lindemannus* in epistolâ praemissâ *Prisciani Operibus minorr.* (Leidae 1818.) p. XXI. Deinde in ejus oraculi explicatione lib. I. cap. 91. ἦν γὰρ δὴ ὁ Κῦρος οὗτος ἡμίονος, vir doctus in the classical Journal Vol. II. p. 188 conjicit οὗτος ὁ ἡμίονος, mulus quem oraculum significarat. Atque antea quoque Schaeferus articulum interposuerat, quem veterum librorum auctoritati obtemperans rursus ejecit Schweighaeuserus. Oraculi interpretationem praestat etiam Scholiastes laudatus. In quo nunc immorari non vacat. De συλλαβὼν et συνέλαβε vel συνέβαλε dicemus infra ad Herodoti I. cap. 68.

tudinem publice reservarent, lenius actum cum tribulibus gentiliciisque sacris. Cruor tamen abstersus ab aris, simulacris; flagitia castigata quodammodo. Hinc illud institutum Lycurgi, qui cum Lacedaemonios suos ab homicidiis sacratis abstinere jussisset, Lararia tamen intacta reliquit, et flagellis etiam quodammodo consecravit priscam ac silvestrem saevitiam in Dianae sacris. Sed dicteria tamen in *heroïs* sive *daemonis pastoricii* (Astrabaci) interventum conspersa satis arguunt, Spartanos tunc quidem parum honestam judicasse vagam Venerem prisco cultu antea consecratam. Sed severi his in rebus Lycurgei illi alumni Spartani. In aliis rebus severiores veteres *Aegyptii*. De quibus nunc dicendum est.

Nimirum *sacerdotalis Aegyptiorum disciplinā omnia ad agriculturae beneficium revocabat.* Quâ de re non repetere lubet, quae supra apposuimus eo in loco, ubi de Pastorum incursionibus Aegyptiacis exponebamus. Hîc terrae Aegyptiacae naturam in memoriam revocabo, unde nata quodammodo est haec ad vulgi usum excogitata sacerdotum disciplina, adeoque fabularis historiae universae pars haud exigua. Haec ita docebat, ut, quae loca in finibus Aegypti a salutari rerum naturalium temperamento recederent, ea diris quasi consecraretur, cui malum genium praeesse putarent. *Hinc duplex Typhonis ditio.* Altera *Libyam* versus ac *Palaestinae Syriaeque desertum*, quae nimio aestu urebatur, et horrebat solitudine sabulosâ et vento fervido ac veneno exagitatâ. Altera in extremis *inferioris Aegypti*

ejusque confiniis, ubi loca uliginosa evagatis quiescentibusque Nili aquis stagnabant, praecipue in palustribus oris finitimis adeoque in lacubus ipsis. Unde primigenia potestas ac notio informata Typhonis, ut haberetur vis nocens ac corruptrix earum rerum, quae *Natura* protulit in aëre, terrâ, aquis atque igne. Unde traducta ea res ad ea quoque, quae *vitam humanam* conturbant atque evertunt, quae, quidquid *in hominum indole moribusque* atque *institutis* bonum honestumque ac salubre est, evertunt et exstirpant. Utraque autem mali forma et imago ad *historiam quoque Aegyptiorum* pertinuit. Inde factum est, ut qui *populi in Aegypti finibus incerto domicilio vagarentur*, *et pastorali cultui adhaerescerent*, neque adstringi se paterentur censui classibusque, quas sacerdotes instituerant: igitur eos, ut magnopere despicerent atque suâ civitate arcerent. Hinc flagrantibus odiis quodcumque pravum, perversum, malum, inhonestum esset, illud in sacerdotum relationibus ei generi pastoricio tributum. *Ac vicissim ab eorum populorum moribus vivendique genere haud pauca desumta*, *quibus Aegyptii Mali ipsius* (*Typhonis*) *imaginem describerent et ad vivum colorarent.* Similia evenerunt in aliis populis. Nemo ignorat Iranios atque Turanios pariter inter se oppositos in antiquâ sacrâque historiâ Persarum. Et vicissim ipsi Persarum regi Ocho, cui omnium maxime exosi erant Aegyptii, illud contigit, ut ab iis asinus appellaretur. Narrat Dinon rerum scriptor apud Plutarchum de Isid. 31. p. 363. p. 489. coll. Aelian. H. A. X, 28. Qui locus etiam propterea notabilis, quia Apim bovem sacrum Ochus

mactasse dicitur, his verbis usus: *Hic Asinus vestrum bovem epulabitur.*" Etenim aliunde etiam constat, universe *bovem*, tanquam sacrum animal, oppositum esse in Aegyptiorum tesseris *asino*, utpote malo atque exsecrabili. Neque vero dubitari debet, quin agriculturae studiosi, legibusque agrariis sacris obtemperantes Aegyptii asinum propterea quoque Typhoniam bestiam fecerint, quod eo jumento vectos viderant pastorales homines, ab eoque auguria capere noverant tribules illos vagosque hariolos. Neque absurda eorum sententia est, qui *Moysen* significari arbitrantur, cum Aegyptii (apud Plutarchum) illum Judaei Hierosolymique genitorem asino vectum fugisse ipsorum e finibus dictitant.

His praemissis attingamus binos locos Herodoteos, iisque pauca alia subjiciamus, quae ad Typhonia sacra intelligenda faciunt:

Herodotus lib. II. cap. 156. a mentione oppidi Aegyptiaci Buto (cap. 155.) descendit in memoriam insulae *Chemmis:* „Sita haec est in lacu alto amploque juxta templum, quod in Buto est; dicuntque Aegyptii eam esse natantem. [258]) Et ego quidem eam nec nantem vidi nec motam: sed istud audiens obstupui, insulam ullam vere esse nantem. In hâc vero insulâ est Apollinis templum amplum, in quo

---

258) *Λέγεται δὲ ὑπ' Αἰγυπτίων εἶναι αὕτη ἡ νῆσος πλωτή.* Haec historiae patris verba Poëtae verbis adhibuerunt veteres recentioresque critici; nimirum his Odysseae K. 3. de Aeoli insulâ: *πλωτῇ ἐνὶ νήσῳ.* Vid. Eustath. ad h. l. p. 377 Basil. Alberti ad Hesych. II. pag. 984 et Villoison ad Apollonii Lex. Homer. in vocab. p. 555. ed. Tollii.

tres arae erectae. Nascuntur in eâdem palmae magno numero, aliaeque arbores multae, tam frugiferae quam steriles. Aegyptii autem, nantem esse hanc insulam dicentes, narrationem hanc adjiciunt: Latonam, unam ex octo diis, qui ante reliquos exstitissent, quum urbem Buto habitaret, in qua nunc oraculum illud est, Apollinem ab Iside sibi creditum, in hac insulâ, quae olim non fuisset natans, abscondisse et salvum conservasse, *quum omnia perquirens Typhon venisset*, *invenire cupiens Osiridis filium.*" 259)

Igitur Oro-Apollini non minus infestus Typhon, quam illius patri Osiridi. Harum simultatum etiam alia vestigia exstant, quae Plutarchus sublegit. Atque hic (de Isid. p. 371. p. 521.) prodit Apollinis in urbe ab Aegyptiis quamplurimos crocodilos interfici certo die in Typhonis contumeliam, qui in crocodilum mutatus Oro se fugâ eripuerit. Proinde, qui in alterâ fabulâ tanquam *asinarius* fugax introduci-

---

259) *Χέμμις* vel fortasse *Χέμβις* insula (probe distinguenda ab urbe cognomine Thebaïdis Herodot. II, 91.) obvia etiam in Hecataei periegesi Aegyptiacâ. Locum exhibui in Historicorr. antiqq. Fragg. p. 26 seq.; ubi ex hoc ipso loco patrocinium quaesivi, quo Herodoti fidem, judiciumque Aegyptiorum sacerdotibus non mancipatum vindicarem ac recentiorum aliquot scriptorum obtrectationibus. De hac insulâ vid. Quatremère de Quincy a Schweighaeusero laudatum. Adde Larcherum in tab. geogr. p. 122 et cf. p. 79 ubi D'Anvillium corrigit, qui urbem Buto nimis longo intervallo removerat ab ostio Nili Sebennytico, (de quo vid. Schlichthorstii Geographiam Africae Herodot. p. 38) suffragante Champollione in libro l'Egypte sous les Pharaons II. p. 228.

tur, idem hic in *crocodilum* abit. Neque tamen in Ori-Apollinis mentione Typhonius asellus et ipse desideratur. Nam idem ille scriptor alio loco (ibid. p.363. p.487.) Busiritas ac Lycopolitas narrat omnino usu tubarum abstinere, quod harum sonus rudentis asini voci similis sit. Addit: planeque animal illud non mundum, sed geniis peculiare (*δαιμονικὸν*) putant ob similitudinem, quae ei cum Typhone conveniat. Et, paucis interjectis, a Pythagoreis dicit Typhonem haberi *δαιμονικὴν δύναμιν*. Gemina Aelianus de Animal. Hist. X, 28. pag. 329 Schneid. addens e Pythagoricorum sententiâ: *μόνον τοῦτον τῶν ζώων μὴ γεγονέναι κατὰ ἁρμονίαν, ταύτῃ τοι καὶ πρὸς τὸν ἦχον τὸν τῆς λύρας εἶναι κωφότατον.* Haec admonent *ὀνοσφαγιῶν* in Apollinis honorem ac delicias, factarum apud Hyperboreos.[260] Nam quod animal maxime tenebricosum atque inconcinnum erat, ex veterum populorum sententiâ, illud non nisi confectum ac interfectum placere poterat

260) Pindari Pyth. X, 52 sqq. *Κλειτὰς ὄνων ἑκατόμβας.* In sequentibus *ὕβριν* ad tripudia asinorum referunt Scholiastae in ipsâ caede ab iis edita — *διὰ τὰ σκιρτήματα, ἃ ἐν τῇ σφαγῇ ποιοῦνται οἱ ὄνοι.* Gregorius Corinth. pag. 542 Schaef. *ὑβρίζειν τὸ σκιρτᾷν*, ubi Koënius a Wesselingio profecit ad *Herodoti* IV, 129 verba: *ὑβρίζοντες ὦν οἱ ὄνοι ἐτάρασσον τὴν ἵππον τῶν Σκυθέων.* Utrobique tamen in *lascivientibus* asellis ingratum *clamorem* sive *ruditum* cogitari volunt; (i. e. *βρώμην* sive *βρώμησιν*. Vid. quae dedimus in Meletemm. I. p. 11 seq. et cf. Aeliani locum proxime laudatum: *ὄνῳ βρωμωμένῳ*.) De asinorum illis hecatombis cf. Spanhem. ad Callimach. Apollin. vers. 79. et Callimachi fragmm. Vol. I. nr. 187. 188. p. 511. ibiq. Hemsterhus. et Ernest.

ei deo, qui lucis concinnitatisque et ordinis pater et auctor erat.

Venio ad alterum locum *Herodoti III*, 5. Ubi, postquam scriptor narraverat, Cambysem ope regis Arabum in Aegyptum intrare studuisse, pergit ejus terrae fines ab hac parte describere:

„Patet autem hac unâ viâ ingressus in Aegyptum. Nam a Phoeniciâ usque ad fines *Cadytis* urbis, [261]) Syrorum terra est, qui Palaestini vocantur: a Cadyti (quae est urbs haud multo minor, ut mihi videtur, Sardibus) emporia ad mare sita, usque ad Jenysum oppidum, sunt ditionis Arabici regis: a Jenyso rursus Syrorum ditio pertinet ad Serbonidem usque lacum, juxta quem Casius mons ad mare porrigitur [262]):

261) Hujus urbis mentio obvia etiam libro II. cp. 159. Neque tamen jam ejus situs extra omnem dubitationem positus. Alii ipsa *Hierosolyma* esse volunt; aliis *Gaza* est, aliis *Gath*, ut ne plura memorem. Vid. Wesseling. ad nostrum locum; quem maxime sequitur Larcherus in tabul. Geogr. p. 83 — 85. Tu consule imprimis Valckenaerii opuscull. Tom. I. p. 155 sqq. Eandem rem attigit Heeren. in libr.: Ideen II. pag. 665 ed. tert. Hierosolyma nuncupans eam urbem. Ipse attigi ad Historr. antiqq. Fragg. p. 37 in eâ quaestione, quatenus in Hecataeo Milesio Herodotoque infuisse putanda sit Judaïcarum rerum cognitio.

262) Vides quam accurate Historiae pater Arabiae, Syriaeque fines itemque Aegyptios distinguere calleat. Ac de monte Casio accurate egit Larcherus tabul. geogr. p. 101. nec minus de Jenyso p. 271; ubi Abulfedam in Descript. Aegypti p. 11. aliosque adhibuit, unde probabile redditur *Inissi* etiam antiquitus nomen ei oppido fuisse, hodie autem esse Kan-Jounes. De quo deversorio ejusque nomine accuratissime egit J. W. Hartmannus in libro vernaculo: das Paschalik Aegypten. p. 861 — 863.

a Serbonide lacu, [263]) *in quo occultatum Typhonem ajunt*, ab illo jam Aegyptus est. Jam qui inter Jenysum oppidum et Casium montem Serbonidemque lacum interjectus tractus est, haud ille exiguus, sed

---

867. Caeterum de his Aegypti inferioris limitibus consule Ikenii Dissertat. de finibus terrae promissae. Bremae 1745. et Champollion. l'Egypte s. les Pharaons II. p. 4. p. 27 sqq. Atque quod inprimis ad Herodoti locum facit: fuit antiquitus his in oris *Arabia* quaedam *Aegyptiaca*, quae in codicibus mscrr. Copticis et ipsa hoc nomine venit: *Tiarabia* et *Tarabia*, docente Champoll. l. l.

263) Is lacus Aegyptum inter atque Palaestinam situs, ab Oriente Casii montis, ab occidente prope Rhinocoluarum, (hodieque *El.-Arisch*) ad mare situm oppidum, Larchero describente in tab. geogr. p. 499, in eo oblocutus Plutarcho (in Antonio p. 917. A. cap. 3. p. 55. Coray.), qui exundantes aquas maris Rubri dixerat. At vide tamen Champollion. libr. l. II. pag. 4 et p. 304. Quae reliqua hi geographi congessere, non excerpam: alia nonnulla addam. Atque Scholiastes Apollonii II. vs. 1211 seqq. ad Syriam usque porrigi dicit eum lacum. Verba sic leguntur in cod. Parisino (pag. 212 ed. Schaeferi) *Ἔστι δὲ ἡ Σερβωνὶς λίμνη περὶ τὸ Πηλούσιον τῆς Αἰγύπτου· διήκει δὲ καὶ μέχρι Συρίας*. Hinc factum, ut in sedibus Phoenicum memorandis *Assyriam* quoque paludem dicant. Utrumque enim nomen gentile saepius confusum. Vid. Heynium in Comment. Soc. Scient. Gotting. Noviss. Vol. XVI. p. 138. Hodieque is lacus in maris sinum conversus est, referente Pococke Descr. of. the East. pag. 46. quem Hartmannus laudat libro citato p. 867. Nominis etymon Aegyptiacum agnoscit Jablonski in Vocc. p. 303 ed. Te Water; ubi ita: „Est igitur Serbonis lacus, *qui spargit foetorem*, quemadmodum lacus Asphaltites in Palaestinâ, de quo idem testantur Diodorus Sic. lib. XIX. cap. 98. et plures alii veteres recentiores.“ Neque refragatur ei etymologiae Champollion l. l.

tridui fere itinere in longitudinem patens, is prorsus aquarum est inops.“ [264])

Habes naturalem Typhonis historiam. Attende ad ipsius sedes ac domicilia. Sunt loca deserta, torrentia sole nimio, conturbata arenosis turbinibus, siticulosa, vel uliginosa ac paludibus foeda. *Atque hic ipse intemperatus naturalium rerum excessus in Typhonis daemoniacam speciem quasi coalescit.* Inde Typhon: ardor, foetor, pestis, angor et fatalis obitus.

Quae quidem orientalium hominum sensa, ab initio commota a rebus simplicissimis et ante oculos positis, quomodo deinceps etiam ad alias res conversa fuerint, et *sinistra infaustaque omnia, animique adeo vitia* ac perversitatem universam Typhonis

---

264) Gemina habet Plutarchus in Vitâ Antonii cap. 3. p. 917 A. p. 55. ed. Coray: *Ἐπεὶ δὲ τοῦ πολέμου μᾶλλον ἐφοβοῦντο τὴν ἐπὶ τὸ Πηλούσιον ὁδὸν. ἅτε δὴ διὰ ψάμμου βαθείας καὶ ἀνύδρου παρὰ τὸ Ἔκρηγμα καὶ τὰ τῆς Σερβωνίδος ἕλη γινομένης αὐτοῖς τῆς πορείας, ἃ* (alii ἃς vid. Coray. p. 354. De constructione supra monui, unde hoc posterius reddendum Plutarcho erat.) *Τυφῶνος μὲν ἐκπνοὰς Αἰγύπτιοι καλοῦσι κ. τ. λ.* Ac belligerantibus quam periculosa sint haec deserta, documento est Gallorum exercitus, nuper a Britannorum duce Sidn. Smith. in fugam conjectus. Sed nos mythologumena sectabimur. Typhonis enim natalis haec pars Syriae. Vid. Scholiast. Apollinii l. l., qui Herodori versus eâ de re excitat. Adde Diodor. V, 71. ibiq. Wessel. et Heynii Obss. in Apollodor. I, 6. 3. pag. 33. ed. alter. Hinc e Syriâ in Ciliciam *Typhoëum* suum transtulere Graeci, indeque alii in alias terras. Quâ de re alibi dixi ad Xanthi Fragg. p. 167 et plura congessere Jablonskius in Panth. III, 39 sqq. V, 2. et Moserus ad Nonni Dionys. VIII, 272. p. 181 sqq.

nomine ac tesserâ comprehenderint, loco copioso ac luculento explicat *Plutarchus*, cujus verba brevitatis studio latine tantummodo adscribamus, ita tamen, ut insigniora quaedam graece subjiciamus. Est caput undequinquagesimum integrum et amplius quoque libri de Iside atque Osiride p. 371. p. 519:

„Mixta est enim hujus mundi origo atque compages ex contrariis facultatibus: sed quarum non sint aequales vires: melior enim praevalet quidem, deteriorem autem funditus aboleri nefas est, cum in corpore ea valide inhaereat, et in animâ universi, et meliori semper repugnet. In animâ ergo mens et ratio, *optimorum omnium princeps ac dominus, Osiris est:* (— *ὁ τῶν ἀρίστων πάντων ἡγεμὼν καὶ κύριος Ὄσιρίς ἐστιν·*) in terrâ autem, spiritibus, aquis, coelo et stellis quod ordinatum est, aequabile et sanum, id defluxus et imago Osiridis, tempestatum, temperamentorum, ac conversionum vicibus conspicua. *Typhon autem animae pars rationis vacua est et variis motibus exagitata, tumultuosa et bruta:* (*Τυφὼν δὲ, τῆς ψυχῆς τὸ παθητικὸν καὶ τιτανικὸν καὶ ἄλογον καὶ ἔμπληκτον*) [265]) in corpore facultas morbos et mutationes adsciscens: tum aëris intemperies et inconstantia, solisque et lunae defectus, veluti excursiones sunt Typhonis. Et *ipsum nomen Typhonis, quod eum Seth appellant, arguit;* notat enim id quod *vi obtinet, ac multas conversiones admittit, saepe transilit.* [266]) Quidam

---

265) *ἐπίκηρον* vel *ἐπιληπτικὸν* legi vult Wyttenbach.

266) *Καὶ τοὔνομα κατηγορεῖ τὸ ΣΗΘ αὖ* (leg. *ᾧ* cum Wyttenb.), *τὸν Τυφῶνα καλοῦσι. φράζει μὲν τὸ καταδυνα-*

dicunt Bebaeonem (Bebonem vid. Wytt.) unum de sociis Typhonis fuisse; Manethos Typhoni etiam Bebonis nomen factum: voce obstaculum seu impedimentum significante; quod rebus rectâ incedentibus et ad suum finem tendentibus vis Typhonis obsistat.“

Cap. 50. „Itaque de cicuribus animalibus *inertissimum ei tribuunt asinum*; de feris saevissima *crocodilum* et *equum fluvialem* etc.“ Junge alterum locum ejusdem scriptoris eodem libro, cp. 62. (p. 376. p. 539.): *ὁ δὲ Τυφὼν, ὥςπερ εἴρηται, ΣΗΘ, καὶ ΒΕΒΩΝ, καὶ ΣΜΥ ὀνομάζεται, βίαιόν τινα καὶ κωλυτικὴν ἐπίσχεσιν, ὑπεναντίωσιν, ἢ ἀναστροφὴν ἐμφαίνειν βουλομένων τῶν ὀνομάτων.* „Typhon autem, sicut monstratum fuit, *Seth*, *Bebon et Smy* appellatur: quibus verbis indicatur violenta quaedam inhibitio, contrarietas aut inversio.“

Jam haec singula nomina ad Aegyptias origines, linguae Copticae ope, revocare studuerunt eruditi. Quem conatum paucis verbis indicabimus. Ac primum ipsum nomen *Typhonis* antiquitus *Teu-phon*

στεῦον καταβιαζόμενον, φράζει δὲ τὸ πολλάκις ἀναστροφὴν καὶ πάλιν ὑπερπήδησιν. Βεβῶνα δέ τινες κ. τ. λ. Locus corruptus. Marklandus conjiciebat *φράζει μὲν γὰρ* — *φράζει δὲ τὴν.* Squirius *καὶ* vel *τὴν* potius substituebat articulo *τό.* Wyttenbachius ita: „Corrigendum: *ὃ φράζει* — *τὴν πολλάκις.* Ego, si post eos viros judicare liceat, lacunosum locum dixerim atque sic integrandum: — *φράζει δὲ τὸ πολλάκις ἀναστροφὴν καὶ πάλιν ὑπερπήδησιν πεπονθός. Βεβῶνα κ. τ. λ.* Voculam prioris membri ultimam absumsit sonus similis vocis: *Βεβῶνα.* Bina autem in Typhone distinguit Plutarchus: primum *vim* sive *violentiam*, deinde *excessum* atque *inconstantiam*.

scriptum conjicit Jablonski (Panth. Aegypt. III. p. 97. Vocc. p. 354.), quod nil aliud declaret, quam ipsum *ventum malignum* ac *nocivum*. *Bebon* (*Βέβων*, vel *Βάβυς*, Hellanicus ap. Plutarch. de Isid. et Osirid. p. 371. p. 520.) eidem Jablonskio est ventus *subterraneus* [267]) inque cavernis latens (Panth. III. p. 103. Vocc. p. 51. ibiq. Te Water.). Idem vocem *Ṡmy* (*Σμύ*) in eam partem accipit, ut sit *tenue*, *subtile*, *minutum* (Panth. V, 11. 25. Vocc. p. 319.)

Tertium Typhonis epitheton *Seth* quod attinet, tertio loco [268]) ejusdem explicationis partem repetit Plutarchus. Cujus nominis ex Aegyptiaco sermone repetendi periculum parum successit Jablonskio, ut ipse ingenue profitetur: hoc melius successit Lacrozio. Qui quidem suspicatur nihil aliud esse Seth, quam Copticam vocem *Sedj*. Extremam enim literam a Graecis non commode exprimi posse nisi literâ *ϑ*. [269]) *Sedj* autem esse *pullum asinae*. Quam interpretationem veri dicit simillimam linguarum orientalium egregie gnarus Sacyus. Quod idem tamen vir doctus Plutarchi explicationem admodum differre arbitratur a Lacrozianâ [270]): ego in alia

267) Improbatur haec etymologia Sacyo. Vid. Saintecroix Recherch. sur l. Relig. sacr. du Pagan. annot. Silvestr. de Sacy Vol. I. p. 171 seq.

268) De Iside et Osiride p. 367 D. p. 505 Wyttenb. Gemina leguntur apud Epiphanium advers. Haeres. Vol. II. p. 1095 ed. Patav: ὡς πῇ μὲν τῷ ὄνῳ εἰς ὄνομα τοῦ Σῆϑ, δῆϑεν τοῦ Τυφῶνος τελετὰς ἐργάζονται.

269) Jablonskii Panth. III. p. 109 et Ejusdem Vocc. Aegyptt. p. 289 seq.; ubi etiam Lacroziana explicatio in medium proponitur.

270) Sylvestre de Sacy annot. ad Saintecroix Re-

omnia abeo. Nimirum tenendum mihi videtur inprimis illud, *quod, quae Graeci pluribus verbis efferebant, Aegyptii unius tesserae, s. symboli imagine conscribebant.* Videndum igitur, an illà Plutarchea: *τὸ καταδυναστεῦον καὶ καταβιαζόμενον* et *ἡ πολλάκις ἀναστροφὴ καὶ πάλιν ὑπερπήδησις:* ea igitur an ad *asini* naturam moresque pertineant, ut una cum asini et imagine et appellatione cogitari possint. Jam primo loco Plutarcho *Sethi* nominis mentio subjicitur universae essentiae Typhoniae (ut hoc utar) explicationi. Ea vis ac potestas (essentia) Typhonis continetur *animae* parte brutâ ac tumultuosâ, *corporis* perturbationibus *aëris* intemperie, *solis lunaeque* defectu. Altero loco Plutarchus *soli* adjungit Typhonem, et solem hoc sortitum esse ait, ut *intemperato igni* calefaciat exsiccetque natas et florentes stirpes; et *suo ardore magnam partem fecisse habitationibus ineptam* ac saepe etiam *lunam* ab eo superari. *Itaque Aegyptii Typhonem Seth nominant: id significante vocabulo, quod vi praevalet.* Atque ut Osiridi Typhon opponitur tamquam auctor *δυςκρασιῶν* (Plutarch. de Isid. pag. 520. Wyttenb.) auctori *εὐκρασιῶν:* ita *Horus* Typhoni opponitur, tanquam effector *εὐκαιρίας.* [271])

cherches s. l. mystères Tom. I. p. 285. „Cette conjecture est très-vraisemblable. Plutarque cependant interprète ce nom d'une manière très-differente."

271) Plutarch. de Isid. p. 367. p. 504. Wytt. *Ὁ δὲ Ὧρος χρόνῳ τοῦ Τυφῶνος ἐπεκράτησε· τοῦτ' ἔστιν, εὐκαιρίας ὀμβρίων γενομένης, ὁ Νεῖλος ἐξεώσας τὴν θάλασσαν, ἀνέφηνε τὸ πεδίον καὶ ἀνεπλήρωσε ταῖς προσχώσεσιν.* Nam Typhon Aegyptiis et *mare* (ibid. p. 362. p. 489 seq.) est, in quo

ἀκαιρίας auctori. Ille igitur *tempestiva*; hic *intempestiva* efficit et procreat.

Jam etsi satis multa e fabulis in medium protulimus, quae *asini et impetum et lentitudinem*, *patientiam sedatosque mores*, et rursus ejusdem *lasciviam*, *immodestiam*, atque, ut uno verbo complectar, summam omnibus in rebus *inconcinnitatem* frequentatam fuisse antiquorum hominum dicteriis adagiisque luculenter arguant: tamen hoc loco nonnulla addere volo, quae ad Plutarcheam interpretationem pertinere videntur.

Ac primum *Typhonem-Seth* aestuosum siccumque agnoscat necesse est, qui haec de *asininis geniis* reputet, quae Psellus (περὶ ἐνεργ. δαιμ. p. 125. Kilon.) exhibet: *ὅσοι δὲ τόποις ἐνδιατρίβουσιν αὐχμηροῖς, ὑπόξηρά τε τὰ σώματα ἔχουσιν, οἵους τοὺς ὀνοσκελεῖς φασὶν εἶναι κ. τ. λ.* „Quotquot autem in locis *aridis* versantur, et quibus *sicciora* corpora sunt, cujusmodi Onosceles (*asininis cruribus* praeditos daemones) esse dicunt.“ Et tamen asinus in Aegyptiorum fabulis *fontes* rimatur ac commonstrat; et tamen idem *lacubus* immergitur ac delitescit (vid. supra). Porro *frigidum* animal asinus, ac propterea boreales terras refugiens (Herodot. IV, 129.) et tamen *calidum* ad res Venereas, atque insigniter *salax*. [272])

Nilus perit, et vis *ardoris* ac *siccitatis* (p. 366. p. 501.). Quae quomodo sacerdotes magis universe interpretati sint, idem docet p. 364. p. 491 seq.

272) Ignat. Rossi in Etymolog. Aegypt. p. 196. ex Copticis mscr. in loco Exod. IV, 4. itemque Apoc. IX, 10. et XVI, 4. affert Coptorum *Set*, *Sat*, ubi in graecis est *κέρκος*, *οὐρά*, admonens alterius vocis graecae *σάθη*;

Neque tamen propterea *ferax*. Aelianus H. A. lib. X. cap. 28. p. 329: *Λέγουσι δὲ καὶ ἐκείνους αἰτίαν τῷ ὄνῳ προςάπτειν· παρὰ τοῖς προειρημένοις πᾶν τὸ εὖ γενόμενον τετίμηται,* (Leg. cum Gronovio et Schneidero: *ὅτι μὲν παρὰ τοῖς — τὸ εὔγονον τετιμ.*) *ἐναντίως δὲ ἄρα πρὸς ταῦτα πέφυκε τὸ ζῶον τοῦτο· δίδυμα γοῦν ὄνον τεκοῦσαν, οὐ ῥᾴδιον μέμνηταί τις λόγος.* Igitur etiam haec caussa exstitit Aegyptiis odii, quo asinum habuere, quoniam minime foecundam hanc bestiam cognoverant. — Insuper asinus ad lyrae sonum torpet, surdus ad harmoniam et numerum, atque idem ruditum edit tubae clangori similem (ibid.), ac tripudiis inficetis risum excitat spectantibus (supra). Nolo plura congerere. [273]) Nam haec ex asse congruunt Plutarcheae explicationi vocis *Seth*. Est enim hoc asininum ingenium reapse

---

quam ex illâ ductam arbitratur. Atque etiam Aegyptiaco vocabulo inesse vult significatum *veretri*. Haec si admittas, intelligas, cur tam salaci bestiae *Sethi* nomen imposuerint Aegyptii. *Σήθ* (Seth) etiam *canicula stella* vocata ab Aegyptiis, teste Vettio Valente in Mscr. apud Salmasium de annis climact. p. 615. Quam vocem *Σωθὶ* scribit Plutarchus de Isid. p. 375 seq. p. 538. Wyttenb. et *κύησιν* explicat i. e. *graviditatem* sive *foeturam*. Qua de re disputat Jablonski in Vocc. pag. 336. Ego de his etymologiis non decerno: omittere eas nolo, utpote ad nostram caussam pertinentes.

273) Nam quae *asinina solemnia* celebrantur in medii aevi scriptoribus per Europam etiam, nemini ignota. In ipsâ autem Aegypto, ad medii aevi exitum, asinum ab histrionibus ac praestigiatoribus non modo ad scenicam quandam saltationem, verum etiam ad venerea quasi praesagia adhibitum esse refert *Leo Africanus* in Descriptione Africae p. 690 seq. p. 522 seq. ed. Lorsbach.

violentum sive *vi praevalens* (*καταδυναστεῦον καὶ καταβιαζόμενον*); est reapse nunc *remissum nimis*, nunc rursum *fines transiliens ac modum excedens* (sive quod vernacule efferas: *Das Ungemäsigte*, *Uebertriebene*, *Widersprechende und Bizarre.*)

Quae cum ita sint, hoc nobis videmur pronuntiare posse: *Plutarchum*, *cum illis verbis vocabuli Seth* (*Σήθ*) *rationem redderet*, *hoc ipso asini naturam indolemque quodammodo descripsisse.*

Quod vero Epiphanius l. l. conqueritur, *Typhoni tanquam asino* mysteria quaedam peracta esse: hoc ipsum testatur Plutarchus de Isid. p. 362. p. 486, cum dicit: *τὴν δὲ Τυφῶνος ἠμαυρωμένην καὶ συντετριμμένην δύναμιν, ἔτι δὲ καὶ ψυχοῤῥαγοῦσαν καὶ σφαδάζουσαν, ἔστιν αἷς παρηγοροῦσι θυσίαις καὶ πραΰνουσιν, ἔστι δ᾽ ὅτε πάλιν ἐκταπεινοῦσι καὶ καθυβρίζουσιν ἔν τισιν ἑορταῖς.* „*Typhonis autem obscuratam*, atque *contritam potentiam et instante interitu trementem*, cum sacrificiis quibusdam demulcent, atque leniunt, tum contra in aliis festivitatibus deprimunt contumeliisque afficiunt.“ Igitur qui genius vel deus *contrarietatis* atque *inconstantiae* auctor est, ei etiam contraria inter se atque opposita offeruntur: nunc honores, preces, libamina: nunc dirae, contumeliae, verbera, caedes.

Hinc illa *Typhonia*, sive fana sacellaque Typhoni consecrata, per universam Thebaïdem Aegypti obvia. Atque unâ in urbe, Tentyrae, plura commemorat Strabo; cum, posteaquam Veneris templi atque deinde Isidis mentionem fecerat, ita pergit (XVII. p. 815. p. 594. Tzsch.): *εἶτα Τυφώ-*

νεια καλούμενα. De Philensi Typhonio supra me exponere memini, laudatis Francogallorum relationibus in magno opere Aegyptiacarum antiquitatum pleno [274]). — Atque ipsis quoque Thebis Aegyptiacis Typhoniae imagines frequentantur in anaglyphis templorum et hypogaeorum tabulis pictis. Sic, ut hoc utar, in fano minore prope Karnak Typhon comparet capite composito ex *hominis, canis leonisque capitibus.* [275]) In cryptis autem Thebarum Typhoni jungitur Nephthys, uterque diductis ac pendentibus uberibus suillis, humanis bracchiis, leoninis pedibus, capitibus hippopotami. [276]) Eadem capita iisdem daemonibus juncta visuntur in Typhonio, quod est in oppido Edfou. Atque ibidem in anaglypho picto ita exhibetur Typhon, ut insuavi diductoque ore cachinnum edere videatur. [277]) Et saepius utrumque conspicias insidiantem et tela intendentem in bonos deos, Isidem praecipue. Quod Osiridis autem cadaver compositum crocodilus ad mare vehere [278]) fingitur: hoc nec minus ad Typhonem maris genium refertur, qui Nilum excipit, exceptumque absumit.

Haec ego etiam propterea congessi, ut ad examen revocarem sententiam Jablonskii. Nimirum is

---

274) Lancret. in Descript. de l'Egypte Vol. I. Antiqq. p. 47. Jomard. ibid. cap. VIII. p. 4.

275) Ibid. Vol. II. tab. 63. cf. p. 273. 277.

276) Ibid. Vol. II. p. 356. cf. etiam Zoëga de Obeliscis p. 445. 591.

277) Ibid. Vol. I. cap. 5. §. 7. p. 33 seq.

278) Ibid. Lancret. Vol. I. pag. 44. de anaglypho Philensi.

in Pantheo lib. V. cap. 2. p. 44 seq. negatum ivit, Typhonem in Aegyptiis fabulis aliis hominibus dissimilem proditum esse. Quam in rem Herodoteos locos adhibuit. (Tu vid. lib. II. cap. 144. 156. et III. 5.) nec minus Plutarchum (de Iside et Osiride p. 359. p. 474 Wytt.). Ego paucis defungar. Nam post ea, quae supra disputavi, non est multis verbis opus: videlicet ut non nego, nonnunquam et ipsum Typhonem humanâ quoque specie exhiberi potuisse, utpote deum, qui etiam humanis quasi rebus interponeretur, ut in convivio illo, ubi Osiridem, et ipsum merâ hominis figurâ saepius effictum, [279]) in arcam includit: ita extra omnem dubitationem positum nunc quidem arbitror: bestiarum immundarum ac foedarum et maxime ferarum, quas diximus, figurâ ac specie informatum Typhonem esse, idque in germanis antiquisque Aegyptiorum fabulis. — Et, ut universe dicam, quod sentio: ab eâ parte laborat Jablonskii opus, quod ad artium monumenta non ita animum advertit auctor, prouti decebat veterum religionum interpretem. Quanquam ab hac parte multa defuerunt ei aetati, quae in nos uberiora luculentioraque redundant.

---

279) Osiridem constat humanâ figurâ saepiuscule repraesentari in anaglyphis Aegyptiorum pervetustis. — Inde probabile est idem in Typhone factum. Caeterum hac datâ occasione hoc teneri velim, quam graphice composita illa figura Typhonis referat ejus indolem: *sus foetorem, hippopotamus saevitiam marinam, crocodilus,* amphibium animal, *sedis naturaeque inconstantiam.* Atque ex quo Typhon accesserat insulam Chemmis, *natabat ea et titubabat.* Agnoscis *trepidantem et malum genium.*

§. 23.

Lacedaemoniorum salus publica suspensa ex recuperando Orestis cadavere.

(Ad Herodot. I. cap. 67. et 68.)

Quando supra *Orestis* mentionem fecimus, eumque in religionum peregrinarum primordiis adjunctum vidimus *Astrobaco:* age jam in medium proferamus Herodoteam narrationem, quae ad *jura manium et heroum* cultum sacrum inprimis facit. Atque sicut in *aulâ* sacellum offendimus heroïs Astrabaci: ita in eâdem aedium parte reperimus Orestae sepulchrum. Qua in re paucis defungemur, neque magis hoc loco repetemus a superioribus interpretibus collecta explicataque, quam hoc alibi fecimus in his Commentationibus Herodoteis.

I. 67. „Ita quidem priore bello infeliciter semper pugnaverant cum Tegeatis: sed Croesi aetate, regnum Lacedaemone tenentibus Anaxandridâ et Aristone,[280]) superiores jam bello fuerant Spartani, idque tali ratione erant consecuti. Quum in bello nunquam non superarentur a Tegeatis, missis Delphos consultoribus sciscitati sunt oraculum, *quemnam deorum placarent, ut bello superiores Tegeatis essent futuri.*[281]) His Pythia respondit, *tum*

---

280) De his regibus supra dixi ad VI. cap. 65 seqq.

281) — *ἐπειρώτεον, τίνα ἂν θεῶν ἱλασάμενοι, καθύπερθε τῷ πολέμῳ Τεγεητέων γενοίατο.* Werferus in Actt. philoll. Monacc. I, 2. pag. 255. volebat scribi *γενοίατ᾽ ἄν* comparans II, 16. 22. et de *ἄν* finali laudans Gronovium ad Herodotum II, 862. 92. 23. Itemque V, 92. 6. *ἐπυνθάνετο ὅντινα ἂν τρόπον ἀσφαλέστατον καταστησάμενος τῶν πρηγμάτων, κάλλιστα τὴν πόλιν ἐπιτροπεύοι,* post *κάλλιστα*

futuros, quum ossa Orestis, filii Agamemnonis, Spartam attulissent. At loculum Orestis postquam reperire nullo modo potuerant, rursus ad Deum mittunt sciscitaturos, *quonam loco situs esset?* Id interrogantibus haec respondit Pythia:

Est quaedam Arcadiae Tegea in regione patenti;
Hic duo flant venti, vi pervehemente citati;
Forma hostis formae et noxae superindita noxa.
Hic Agamemnonides terra omni parente tenetur,
Quo tu sublato, Tegeae sperabere victor. 282)

---

repeti jubebat ἂν, recte obloquente Schweighaeusero. Caeterum de repetito ἂν, ne plura, consule Platon. conviv. 4. p. 10. Ast. et Gregor. Corinth. p. 18. p. 42. Schaeferi. — Ad argumentum hujus narrationis adhibe quae collegit Meursius in Miscellan. Lacon. I, 5. (Gronov. Thesaur. Antiqq. Graecc. Vol. V. p. 2231. 2249.) idemque de Archontibus Athen. (Ibid. Vol. IV. p. 1176.) et Nic. Cragius de Republ. Lacedaem. (Ibid. Vol. VI. p. 2672.)

282) Ἔστι τις Ἀρκαδίης Τεγέη λευρῷ ἐνὶ χώρῳ,
ἔνθ' ἄνεμοι πνείουσι δύο κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης,
καὶ τύπος ἀντίτυπος, καὶ πῆμ' ἐπὶ πήματι κεῖται.
ἔνθ' Ἀγαμεμνονίδην κατέχει φυσίζοος αἶα.
τὸν σὺ κομισσάμενος, Τεγέης ἐπιτάῤῥοθος ἔσσῃ.

Ad versum primum Wesselingius adhibuit Homeri locum geminum Odyss. VII, 123. ubi codex noster Palatinus supra lineam habet ὁμαλῷ ἢ πλᾶτος (Leg. πλατεῖ ex Apollonii Lex. Hom. p. 437. Toll. ubi idem interpretamentum.) Vers. 3. ἀντίτυπος Nonno perquam familiare vocabulum, ut sexcenties ex Dionysiacis excitare possem, si hoc attineret. De hujus vocis significationibus variis praeter Ruhnken. ad Tim. p. 157. consule Casauboniana p. 109. ibiq. J. Chr. Wolf. p. 306. et Irmisch. ad Herodian. VI, 7. p. 471. — Versu extremo de ἐπιτάῤῥοθος Wesselingianis et Schweighaeus. adde Apollonii Lex. Hom. p. 292. Toll. ibiq. Villoison.

Ubi haec quoque audierunt Lacedaemonii, nihilo magis reperire potuerunt, omnia licet disquirentes: donec tandem Lichas, unus ex iis Spartanis qui bene meriti [283]) vocantur, invenit.

Cap. 68. „Ex horum igitur hominum numero Lichas id quod quaerebatur invenit Tegeae, quum fortunâ usus, tum solertiâ. Nam cum eo tempore jus commercii esset Lacedaemoniis cum Tegeatis, intrans ille Tegeae in ferrariam officinam, spectabatque ibi procudendi ferri rationem, mirabaturque id quod fieri videbat. Cujus admirationem animadvertens faber, cessans ab opere ait: *Profecto magis quodammodo, hospes Lacon, miratus fuisses, si id, quod ego vidi, tu vidisses, qui nunc fabricationem ferri ita admiraris. Hac ipsâ enim in aulâ puteum quum facere voluissem, fodiendo incidi in loculum septem cubitorum.* [284]) *Ego vero,*

---

283) Sequitur locus de ἀγαθοεργοῖς. Quo glossa pertinet Platonicis interposita in Tim. Lex. Platon. p. 4. ubi docte illustravit Ruhnkenius. Locum e Lexico rhetorico excitatum nunc plenum legas in Bekkeri Anecdott. graecc. Vol. I. p. 209.

284) Ferreum hunc loculum dicit Larcherus in copiosâ annotatione ad Nostri I, 25. pag. 219. ubi de ferro apud veteres populos, Graecos inprimis, docte egit. In illâ opinione ratio eum fefellit. Erroris fons in ferri mentione, quae hoc eodem loco injicitur. Commonstraverat jam ante hos triginta amplius annos censor Larcherianae interpretationis ed. prior. in Heerenii et Tychsenii Biblioth. d. Alten Lit. u. K. I, 4. pag. 84. Quare mirari subit, ex alterâ non sublatum esse hunc naevum. Caeterum ad utriusque loci Herodotei argumentum adhibe *Ramshornii*, viri doctissimi, Commentat. de statuarum multitu-

quum persuadere omnino mihi non potuissem, fuisse unquam majores quam nunc sunt homines, aperui loculum, et vidi cadaver eâdem cum loculo longitudine [285]: *cujus postquam mensuram cepi, rursus terrâ loculum obrui.* Haec illo quae viderat referente Lichas narrata animo volvens conjectabat esse hunc Orestem, quem oraculum dixisset. Conjectabat autem hac ratione. „Duos videns fabri ferrarii folles, hos esse ventos illos reperiebat: incudem vero et malleum, formam (*sive* ictum) et formae (*sive* ictus) repercussionem: procusum vero ferrum, noxam superinditam noxae; quod quidem ex eâ conjiciebat ratione, quod in noxam hominis inven-

---

dine et de basi Glauci Chii ferruminatâ Altenburg. 1814. p. 19 seqq. et inprimis *Hausmanni* Comment. de arte ferri conficiendi veterum (in Commentatt. Scientt. Societ. Gotting. Class. phys. ann. 1815.)

285) De formulâ *μὴ μὲν* Schweighaeuserianis adjice Koënium ad Gregor. p. 222 seq. p. 471 seq. ed. Schaefer. Geminus nostri est locus Philostrateus in Heroicis p. 668 sq. p. 28 Boiss. *Καὶ μὴν εἰ μυθολογικὸς ἦν, τόν τε τοῦ Ὀρέστου νεκρὸν διῄειν ἂν, ὃν ἑπτάπηχυν ἐν Νεμέᾳ Λακεδαιμόνιοι εὗρον.* Hanc enim lectionem reduxit eum in locum Boissonadius. Olearius invitis libris dederat *ἐν Τεγέᾳ* ex Herodoto. Ab eodem Sophistâ Ajacis cadaveri undecim etiam cubita tribuuntur. Confer ad eum Viscontium et Boisson. p. 350 seqq. Arnobium advers. gent. II, 75. p. 105. ed. Orell. Nonne literas auditis commemorantes vestras, *fuisse homines olim Semideos, Heroas cum immanibus corporibus atque vastis.* Ubi vid. quem in annott. laudavit editor, Vol. II. p. 113. Adde viri docti disputatt. in the classical Journal Vol. VII. p. 204 seq. Nolo plura apponere post ea, quae Salmasius ad Solinum I. cp. 7. p. 31. et Larcherus ad nostrum locum congesserunt.

tum esset ferrum. [286]) Quae cum ita ille conjectasset, [287]) Spartam abiit, totamque rem Lacedaemoniis

286) Ab his non abludunt ea quae in Meletemm. I. p. 37. ex veteribus Grammaticis dedimus, qui *Ἄρη* et *σίδηρον* et *φόνον* atque *θάνατον* explicant. Proxima Herodoti: *τὸν δὲ ἄκμονα καὶ τὴν σφύραν, τόν τε τύπον καὶ τὸν ἀντίτυπον*· tentavit *Frid. Henr. Bothe* in opuscull. critt. et poëtt. p. 11. 12. expungens conjunctiones, quod adjectivum nomen sit *ἀντίτυπον* ut supra in oraculo. Cf. Schweigh. Append. Anott. ad Herodot. Tom. VI. p. 359. Deinde verba *τὸν δὲ ἐξελαυνόμενον σίδηρον* admonent loci I, 50. ubi *ἐξήλαυνε* de auro usurpatur, et, quod *σφύραν* proxime posuit Noster, cf. ejusdem VII, 69. *εἰκὼ χρυσέην σφυρήλατον ἐποιήσατο.* Et de ferro *ἐλάσματα σιδήρου* apud Pausaniam X; 16. cf. Diodor. V, 33. Homer. Odyss. VII, 86. *χάλκεοι μὲν γὰρ τοῖχοι ἐρηρέδατ' ἔνθα καὶ ἔνθα.* Ubi in cod. nostr. Palat. nro. 45. omissum *μὲν* et deinde *ἐληλέατ'*, supra lineam *ἐλαμένοι, παρατεταμένοι*, et in margine ab aliâ manu: *πεπηγμένοι.* Eadem fere in cod. Harlejano, nisi quod: *ἐληλέδατ'* et rursus in margine *ἐληλέδατο*; ubi vid. Porsonum. — Apion in gloss. Homerr. *ἤλασε, τὸ σύνηθες· καὶ ἀπήλασε ἔπληξεν· ἐχάλκευσε· ὤρυξε.* (Extremum interpretamentum spectat Iliad. M. 6. cf. Apollonii Lex. Homer. p. 529. Toll.) Est autem solemne de cudendis et *malleo tundendis, exigendisque metallis ἐλᾶν, ἐλαύνειν, ἐξελαύνειν.* Vid. Pausan. III, 17. 6. IV, 26. 6. Athen. VII. p. 230. Hinc *χαλκήλατοι κώδωνες* Aeschyli Septem adv. Theb. 388. *ἀργυρήλατος φίαλα* Eurip. Jon. 1181. Quam in rem plura congessit *Voelkel.* V. C. in comment. Societ. Antiquitt. Cassellan. Cf. etiam Graevii Lectt. Herodott. p. 601. Loesn. et quae de hoc artificii genere subtiliter disputavit nuper admodum *Quatremère de Quincy* in libro, qui inscribitur le Jupiter Olympien p. 153 seqq.

287) *Συμβαλλεόμενος δὲ ταῦτα* et in proxime antecedentibus *συνεβάλλετο* et *τῇδε συμβαλλεόμενος.*

exposuit. Tum illi ex composito fictum crimen homini inferentes, exilio eundem mulctant. Qui

---

De hac participii formâ vid. Schweighaeuserum ad nostrum locum. Eandem Herodoto aliquot locis reddidit Schaeferus. Cf. ejus annot. ad Dionysinm Halic. de composit. p. 199. Ego paucula addam de hoc verbo, de conjectoribus proprie usurpari solito. Atque Jacobus Gronovius ad Nostri I, 63. (sect. 815. 14. ed. Wess.) tuetur eo loco συλλαβὼν τὸ χρηστήριον, suffragantibus Wesseling. et Schweighaeusero, nec minus aliis locis ita legi vult, qui non tam *conjecturae*, quam *perceptionis* atque *intelligentiae* significationem habent. Idem negat activum συμβάλλειν usitatum Herodoto esse: medium συμβάλλεσθαι usitatum dicit. Atque reapse συμβάλλεσθαι perquam familiare esse Historiae patri, doceant unumquemque Aemilii Porti Lexicon Ionicum et qui loci congesti sunt a Schaefero ad illustrandam formulam συμβαλλόμενος εὑρήσεις (ad Dionys. l. l.). Sed idem tamen in Herodoteo loco I, 91. dedit οὐ ξυμβαλὼν δὲ τὸ ῥηθὲν — οὐδὲ τοῦτο συνέλαβε. Contra Schweighaeuserus: συλλαβὼν — συνέλαβε. Atque hic vir doctus hoc nomine notavit rationem Schaeferianam, addens in Annott. „Quod modo praecessit, οὐδὲ τοῦτο συνέλαβε, sic recte συλλαβὼν I. 21. non συμβαλών. Cf. cap. 63, 1. ibique notata. συμβάλλεσθαι, non συμβάλλειν, *conjectare sonat;* et ne hoc quidem satis aptum huic loco foret." Mireris Schweighaeuserum, qui universe parum tribuere soleat J. Gronovio, hac in re nimium ei tribuere, et legem ab eo scriptam ampliorem etiam reddere. — Alia omnia vir doctus ad eundem locum in the classical Journal Vol. II. p. 68. Qui quidem συμβάλλειν et συλλαμβάνειν dicit promiscue hoc sensu dici ab Herodoto, comparatque Evang. Luc. II, 19. συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς. Atque ad eundem locum Valckenaerius in Selectis Scholar. in N. T. Vol. I. p. 77. „Significat quidem, quod fatendum, συμβάλλειν χρησμὸν *frequenter apud veteres sensum assequi oraculi.*" Deinde

Tegeam profectus, calamitatem suam retulit fabro, cum eoque egit, ut aulam sibi elocaret: cui diu

---

lectionis caussas aperiens *συμβάλλειν* comparat cum *συνιέναι*, explicatque *res inter se comparare, comparatas considerare atque attente considerando intelligere.* Tu cf. etiam Wetstenii N.T. Vol.I. p.663. et adde Peerlkampii viri doctissimi Annot. ad Xenophont. Ephes. lib. I. p.133. Atque hujuscemodi locos respexisse videtur Photius, qui in Lex. gr. p.404. *συμβαλεῖν* explicat *νοῆσαι, διακρῖναι, συγκρῖναι*· Schweighaeuserus in Lex. Polyb. p. 576 in *συμβάλλειν*: „*conjicere, perspicere, intelligere; μὴ δύνασθαι συμβαλεῖν*, 11, 13. 2. „Philostrat. Vit. Apollon. IV, 43. p.183. Olear. de portento coelitus oblato *ξυμβαλεῖν μὲν δὴ τὸ εἰρημενον οὔπω εἶχον οἱ παρατυχόντες τῷ λόγῳ.* (Herodotus geminâ constructione IV, 111. *Οἱ δὲ Σκύθαι οὐκ εἶχον συμβάλλεσθαι τὸ πρῆγμα*). Herodoteos locos plures congessit Aemil. Porti et editorum industria. Ego in clausulâ adponam Scholiastae in Aristidem (Oratt. Platonn. II. p. 171 seq. Jebb.) cum mscr. tum editi integrum locum, cum quia in hac ipsâ narratione verbum *συμβάλλειν* habet, tum quoniam ejusmodi comparationem literarum Graecarum studiosis prodesse arbitror: — *πάλιν οὖν ἤροντο τὸν θεὸν Λακεδαιμόνιοι, καὶ ἔχρησεν αὐτοῖς οὕτως* (Schol. Leid. Burm. mscr.: *ἡττήθεντες οὖν οἱ Λακεδαιμόνιοι πάλιν ᾔτησαν δεύτερον χρησμόν· ἔστι δὲ οὗτος*). Sequuntur oraculi verba, sed ex parte corruptissima, quas sordes ego non eruam. Tum pergit: *ἀκούσαντες τὸν χρησμὸν* (*τοῦτον* Schol. mscr.) *οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐσπείσαντο πρὸς τοὺς* (omittit mscr.) *Τεγεάτας· εἶτα ἐν τῇ εἰρήνῃ ἔτυχε Λίχαν τινά, ἀγαθοεργόν, Λακεδαιμόνιον, ἀγαθοεργοὶ* (*ἀγαθοὶ* mscr.) *δὲ καλοῦνται παρὰ Λακεδαιμονίοις πέντε τῶν ἱππέων, οἵτινες ἐξήρχοντο τοῦ βαθμοῦ, καὶ ἐσχόλαζον ἐπὶ γνώσει, τῶν παρ' ἑτέρων* (*ἑτέροις* mscr.) *νομίμων ἀγαθῶν, καθέζεσθαι ἐν χαλκείῳ τῆς Τεγέας, καὶ θαυμάζειν πῶς ἀνέρχεται τὸ πῦρ· τὸν γοῦν χαλκέα ἐρωτῆσαι τί καθέζεται ἐκπληττόμενος, τὸν δ' εἰπεῖν, ὅτι θαυμάζω διὰ τὸ οὕτως ἀνέρχεσθαι τὸ πῦρ.*

quidem reluctanti quum ad extremum persuasisset, inibi habitavit; moxque effosso sepulchro ossa collegit; [288]) Spartamque remigrans transportavit.

τοῦτο δὲ ἀκούσαντα τὸν χαλκέα εἰπεῖν, ἐὰν ἀκούσῃς ὃ βούλομαι λέγειν, θαυμάσαι ἔχεις. εἶδον γάρ φησιν ἐν τῷ οἴκῳ τούτῳ (omiss. in cod.) σορὸν τινὰ ἐννέα ὀργυιῶν, καὶ ἀπιστῶν εἰ τοιοῦτος ἐστὶν ὁ κείμενος ἐν τῇ σόρῳ (σορῷ apogr. Mon. εἶτα praemittit sequentibus cod. Leid.), ἀποκαλύψας εὗρον καὶ τὸ σῶμα τοσοῦτον. ἀκούσας ὁ Λίχας, ᾔσθετο τοῦτο σημαίνειν χρησμὸν (cod. mscr. εἶτα ἑωρακὼς ὁ Λίχας ἤρξατο συμβάλλειν τὸν χρησμὸν τὸν λέγοντα, Ἔστι τὶς Ἀρκαδίης καὶ τὰ ἑξῆς, καὶ ἀναγκασθεὶς ᾔσθετο, ὅτι τὸ χαλκεῖον σημαίνει ὁ χρησμὸς, εἶτα), εἶπε τῷ χαλκεῖ, μίσθωσόν μοι τὸν οἶκον ἐπ' ὀλίγῳ χρόνῳ· μισθωσαμένου οὖν τοῦ οἴκου, καὶ λαβόντος τὰ ὀστᾶ τοῦ Ὀρέστου (δὲ ἦσαν omissa in mscr.) ἐλήφθησαν οἱ Τεγέαται. Vides *novem* in cubitos augeri hoc Scholio Orestae magnitudinem. Sed tamen cum Philostratus l. c. in septenario numero subsistat, nemini auctor sim, ut majora amplectatur. Caeterum verbum εἴκαζε in Herodoteo loco nec minus *conjectaneum* vocabulum esse, non est quod pluribus confirmemus.

288) Quomodo ad *Spartanos* pertineat Orestes, supra nos docuit Pausanias, qui (III, 16.) de Lacedaemone ita: Ὀρέστου καὶ ἐνταῦθα βασιλεύοντος. Illud anquisivit Larcherus ad nostrum locum, quomodo in Arcadiâ sepultus esse potuerit Orestes, e Stephano Byzantio illustrans in Ὀρέσται (p. 617. Berkel., ubi in Arcadiae loco mortuus dicitur, cui loco nomen Ὀρέστιον vel Ὀρέστειον vid. ibi Salmas.). Tu consule insuper Pherecydea Sturzii nr. LXXVI. ibiq. disputata p. 225. De Oresteis coloniis, quas item attingit Larcherus, consule Hellanici Fragmenta p. 46. ed. Sturzii. — Caeterum in ipso nomine Ὀρέστου latitare significationem quandam *montuosorum* tractuum *silvestriumque*, ubi pastoricia immaniaque sacra maxime pullulare solent, qualia Oresti tanquam inventori tributa vidimus, non attinet uberius declarare.

Quo ex tempore quoties vires suas invicem tentarunt, semper superiores bello discessere Lacedaemonii, eisdemque major etiam pars Peloponnesi erat subjecta."

Hactenus Herodotus. Atque post ea, quae supra posuimus, non multis verbis opus est, ut intelligatur, quo haec pertineant. Videlicet exsistunt nobis bini heroës Laconici, uterque sacrorum inventor, uterque amens ad tempus, uterque in aulâ locatus, uterque saluber Spartanorum rebus, alter privatis (sed tamen regia erat domus Aristonis), alter publicis. Quod autem *Orestei cadaveris vim mirificam* attinet, spectat haec res ad *Manium Larumque* religiones, de quibus supra monuimus. Hîc subjicere juvat locum luculentum Aristidis, eundem ad quod Scholion modo exhibitum pertinet: *καὶ γάρ τοι ὅσοι μὲν τοῦτ' ἐπείσθησαν αὐτῷ, σεμνοὶ σεμνῶς κεῖνται, κάλλιστα δὴ πάντων Ἑλλήνων καταλύσαντες τὸν αἰῶνα, μνημεῖον τῆς ἀρετῆς τὸν τάφον κεκτημένοι, καὶ ὑπὸ γῆς ὄντες, τὴν γῆν φυλάττοντες αὐτὴν, ἀλλ' οὐχ ὑπ' αὐτῆς ἐχόμενοι, τῆς Ἡσιόδου προςρήσεως ἐγγύτατα ἥκοντες μετέχειν, ἣν ἐκεῖνος εἰς τὴν τελευτὴν τοῦ χρυσοῦ γένους ἐποίησεν εἰπὼν, οἱ μὲν δαίμονες ἁγνοὶ ὑποχθόνιοι καλέονται, Ἐσθλοὶ, ἀλεξικακοὶ, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων· κᾀκείνους, πλὴν ὅσον οὐ δαίμονας, ἀλλὰ δαιμονίους καλῶν, θαῤῥούντως ἂν ἔχοις λέγειν, ὑποχθονίους τινὰς φύλακας καὶ σωτῆρας τῶν Ἑλλήνων, ἀλεξικάκους καὶ πάντα ἀγαθούς· καὶ ῥύεσθαί γε τὴν χώραν, οὐ χεῖρον, ἢ τὸν ἐν Κολωνῷ κείμενον Οἰδίπουν, ἢ εἴτις ἄλλοθί που τῆς χώρας ἐν καιρῷ τοῖς ζῶσι κεῖσθαι πεπί-*

στεῦται." Atque ii quidem, quotquot hic paruerunt, magnanimi magnifice mortui sunt, et omnium Graecorum praeclarissime mortem obierunt, sepulchrum pro virtutis monumento consecuti, *et cum sub terrâ jaceant, ipsam conservant terram,* nec ab eâ servantur, ad Hesiodi appellationem proxime accedentes, quam ille ad finem aurei generis usurpavit, his verbis: *Divi sub terras sacrique bonique vocantur, custodes hominum, depulsoresque malorum.* Nam et illos, si non divos, sed divinos, appellaveris, merito possis *subterraneos* quosdam *custodes* et conservatores Graecorum, malorum depulsores et undique optimos dicere; ac regionem non minus tutam praestare, quam in Colono situm Oedipum, *aut si cujus alibi sepulchrum vivis prodesse creditur.* [289])

§. 24.

De animorum et immortalitate et migratione ab Aegyptiis traditâ.

(Ad locum Herodoti II, 123.)

Etsi hunc scriptoris nostri locum aliquoties attigi in antecedentibus: tamen idem tractandus est

289) In primis vero tenendum nobis illud est: *Orestae cineres in rebus urbis Romae fatalibus fuisse.* Serv. ad Virgil. Aeneid. VII. vs. 188: „Septem fuerunt paria, quae Imperium Romanum tenerent. Acus Matris Deum; Quadriga fictilis Vejorum; *Cineres Orestis;* Sceptrum Priami; Velum Ilionae; Palladium; Ancilia." Qua de re dicendi otium mihi fecit, qui hoc de argumento universo copiose nuper disputavit *Franciscus Cancellieri* in libello qui inscribitur: *Le sette cose fatali di Roma Antica* (Rom. 1812.) §. III. p. 33 seq.

nobis eo consilio, ut exploremus qualem informarint sibi ipsi illi veteres Aegyptii *μετενσωμάτωσιν* sive migrationem animorum. Recte enim novissimus Herodoti interpres [290]) ad hunc ipsum locum conqueritur, necdum expeditam esse eam quaestionem. Ac licet ego ei rei pro eo, atque debeat, non possim facere satis: tamen in medium proferam nonnulla, quae ad Herodoteum locum recte judicandum facere videntur. Ponamus in limine verba integra scriptoris ex latinâ interpretatione:

II, 123. „Memorant autem Aegyptii, principatum apud inferos tenere Cererem [291]) et Bacchum. Primi etiam fuerunt Aegyptii, qui hoc praeceptum traderent, („Hi denique primi exstiterunt, qui dicerent" L. Valla.) *esse animam hominis immor-*

---

290) Larcherus Vol. II. pag. 427. *Μετενσωμάτωσιν* autem dico migrationem animorum, non *μετεμψύχωσιν*, ex lege Graeci sermonis, quam explicavit Wyttenbach. ad Platonis Phaedon. p. 210. laudatus etiam in nostrâ annotat. ad Plotin. de pulcrit. pag. 273. Adde La Cerdam ad Tertullianum de animâ cap. 33. p. 188. ed. Rigalt. Paris.

291) *Δήμητρα* dederunt recentiores editores: priores *Δήμητραν*. Illud prius firmant meliores membranae: nec ego refragabor. De hac formâ Schweighaeuserus utiliter monuit. Plutarchi locus de malignit. Herodoti legitur Vol. IV. p. 442. Wyttenb. Adde Wesseling. ad Diodor. Sicul. I, 12. p. 16. et praecipue Muncker. et Staveren. ad Hygin. fab. 147. p. 257. Ac Pausanias (quem Tib. Hemsterhusius in Miscell. Observv. IV. pag. 290. ad Lucian. p. 301. a. et Abresch. in Dilucidd. Thucydd. p. 72. frequentem Herodoti imitatorem nuncupant) et ipse usurpat *Δήμητραν* Arcad. cap. 42. Boeot cp. 25. eamque in metricâ inscriptione sepulchrali expediit Sylburgius ad Attic. cap. 37, et Claverius retinuit.

talem; intereunte („exolescente“ Valla.) vero corpore in aliud animal, quod eo ipso tempore [292]) nascatur, intrare: quando vero circuitum absolvisset per omnia terrestria animalia et marina et volucria, tum rursus in hominis corpus, quod tunc nascatur, („quod gigneretur“ Valla) intrare: circuitum autem illum [293]) absolvi tribus annorum millibus.“ De reliquis supra exposuimus.

Tria nobis facienda sunt hoc in loco: primum ut *deos inferûm praesides* cognoscamus, deinde ut quaeramus, an *immortalitatem animorum* Aegyptii *primi docuisse ferantur* ab Herodoto; tum,

---

292) — „*Subinde* in aliud animal, quod *assidue* nascatur, intrare“ Valla. Nimirum binis particulis saepius idem significantibus declarari voluit vim particulae graecae *αἰεί,* de quâ potestate dicendi otium fecerunt interprett. ad Thucyd. I, 21. p. 51. ed. Bauer. et Beck. Caeterum utrum *αἰεὶ* etiam Thucydidi aliisque Atticis recte tribuatur, nec ne, de eo quaesiverunt nuper *Schaeferus* et *Bastius* ad Gregor. Corinth. pag. 346 seq. et *Poppo* in observatt. critt. Thucydd. p. 133. Vallanae autem interpretationis insigniora huic loco propterea adscribo, quoniam Zoëga eam est secutus, de cujus sententiâ infra dicendum nobis est; ubi etiam Wyttenbachianam translationem adjiciemus.

293) *Τὴν περιήλυσιν.* Glossae Herodoteae Tom. VI. p. 348. Schwgh. praestant *ἤλυσιν*, quod gemino Gregorii loco adhibuit Koenius p. 526. Schaef. Rem sic eloquitur Nicephorus Chumnus s. Nathanaël in dialogo mscr. cod. Vatic. nr. 112, quem meâ caussâ descripsit *Amatius* V. C. — *εἰ δὲ τοῦτο, οὐδ᾽ ἂν αὖθις πολλὰ ζώων σώματα ὥςπερ ἐν χορῷ περιοδεύσασα (ἡ ψυχὴ), ἐν ἀνθρώπου μεταχωρήσειε.* Sed haud inelegantis libelli excerpta plura infra subjiciam.

quatenus *condiendorum cadaverum cura ad sententiam de animorum migratione pertineat.*

Jam primum de *Baccho* et *Cerere*, tanquam mortuorum dominis, non est quod multis verbis exponam. Sunt *Osiris* et *Isis*, qui Amenthen occupant et moderantur. Diodorus Siculus I, 96. p. 107 Wessel. *τὴν μὲν γὰρ Ὀσίριδος τελετὴν τῇ Διονύσου τὴν αὐτὴν εἶναι, τὴν δὲ τῆς Ἴσιδος τῇ τῆς Δήμητρος ὁμοιοτάτην ὑπάρχειν, τῶν ὀνομάτων μόνον ἐνηλλαγμένων. τὰς καὶ τῶν ἀσεβῶν ἐν ᾅδου τιμωρίας, καὶ τοὺς τῶν εὐσεβῶν λειμῶνας καὶ τὰς παρὰ τοῖς πολλοῖς εἰδωλοποιΐας ἀναπεπλασμένας παρειςαγαγεῖν (Ὀρφέα) μιμησάμενον τὰ περὶ τὰς ταφὰς, τὰς κατ' Αἴγυπτον.* De Osiridis et Isidis nominibus graecis ipse testatur Herodotus II, 42. et II, 59. Plutarchus de Iside et Osirid. p. 362 p. 485 sq. — *καὶ γὰρ Πλάτων τὸν Ἅιδην, ὡς αἰδοῦς υἱὸν* [294])

294) „Nec hoc, nec Squirii *πειθοῦς υἱὸν* probo. Ex loco Platonis Cratyl. p. 265. G. apparet, tale quid Plutarchum scripsisse: *τὸν Ἅιδην ὡς αἴτιον τοῖς παρ' αὐτῷ γνώσεως καὶ προςηνῆ θεόν.*" Wyttenbach. in var. lect. Ego ipsa Platonis verba adscribam, utpote ad nostrum consilium facientia. Habent autem ita p. 403. p. 70. Hdf.: *οὕτω καλούς τινας, ὡς ἔοικεν, ἐπίσταται λέγειν λόγους ὁ Ἅιδης, καὶ ἔστιν, ὥς γε ἐκ* (*γ' ἐκ* cod. Darmst.) *τοῦ λόγου τούτου, ὁ θεὸς οὗτος τέλεος σοφιστής τε καὶ μέγας εὐεργέτης τῶν παρ' αὐτῷ, ὅς γε καὶ τοῖς ἐνθάδε τοσαῦτα ἀγαθὰ ἀνίησιν· οὕτω πολλὰ αὐτῷ τὰ περιόντα ἐκεῖ ἐστί, καὶ τὸν Πλούτωνα ἀπὸ τούτου ἔσχε τὸ ὄνομα.* Haec Proclus commentar. mscr. fol. 135. rect. cod. Augustan. hoc pacto explicat: *Ὅτι κακῶς τινὰς ἀναλύοντας τὸ μὲν τοῦ Πλούτωνος ὄνομα εἰς τὸν ἐκ τῆς γῆς πλοῦτον διά τε τοὺς καρποὺς καὶ τὰ μέταλλα, τὸν δὲ ἀΐδην εἰς τὸ ἀϊδὲς καὶ σκοτεινὸν καὶ φοβερὸν ἐπιῤῥαπίζει*

τοῖς παρ' αὐτοῦ γενομένοις καὶ προσηνῆ θεὸν ὠνομάσθαι φησίν· καὶ παρ' Αἰγυπτίοις ἄλλα τε πολλὰ τῶν ὀνομάτων λόγοι εἰσὶ, καὶ τὸν ὑποχθόνιον τόπον, εἰς ὃν οἴονται τὰς ψυχὰς ἀπέρχεσθαι μετὰ τὴν τελευτὴν, 'ΑΜΕΝΘΗΝ καλοῦσι, σημαίνοντος τοῦ ὀνόματος τὸν λαμβάνοντα καὶ διδόντα. Eam explicationem nominis cum ad linguae Copticae leges redigere studuisset La Crozius, ut reapse 'Αμένθης designaret *Dantem et Accipientem*: novitiam tamen eam rationem ac soli inferiori Aegypto cognitam suspicatur Jablonskius, germanam atque antiquam radicem in voce *Ement* latere, atque ᾅδην, i. e. *occidentem*, et ζόφον atque ἔρεβον adeoque *inferûm sedem* significare judicavit. Cui judicio se applicuerunt etiam Zoëga et Rossius, ita tamen, ut is, quem postremo loco dixi, etiam de voce *Amittha* sive

---

νῦν ὁ Σωκράτης εἰς ταυτὸν ἄγων σημαινόμενον τὰ δύο ὀνόματα· τὸν μὲν Πλούτωνα ὡς νοῦν εἰς τὸν τῆς φρονήσεως πλοῦτον, τὸν δὲ ἀΐδην εἰς τὸν εἰδότα νοῦν τὰ πάντα. σοφιστὴς γὰρ ὁ θεὸς οὗτος καὶ τὰς ψυχὰς μετὰ θάνατον καθαίρων ἐλευθεροῖ τῆς γενέσεως· τὸ γὰρ ἀΐδες ὅ τινες κακῶς ἐξηγοῦνται οὐκ ἔστι κακόν· οὐδὲ γὰρ ὁ θάνατος κακὸν, εἰ καὶ δοκεῖ τισὶν ἐμπαθῶς ἀΐδες εἶναι· ἀλλ' ἔστιν ἀειδὲς καὶ κρεῖττον τοῦ ἐμφανοῦς οἷον τὸ νοητὸν πᾶν· ὁ οὖν νοῦς ἐν ἑκάστῃ τῶν ὄντων τριάδι, συνελίσσει ἑαυτὸν εἰς τὸ ὂν καὶ τὴν πατρικὴν αἰτίαν, κύκλον μιμούμενος. Idem in sequentibus ita: τὸ δ' ἀληθὲς, πολλῷ ἄμεινόν ἐστιν ἀνθρώπῳ τελευτήσαντι κατὰ φύσιν ζῆν ἐν ᾅδου, ἤπερ μετὰ τοῦ σώματος ζῆν παρὰ φύσιν ὄντα καὶ κωλυόμενον νοερῶς ἐνεργεῖν. Eundem Platonis locum idem respicit in Theolog. Platon. V, 3. p. 253. et VI, 11. p. 371; etiam Plotinus Ennead. IV, 3. 12. De Plutonis vi ac potestate cf. etiam Cic. de N. D. II, 26. ibiq. annott. p. 311—314. ed. nostr.

Ametha i. e. *caligine* cogitaret. [295]) Atque Zoëga indidem Rhadamanthi quoque nomen repetendum censet, utpote compositum ex Aegyptiaco *Rat principium* atque *princeps* et *Amenth*, ut sit *princeps inferûm;* videlicet hoc nominis nihil aliud esse nisi epitheton *Osiridis* tanquam *regis mortuorum;* eamque ipsius appellationem *Rhadamanthi* ita illatam esse Cretensium fabulis, ut *Minos*, Aegyptiorum Menes, referat regem viventium: Rhadamanthus, mortuorum. Quâ de re non attinet dicere. Sunt enim haec discriminis plena. Sic, ut hoc utar, idem vir doctus *Elysii* nomen Aegyptiacum vult esse a *jelel* i. e. *nitore vel splendore* ductum ac proinde congruum Pindaricis illis Olymp. II, 130 seq.: ἄνθεμα δὲ χρυσοῦ φλέγει, cum tamen Herodotea vox ἤλυσις, quam πορείαν, ἔφοδον explicant grammatici, in mentem venire diverse sentientibus facile possit. At recte idem vir doctus Homerici loci [296]) admonet, quo *ipsius fabulae Elysii Aegyptiacas* reapse *origines* commonstret. Qua de re ipsum consulat, qui discere cupiat, et jungat ea, quae alia supra ad firmandam hanc sententiam in medium protulimus. Ac reverâ ipsum Proteum Aegyptium ita acceperunt nonnulli e veteribus, ut eum esse dicerent [297]) τὴν πρωτόγονον ὕλην,

295) Vid. Jablonskii Vocc. Aegyptt. p. 24 sq. Zoëga de obeliscc. p. 278. 295. de Rossi Etymolog. ling. Aegypt. p. 7.

296) Odyss. IV, 561 seqq. ubi Proteus Menelao vaticinatur. Quae in Meletemm. nostr. part. I. p. 89. ad eum locum excitavi hîc non repetam.

297) Eustathius ad Odyss. IV. vs. 417 seqq. Plura de hac re dixi in epistoll. Homericc. ad Hermann. p. 126.

τὴν τῶν εἰδῶν δεχάδα κ. τ. λ. In quo placiti Aegyptiaci materiae primigeniae varias in formas conversae indicia agnoscas. Illud tamen certius etiam vestigium sacerdotalis decreti Aegyptiorum est, quod a Graecis Homerici loci interpretibus vita mortuorum Plutoni obtemperantium tanquam vita eorum explicatur, qui emancipati a corporis vinculis jam, eo deo quasi magistro, solius mentis cogitatione delectantur. [298]) Ac gaudii atque laetitiae significa-

---

298) Pertinet haec ad Homericos versus l. l.

ἀλλ' αἰεὶ Ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας
Ὠκεανὸς ἀνίησιν, ἀναψύχειν ἀνθρώπους.

Attigit haec etiam Porphyrius ap. Stob. Eclog. I, 52. p. 130. Cant. p. 1020. Heeren. Qui philosophus tria animarum domicilia distinguit, primum terram, alterum Elysium, quo Homerus vivos homines pervenire dicat, tertium Haden, seu loca infera. Ibi λιγὺ πνειόντος scriptum legitur in editione Canteri. Heerenius dedit λιγὺ πνειόντας, improbante Porsono ad h. l. Atque quae hic ex Cod. Harlej. enotavit: eadem plane in cod. Palatino nr. 45. reperias: hic tamen illa insuper habet huc pertinentia: ἀλλ' αἰεὶ Ζεφύροιο] δοκεῖ καὶ τοῦτο φυσικῶς εἰρηκέναι ὅμηρον· ὁ γὰρ ζέφυρος οὐ μόνον ἐστὶν πολύκαρπος καὶ γόνυμος (leg. γόνιμος), ὡς καὶ ἐν ἄλλοις φησὶν ζεφυρείη πνείουσα τὰ μὲν φύει ἄλλα δὲ πέσσει· ἀλλὰ καὶ τῆς ψυχῆς τὸ διανοητικὸν ἔχειν δοκεῖ καὶ πρὸς ἐπίνοιαν συντελεῖν. Vides quomodo haec congruant iis, quae supra ex Platonis Cratylo ejusque interprete Proclo exhibuimus *de sapientiae studio sub imperio Plutonis.* Quod proxime Homerus canit: *τῇπερ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν* ii qui Aegyptiaca placita cognorant, referebant ad vitam *insontium* (*τῶν δικαίων* Porphyr. l. l.) ac *beatorum* hominum: alii contra adplicabant ad declarandam illam *ἀταραξίαν τοῦ βίου*, quam unice sectabantur Eudaemonici

tionem inesse in regno inferûm Aegyptiorum veterum cum alia arguunt, quae a nobis alibi sunt congesta, tum hic ipse locus Plutarcheus contiguus superiori. Etenim hic philosophus de Serapide disputans haec subjicit de Isid. p. 362. p. 485: *Ἐγὼ δὲ, εἰ μὲν Αἰγύπτιόν ἐστι τοὔνομα τοῦ Σαράπιδος, εὐφροσύνην αὐτὸ δηλοῦν οἴομαι καὶ χαρμοσύνην, τεκμαιρόμενος ὅτι τὴν ἑορτὴν Αἰγύπτιοι τὰ χαρμόσυνα Σαίρει καλοῦσιν.* Nam quod in alia abiit Jablonskius Vocc. Aegyptt. p. 285 seq. atque Sarapidis nomen compositum esse maluit ex *Sar-api* tanquam columnâ in qua ascendentis *Nili* gradus notarentur: vereor ut vir doctissimus satis curate reputaverit, *quam conjuncta fuerit apud veteres Aegyptios aquae recreantis* cogitatio *cum cogitatione salutis ac beatae vitae*, *quae insontibus impertitur ab Osiride inferûm domino.* Atque, utut statuis de Plutarcheâ etymologiâ nominis, dubitationem omnem eximit animarum portitor ac nauta *Charon* (*Χάρων*), effictus a Graecis ex ipsâ illâ imagine *Osiridis undarum salubrium non minus moderatoris* quam *animarum vitâ functarum*, qui idem posteriore certe aevo [299]) Serapidis nomine ce-

---

Graecorum philosophi atque adeo Sceptici. Vid. Sext. Epir. advs. Math. lib. XI. §. 111. p. 711. ibiq. Fabric. et confer Luzacii Lectt. Atticc. p. 183.

299) Ante Alexandrini imperii aetatem hanc Serapidis appellationem invaluisse alibi demonstrare sum conatus in *Dionyso.* Neque me poenitet ejus conjecturae. Canobi argumento sunt, sive urcei Nilotici iidemque ollares dii, in antiquissimis anaglyphis Thebaicis tantopere frequentati. Verum quoniam eam telam nunc retexere nolo,

lebratus est. Loquuntur etiam veterum Romanorum *Charistia*, familiarum sacra, quibus continuo dierum nexu *Parentalia* continebantur. Quae autem de *Amenthe*, tanquam *recipiente* ac rursus *reddente*, Plutarchus prodit loco supra laudato, iis ex asse respondet descriptio Serapidis, quam his verbis concepit Aristides orat. Vol. I. p. 97. p. 54. Jebb.: *σωτὴρ αὐτὸς καὶ ψυχοπομπὸς, ἄγων εἰς φῶς, καὶ πάλιν δεχόμενος πανταχῇ πάντας καὶ περιέχων.* Quae ipsa nescio quomodo ad *Isidem* retulit et feminino genere exhibuit Zoëga de obelisco. p. 303. In *re* tamen nihil peccatum, quandoquidem *Isis* non minus quam *Osiris-Serapis* mortuos et recipere ac rursus in lucem reducere perhibetur. Atque haec sufficiant illustrandae primae parti verborum Herodoteorum, nimirum horum: *ἀρχηγετεύειν δὲ τῶν κάτω Αἰγύπτιοι λέγουσι Δήμητρα καὶ Διόνυσον.*

Venio ad alteram partem, quae eam quaestionem habet: *an reapse a Nostro veteres Aegyptii auctores dicantur ejus decreti, quod animos hominum interire negat.*

Larcherus Herodotea verba sic accipi vetat: potius ita vult explicari, *ut Aegyptii fuerint migrationis animorum primi assertores.* [300]) Recte,

---

propterea cautius h. l. pronuntiandum existimo. De Charistiis quae sequuntur produnt Ovidius in Fast II, 617. et Valer. Maxim. II, 18. De tempore utriusque solemnitatis et Charistiorum et Parentalium deque horum antiquitate consule J. Christ. Wernsdorfii Meletema in Nov. Actt. Societ. Latinae Jenens. Vol. I. §. IV. p. 320 seq.

300) Vol. II. p. 426 seq. „Herodote ne dit pas que

sed tamen, cum in aliam sententiam hunc locum traxisse videantur et veteres aliquot et recentiores: accuratius in his agendum videtur esse. Nam primum Clemens Alexandrinus Strom. VI, 2. p. 752. Potteri sejunctim illa pronuntiat: *παρὰ Πυθαγόρου δὲ καὶ τὴν ψυχὴν ἀθάνατον εἶναι Πλάτων ἔσπακεν· οἱ δὲ, παρ' Αἰγυπτίων.* nimirum Plato et Pythagoras. Nec minus (qui quidem Homiliarum auctor vulgo fertur) alter Clemens, illo antiquior, Romanus, quem cum a puero illa quaestio de immortalitate animorum suspensum tenuisset, tandem secum ipse hunc in modum requirit Homil. I. §. 3. 5: *Τί οὖν χρὴ ποιεῖν; ἢ τοῦτο; εἰς Αἴγυπτον πορεύσομαι, καὶ τοῖς τῶν ἀδύτων ἱεροφάνταις καὶ προφήταις φιλιωθήσομαι — —;* (Reliqua tractavit Tib. Hemsterhusius ad Luciani Necyom. Vol. III. p. 339 seq. Bip.) Davisius autem ad Ciceron. Tuscull. Disputatt. I, 16. posteaquam haec Pausaniae Messen. cap. 32. (pag. 462. Claver.) excitavit: *Ἐγὼ δὲ Χαλδαίους καὶ Ἰνδῶν* [301] *τοὺς μάγους πρώτους οἶδα εἰπόντας, ὡς ἀθάνατός ἐστιν ἀνθρώπου ψυχή,* ita pergit: „Aegyptios autem hac laude mactant Herodotus lib. II. cap. 123. et Clemens Alex. lib. VI. p. 752.“

---

les Egyptiens soient les premiers, qui aient cru à l'immortalité de l'ame, mais qu'ils sont les premiers, qui aient avancé, que l'ame étant immortelle, passoit après la destruction du corps dans celui de quelque animal.“ Deinde recte idem Hebraeorum patriarchis immortalitatis doctrinam vindicare studet.

301) *Indorum* philosophis hanc doctrinam vindicat etiam Palladius de Brachmanibus. Tu cf. Casauboniana ed. J. Chr. Wolf. p. 13. Cr.

Nolo plura congerere quae arguant, nimis arctis et angustis terminis hunc Herodoti locum inclusum a viris doctis esse. Planiorem et veriorem interpretationem eidem ante Larcherum impertierat Wyttenbachius in Disputat.: *Quae fuerit veterum philosophorum sententia de vitâ et statu animorum post mortem* Amstel. 1783. p. XVII. Cujus ego ipsa verba in lectorum usum apponam: „Herodotus hanc laudem (inventi decreti transmigrationis animarum) Aegyptiis vindicat: cujus verba Latine referamus: II, 123. „ „*Fuerunt quoque primi Aegyptii, qui dicerent, animam hominis esse immortalem, post corporis vero interitum in aliud deinceps nascens animal immigrare: cumque per omnia terrestria, marina et volucria animalia circuitum fecisset, eam iterum nascentem* [302]) *in hominis corpus immigrare: et hunc ab eâ circuitum confici trium millium annorum spatio.*" " Herodoti auctoritatem praeferendam esse auctoritati Diogenis, [303]) praesertim testes nullos excitantis, non est dubium. Addit enim ipse Herodotus, tanquam testimonium sententiae, „ „*Hoc placito, tanquam suo et proprio, quidam Graeci usi sunt, alii antiquiore alii recentiore tempore* [304]); *quorum ego nomina, quanquam scio, non me-*

---

302) Igitur secutus est marginem Stephanianae, qui dat γινομένην. Cr.

303) VIII, 14, qui Pythagoram primum *dici* perhibet τῆς μετενσωματώσεως auctorem. Ego postea ex eodem scriptore aliam famam verioremque in medium proferam. Cr.

304) In illis Orpheum, in his Pythagoram numerari supra evincere studui. Cr.

moro." " Sit igitur Herodoti potior sententia; tamen caveamus, ne plus ei tribuamus quam ipse voluit. Si quid enim video in Grammaticâ interpretatione, non necesse est, ut hic sit sensus, *Aegyptios singulas has opiniones primum protulisse, sed universas ab illis ad hanc doctrinam conformatas esse:* ut adeo illud voluerit Herodotus, „„*Aegyptios primos dixisse, animam, quum sit immortalis, in alia deinceps corpora immigrare, atque iterum in humanum corpus redire; et hunc circuitum absolvi trium millium annorum spatio,*" " et sint Aegyptii non tam Immortalitais, quam Metempsychoseos auctores." Haec *Wyttenbachius* planeque ad ejus sententiam postea *Larcherus.* Et quis dubitet hanc unice veram legitimamque verborum Herodoteorum interpretationem esse? Et vero, *Hecataeo* et *Aristagorâ* ac *Manethone* auctoribus, alio loco hoc ipse confirmat Diogenes Laërtius I, 11. *Τὴν δὲ τῶν Αἰγυπτίων φιλοσοφίαν εἶναι τοιαύτην — — τὴν ψυχὴν καὶ ἐπιδιαμένειν καὶ μετεμβαίνειν.* Quâ brevi sententiâ declarantur eadem, quae pluribus aliquanto verbis elocutus est Herodotus. Neque aliter his de rebus sensisse videtur *Zoëga* de obeliscc. pag. 300, cum in hunc modum pronuntiat: „Et videtur hoc primum ab Aegyptiis traditum indeque ad Graecos traductum fuisse: esse eam animae naturam, ut per se sit ac duret, habitetque in corpore velut in domo, quam sine sui jacturâ relinquere possit et in aliam transire." Idem vir doctus in opere laudato de hac Aegyptiorum veterum doctrinâ maxime omnium promeruit, eamque sigillatim et per suos quasi meatus est per-

secutus. Quâ eâdem laude eundem nuper recte affecit *Heerenius* in Idearum libro vernaculo Vol. II. p. 644 ed. tert: in eo tamen judicium ab ejus auctoritate sejungit, quod ille hanc fuisse vulgi Aegyptii opinionem statuit: *animam non prius quam priori corpore corrupto atque absumto ab eo discedere atque ad aliud transire.* 305) Neque enim intelligi posse, quomodo in ejusmodi populo, qui accuratissimâ pollincturâ mortuorum cadavera perennare in perpetuum effecerit, igitur ibi quomodo ejusmodi opinio invalere potuerit.

Haec igitur dijudicanda sunt nobis; adeoque disputatio nostra ad tertiam partem deducenda, quam supra in eo contineri diximus, ut quaereremus: *quatenus condiendorum cadaverum cura ad sententiam de animorum migratione pertinuerit.*

Jam primum ut hinc ordiar, diu ante Zoëgam Herodoteum locum in eandem sententiam traxerat *Irhovius* de *Palingenesiâ Veterum*, haec ponens p. 203. „In eas interim *Superûm* beatas Inferûmve sedes miseras non immediate transire mentes; sed demum post corpus putrefactum Aegyptii voluisse videntur: tam diu videlicet in *antris* animam corpori deposito cohabitare, quam diu hoc a putredine 306) manserit alienum, opinati: contra vero corruptione invadente ad loca commerita abscedere

305) Zoëga oper. laud. p. 310. coll. p. 294. Ita enim acceperat ille Herodotea illa: τοῦ σώματος δὲ καταφθίνοντος ἐς ἄλλο ζῶον αἰεὶ γινόμενον ἐςδύεται (ἀνθρώπου ψυχή.)

306) Debebat potius scribere: *a cineribus*, siquidem in cineres dilabi solent corpora medicata, qualia sunt Aegyptiaca illa.

confestim. Inde inter alia sumtuosissima cadaverum pollinctura Aegyptiis usitata, ut haec servarent quam diu possent incorrupta." — Quod beatas *Superum* sedes Aegyptiacae doctrinae attribuit Irhovius: hac de re non tam fidenter pronuntiare est ausus Zoëga, [307]) cum potius hoc pacto anquirit: „Has vero migrationes utrum certo aliquo gyrorum ac redituum numero definiverint (Aegyptii), an in aeternum renovandas crediderint, tuto indicio unde arguamus destituimur. Illud tamen sibi habuisse persuasum, qui in tribus migrationibus perfecte justi inventi fuissent, reliquum aevum beate duraturos esse cum Osiride, nec amplius in nova corpora reversuros, suspicari facit Pindarus Olympicorum odâ primâ [308]), quem Aegyptias doctrinas Graecorum ingenio accommodatas tradidisse, credere suadet Rhadamanthi vocabulum, epitheton ut videtur Osiridis, ac latine reddendum *princeps inferorum*."

In hac sententiarum discrepantiâ age ipsi experiamur quid hac in caussâ cum loco Herodoteo, h. e. cum satis certe vetustâ pervulgatâque Aegyptiorum sive opinione sive doctrinâ congruat.

Proficiscar a testimonio Servii [309]) quod manifesto ad Herodotea verba facit, nec integrum exhi-

307) Operis laud. p. 296.

308) *Alterâ* voluit Zoëga, vs. 123 seq. Hac datâ occasione Hermiae admonebo, qui ad Platonis Phaedrum cap. 29. pag. 152. Ast: ita haec Pindarica exhibet: *Ὅσοι δ' ἐτόλμασαν ἐς τρὶς Ἑκατέρωθι — Ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔργων Σχεθέμεν ψυχάν, ἔστειλαν Διὸς Ὁδὸν παρὰ Κρόνου τύρσιν.*

309) Ad Virgilii Aeneida lib. III. vs, 68.

bitum a Zoëga est: „Rite ergo redditâ legitimâ sepulturâ, redit anima ad quietem sepulchri, quam Stoici terris condi, id est, medium secuti, tam diu durare dicunt, quam diu durat et corpus: *unde Aegyptii*, periti sapientiâ, *condita diutius reservant cadavera; scilicet ut anima multo tempore perduret, et corpori sit obnoxia, nec cito ad alios* [310]) *transeat. Romani contra faciebant, comburentes cadavera, ut statim anima in generalitatem, id est, in suam naturam rediret.* Dicit ergo (Virgilius) nunc sacrificiis quibusdam elicitam animam, et sepulchro conditam, obnoxiamque factam corpori: quod ante horrebat, quasi per vim extorta. Ideo autem Stoicos medium sequi diximus, quia Plato perpetuam dicit animam, et ad diversa corpora transitum facere statim, pro meritis vitae prioris. Pythagoras vero, non *μετεμψύχωσιν*, sed *παλιγγενεσίαν* esse dicit, hoc est redire, sed post tempus."

Duo igitur placita distinguit Servius: alterum eorum, qui mortuos comburerent, quo citius ad *generalitatem*, h. e. *in suam naturam*, sive communem atque mundanam divinamque, redirent: alterum eorum, qui condirent corpora quoniam *determinatam* volebant permanere animam. Illam rationem Indorum fuisse hodieque esse, itemque Graecorum quodammodo Romanorumque, ex quo certe eum morem secuti erant, ut mortuos suos et ipsi comburerent, nemo quisquam ignorat. Alteram rationem, Aegyptiorum, luculenter aperit, caussis etiam ad-

310) „Ad *alias* L. ad *alia* Steph. Dan. Fabr. al." Burmann. in Var. lect.

ditis, Tertullianus de Animâ cp. XXXIII. p. 288 seq. ed. Paris. Rigaltii. Ita enim ille: „Et hic dicam: si demutantur, non ipsae dispungentur, quae merebuntur (animae); evacuabitur ratio judicii, si meritorum deerit sensus; deerit autem sensus meritorum, si status verterit animarum; vertit autem status animarum, si non eaedem perseveraverint. Aeque si perseveraverint in judicium, *quod et Mercurius Aegyptius novit, dicens animam digressam a corpore non refundi in animam universi, sed manere determinatam, uti rationem, inquit, patri reddat eorum, quae in corpore gesserit.*“

His *doctrinae Aegyptiacae* reliquiis jungamus *memoriam rerum historiarumque fidem.* Atqui nemo nescit, et quae supra ex annalium monumentis eruimus, ea satis docent: fuisse in Aegypto antiquitus duplex hominum genus: alterum sacerdotum, undecunque delatum (hoc nunc non quaerimus), pastoritium alterum.

Ac *pastores* constat animalibus cum feris quibusdam, tum maxime domesticis, tantum tribuisse, ut ea pro sacris haberent, et alii alia per singulas oras pagosque colerent. Ea superstitio quam late patuerit pateatque in Africae maxime aliquot gentibus, quae singulae suos *Fetissos* deperiunt ac deosculantur, hodieque nemini cuiquam obscurum est. Iidem autem populi pastoritii, utpote rudiores, non poterant non animum humanum corpori quodammodo mancipatum existimare obnoxiumque; hactenus, ut, si non usquequaque decernerent evanescere atque interire animam, dilapso et quasi resolutis compagibus disperso corpore, ubi in cineres abiit: tamen vagam

duntaxat ac prope nullam imaginem notionemque sibi informare possent animae a corpore sejunctae ac liberae ab ejus servitio. Contra *sacerdotes*, undecunque tandem in Aegyptum delati, dubitari nequit, quin ab initio noverint naturae vim penitus vitalem, nunquam exstinctam et in infinitum perennem. Atque eam sibi sententiam eosdem παλιγγενεσίας notione informasse credibile facit consensus *Indorum Persarumque* eorum, qui et ipsi *sacerdotali* doctrinâ imbuti essent; ut *Pythagoram* praetermittam, quem et ipsum Aegyptiorum sacerdotum disciplinâ atque eodem placito usum constans veterum fama perhibet. Deinde Aegyptii illi doctores probe tenuerunt, ut in illâ vetustate scilicet, rationem siderum et solaris anni orbem non minus quam lunaris circuitum: Signa noverant in isto solis, quod vulgo dicitur, itinere locata; quae Zodiaci nomine complectimur.

His positis veri fit simillimum: *Aegyptiorum sacerdotes* reservasse sibi παλιγγενεσίας subtiliorem atque eruditiorem quandam doctrinam, quae per Pherecydem Pythagoramque ad Graecorum philosophos permanavit: cum *plebe* autem communicasse placitum *transmigrationis animarum* sive μετενσωματώσεως.

Atque hanc *mixtam temperatamque pastoritiâ superstitione ac sacerdotali eruditione disciplinam* prodit nobis, et extremis saltim lineis describit antiquissimus omnium auctor Herodotus eo ipso loco, in quo elaboramus. Etenim hac in caussâ nec cum Zoëgâ usquequaque fecerim neque cum Heerenio. Quorum hic *transmigrationis animarum* doctrinam

solorum sacerdotum fuisse vult [311]): ille haec verba suae disputationi interposuit: „Nam hoc pacto *Sacerdotum doctrinam de animâ ex uno corpore in aliud migrante* cum vulgari opinione composuerant, ut animam non prius, quam priori corpore corrupto atque absumto, ab eo discedere atque in aliud transire, et novum mortalis vitae curriculum instaurari crederent.“ [312])

Igitur de *mixtâ illâ doctrina* nunc cum maxime dispiciendum amplius est. Redit autem Herodotei loci argumentum ad harum rerum summam: *Primum mortuus homo riteque condîtus sepultusque descendit in Amenthen*, h. e. in *regnum Isidis atque Osiridis. Deinde* intereunte corpore (nimirum eo quod condîtum fuerit medicamentis et rite involutum — adeoque *cadavere dilapso inque cineres converso*) *excedit anima, et migrat per bestiarum omne genus. Tum revertitur in corpus nascens hominis. Atque hic circuitus universus absolvitur tribus annorum millibus.*

Qua in re plura expedienda esse mecum ipse optime sentio ac propterea experiar. Ac primum supra monstravimus Aegyptiorum opinione non nisi rite condîto et consecrato cadavere animam a vago erraticoque lapsu posse retrahi, inque certum necessitatis orbem deduci, qui solus ei reditum prae-

---

311) Oper. laud. p. 645.

312) Operis laud. p. 310. Caute de his rebus pronuntiavit Beckius in Histor. vernacul. univers. I, 1. p. 760. ed. alter. Neque ego hoc mihi sumo, ut verum vidisse penitus mihi videar: quae veri simillima habeo, protuli in medium.

stare valet. Neque aliter quam rite medicato inauguratoque corpore potest anima descendere in regna placidi mitisque Plutonis, ejusque disciplinâ ac moderamine purior emendatiorque reddi. Etenim quidquid animarum hoc terrenum mortaleque corpus est ingressum, id ab eodem plus minusve mortalis faecis traxit, et contagione infectum est. Propterea ad unum omnibus opus est remedio purgatorio, et singulis est proposita vicissitudo fatalis.[313]) In integro igitur corpore et ligamentis suorum membrorum adhuc connexo permanet anima, et delata in Amenthen potest tranquillam vitam agere et requiescere a mortalis vitae aerumnis, dummodo ea vult morem-gerere mansueto imperio Osiridis, et magistri tam sapientis ac benevoli castigatione uti: Pindari Olymp. II, 109:

Ἶσον δὲ νύκτεσσιν αἰεὶ,
Ἶσα δ'ἐν ἁμέραις, ἅλι-
ον ἔχοντες, ἀπονέστερον
Ἐσθλοὶ νέμονται βίο-
τον, οὐ χθόνα ταράσσον-
τες ἀλκᾷ χερῶν,
Οὐδὲ πόντιον ὕδωρ,[314])
Κεινὰν παρὰ δίαιταν· ἀλ-
λὰ παρὰ μὲν τιμίοις

---

313) Sive *orbis necessitatis κύκλος ἀνάγκης* Platonis Respubl. lib. X. p. 620 seq. cap. 14. p. 510 sq. ed. Ast. ibiq. Proclus. Idem in Tim. pag. 330. et Olympiodorus in Phaedon. ibiq. Fragm. Orphei. pag. 499. 510. Hermann. Diogen. Laërt. VIII, 14. qui hoc placitum Pythagorae attribuit.

314) Recte Heynius ad h. l. ita: „— fere ut de Aegyptiis Herodotus II, 14; cui putes Pindari versus ante

Θεῶν, οἵτινες ἔχαι-
ρον εὐορκίαις,
Ἄδακρυν νέμονται
Αἰῶνα.

Atque hujusmodi hominibus videtur maturior reditus patuisse in corpora recens nascentium hominum. Pindarus certe, probe imbutus doctrinâ Aegyptiacâ, novem adeo annos agnoscit nonnunquam sufficientes ad eluendam faecem terreni corporis, ubi canit in Threnis. [315])

Οἷσι γὰρ ἂν Φερσεφόνα ποινὰν
Παλαιοῦ πένθεος δέξεται,
Εἰς τὸν ὕπερθεν ἅλιον κείνων·
Ἐνάτῳ ἔτει ἀναδιδοῖ ψυχὰν πάλιν.

Cum Pindaro facit quodammodo Hermes apud Stobaeum loco proxime excitando; qui quidem ani-

---

oculos fuisse.“ Nam lege mihi Herodotea, et ad verbum propemodum consentientia reperies. Cujus loci argumentum aperit Costaz. in memoir. sur l'agriculture — des anciens Egyptiens in Memorr. operis Descript. de l'Eg. Antiqq. I. Livr. p. 49 seqq. Quod idem vir doctus *θεοὺς τιμίους* Plutonem et Proserpinam esse suspicatur: *Cererem* dixisset, si meminisset nostri loci apud eundem Herodotum. Pluto autem tanquam *sapiens* et beneficus deus cognitus nobis ex antecedentibus, ubi Platonis locum ex Cratylo p. 403. p. 70. Heindf. et Procli disputata de eo exhibuimus. Neque tamen *Proserpina* aliena ab hoc argumento. Nam Isis infera est Proserpina sive Athor et Venus Libitina. Arguit etiam alter locus Pindaricus proxime laudandus.

315) Apud Platonem in Menone p. 81. p. 348. ed. Berolin. Bekkeri; cf. Fragg. ex Threnis nr. IV. p. 37. Heyn. Atque hos reges praeclaros sapientiâque praestantes adeoque heroas evadere addit poëta.

marum aliquot in terrena corpora delapsarum rectum iter ad superiora, neque vero iteratum circuitum per varia corpora, novisse putandus est; videlicet earum animarum, quae insontes atque sic satis integrae puraeque permanserint.

Contra vero, qui homines in hac vitâ plus minusve corpori indulserint inservierintque, nec minus post mortem in Amenthe, mancipati imperio corporis, nimium quantum recoluerint, ut poetae illud meum faciam, *priscae imitamina vitae:* ii retrahuntur in fatalem orbem, patentem per corpora bestiarum. Eam rem nemo accommodatius ad Herodotei loci verba exponit quam Hermes in fragmento quadragesimo quarto apud Stobaeum [316] — *τούτων τοίνυν τῶν ψυχῶν πολλαὶ αἱ μεταβολαὶ, τῶν μὲν εἰς τὸ εὐτυχέστερον, τῶν δὲ εἰς τὸ ἐναντίον. Αἱ μὲν γὰρ ἑρπετώδεις οὖσαι εἰς ἔνυδρα μεταβάλλουσιν, αἱ δὲ ἔνυδροι εἰς χερσαῖα, αἱ δὲ χερσαῖαι εἰς πετεινὰ, αἱ δὲ ἀερίαι εἰς ἀνθρώπους, αἱ δὲ ἀνθρώπιναι ἀρχὴν ἀθανασίας ἴσχουσιν εἰς δαίμονας μεταβάλλουσαι, εἶτ' ἂν οὕτως εἰς τὸν τῶν θεῶν χορόν· χοροὶ δὲ δύω θεῶν, ὁ μὲν τῶν πλανωμένων, ὁ δὲ τῶν ἀπλανῶν. Καὶ αὕτη ψυχῆς ἡ τελειοτάτη δόξα· ψυχὴ δὲ εἰς ἀνθρώπους ἐλθοῦσα, ἐὰν κακὴ μείνῃ, οὔποτε τεύξεται ἀθανασίας, παλίσσυτος δὲ τὴν ὁδὸν ὑποστρέψει τὴν ἐπὶ τὰ ἑρπετά. Καὶ αὕτη καταδίκη ψυχῆς κακῆς.* — Videntur autem singuli meatus per animalium corpora pertinuisse per

316) Eclogg. physs. et ethicc. lib. I. cp. 52. p. 1000 sqq. Heerenii.

mille annos. [317]) Atque quoniam perpauci tantummodo, in Amenthen delati, continenter obtemperant *Osiridi-Plutoni*, et prorsus sectantur ejus sapientiae praecepta, sed plurimi macularum superiore in vitâ contractarum aliquid retinent: hinc *plurimis migrandum est* per animalium corpora, idque *ternis vicibus*, quae *trium millium annorum* spatium complectuntur. *Propterea Herodotus, qui ejusmodi res arcanas universe duntaxat adumbrare solet, hoc loco universe etiam pronuntiat de circuitu illo tribus annorum millibus absolvendo.* Eodem pertinet illud Pindaricum: *ἐς τρὶς ἑκατέρωθι ter utrobique*, [318]) nec minus illud τρισχιλιοστὸν ἔτος Platonis. [319])

Haec expedita sunt. Illud non item; et Zoëgam quidem p. 295 seq. anquirere vidimus, *utrum illas migrationes in aeternum renovandos crediderint Aegyptii, an certo meatuum numero definierint.* Qui idem tamen suspicatur, tribus migra-

317) Platonis Resp. X, 11. p. 615. p. 304 Ast. Ejusdem Phaedrus p. 249. 6. p. 258. Heindf. et Astius ad Phaedrum pag. 307. cf. etiam Aristid. Oratt. Platonn. pag. 544. pag. 326. Jebb.

318) Olymp. II, 122. 123, ubi Scholiastes recte: ἤγουν ἐν τῷ βίῳ καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ.

319) Locis laudd. Huc Mercurii (Hermetis) *termaximi* epitheton revocat Hermias in locum Platonici Phaedri cap. 29. p. 152. Ast: ἐπειδὴ δὲ καὶ τρίτον δεῖ φιλοσοφῆσαι τὸν ἀποκαθιστάμενον, ὥς λέγει, πάλιν τρὶς τὰ χίλια γίνονται τρισχίλια· ἴσως τοῦτο καὶ ἐκ τῆς ἱστορίας εἰληφώς· οὕτω γὰρ καὶ ὁ Τρισμέγιστος Ἑρμῆς ἐπεκλήθη, ὡς τρὶς ἐνταῦθα φιλοσοφήσας, καὶ τὸ τρίτον ἑαυτὸν ἐπιγνούς. Sequuntur verba Pindari, quae supra exhibuimus integra.

tionibus peractis beatam vitam cum Osiride peragere, creditos esse homines mortuos. Ego his in rebus nihil prorsus ambigendum existimo. Etenim illa *tria annorum millia* congruunt circulo *Sothiaco*, s. *caniculari*, veterum Aegyptiorum, qui et ipse tribus millibus annorum solarium absolvitur. Qua de re breviter monui in Mythologiâ vernacul. Vol. I. p. 283. 284. Hic eandem rem ad nostram quaestionem accommodabo. Nimirum preces illac parentales, quae in consecrando cadavere perorantur, et quas supra ex Euphanto apud Porphyrium exhibuimus, eae disertam mentionem habent *solis*, a quo recipi volunt, peractis purgationibus, hominis animum. Etenim *sol* est in numero *θεῶν ἀπλανῶν*, ad quos exactis migrationibus tandem per chorum errantium deorum, i. e. *planetarum* [320]) pervenitur. Atque haec est *suprema animae gloria* (ψυχῆς ἡ τελειοτάτη δόξα. [321]) Videlicet exacto *magno anno*, s. Sothiaco s. caniculari, justorum atque insontium hominum animae redeunt ad *supremos deos*, h. e. *fixarum stellarum praesides*. *Fit* autem ille reditus per *zodiaci ambitum*, i. e. *per gregem bestiarum siderearum*. Siquidem dii, cum lunares tum planetares atque solares reliquarumque stellarum fixarum praesides, sunt siderea armenta; quorum per pascua ascendunt animae, aliae aliud in stabulum: nobiliores in loca nobilissimorum ani-

---

320) Hermes ap. Stobaeum l. I. ubi recte Heerenius p. 1002: „Chori deorum nempe sunt stellae, quae cum vel fixae sint, vel errantes, duplex inde chorus deorum dicitur.“

321) Hermes ibidem.

malium sive solis, Siriique. *Illarum porro coelestium bestiarum imagines sunt bestiae sacratae in terris, quae sua quaeque per universam Aegyptum in urbibus sacris stabula et sepulchra habent. Hinc mos sepeliendorum hominum in conditoriis sacrarum bestiarum. Hinc in principibus viris feminisque humandis etiam studiose quaesita sepultura in arcula, animalis sacri formam repraesentante. Hinc primordia divinorum honorum bestiis tributorum in ipsius Osiridis cadavere humando.*[322]) *Hinc bos et bucula et canis tria sacrata per omnes nomos animalia. Hinc canino capite insignis Hermes admotus cadaveribus condiendis, eaque adspiciens lustrans et inaugurans.* Quam imaginem tot picturae habent quibus mumiarum velamina decorantur, atque tabulae etiam repraesentant ex Regum cryptis, quae prope Thebas Aegyptias patent, nuper admodum in lucem protractae.[323]) Nec aliunde explicandum illud Persarum *Sagdid*, i. e. *canis adspicit.* Qui ritus ita ferebat, ut moribundi hominis lectulo admotus canis illi per quandam significationem solatium exhibere crederetur vitae fu-

322) Singula haec, suisque quaeque locis supra explicuimus.

323) Cujusmodi unam ex his ipsis Regum sepulchris erutam infra adjecimus, delineatam e lib.: Description de l'Egypte Vol. II. pl. 92. nr. 1. Vide *tabulam nostram nr.* 2. — Canem autem Zoroastris lege sacratum cum alia arguunt, tum canum multitudo in Darii Hystaspis sepulchro exsculptorum. Vid *C. F. C. Hoeckii* librum elegantem, qui inscribitur: Veteris Mediae et Persiae monumenta p. 18. ibique adjectam tabulam I.

turae, in caniculae reliquarumque stellarum fixarum choro aliquando repetundae. Verum haec aliaque explicabo, ubi in his Commentationibus ad locos Herodoteos *de Persarum religionibus* devenero.

Restat enim in Aegyptiacâ transmigrationis doctrinâ unicus scrupulus, qui nuper virum doctum pupugit. Nam quod Zoëga migrandi initium inde repetierat, ex quo corpus dilapsum esset et conversum in cineres, Heerenius addubitavit; siquidem Aegyptii homines corpora condita ac medicata perennare fecerint in omnem perpetuitatem. [324]) Ac reapse est quod explicatum velis in eâ caussâ, et refragari videtur Diodorus Siculus, [325]) cum de Aegyptiis ita prodit: *τοὺς δὲ τῶν τετελευτηκότων τάφους ἀϊδίους οἴκους προσαγορεύουσιν.* — Verumtamen, si quid video, Zoëga recte accepit verba Herodoti: *τοῦ σώματος δὲ καταφθίνοντος de corpore dilapso et in cineres dissoluto.* Nam primum cogitanda sunt nobis rudia et inchoata tantummodo initia condiendorum corporum; quae, ut quidem videtur, e desertis Africae ducuntur, sponte arescentibus cadaveribus sicco vento, et ad tempus durantibus. Deinde, qui pauperes ac tenues per Aegytum tenui rudique artificio post mortem condiebantur: eorum cadavera parum credibile erat in perpetuum duratura, ut omittam nobiliora quoque et generosioribus condîta medicamentis corpora non in perpetuum immunia a corruptelâ esse. Nec magis memorabo, vi, ferro igneque absumta esse nonnun-

324) Zoëga de obel. p. 295. 310. Heeren. Ideen p. 644.

325) Lib. I, 51. p. 60. 61. Wessel.

quam cadavera medicata, velut cum, Cambyse duce, Persae bellatores per Thebaïdem sunt grassati. Et tamen nemo quisquam Aegyptiorum omnium fraudandus eo solatio erat: *animum suum etiam dilapso corpori superstitem fore. Quid igitur fecerunt sacerdotes? Docuerunt bifariam. Plebem imbuerunt eâ opinione, ut crederet, ab evanido corpore, h. e. dilapso, alia ex aliis corpora ingressurum hominis animum: sibi reservarunt eruditiorem sententiam palingenesias.* Qua in re illud nemo objiciet nobis: hoc pacto melius consultum fuisse primariis viris honoratisque, ut qui se condiendos curare possent efficacius ad perpetuitatem formae corporeae, quam cum infimae conditionis hominibus, ut quorum cadavera citius diffluerent. Nam primum nemo nescit, in ejusmodi sacerdotum regumque orientalium imperio quam vim habeat Castarum differentia, et quantum sibi hodieque Indorum optimates indulgeant in extremarum Castarum homines. Deinde vel vilissimae sortis homines, qui post mortem Osiridi vitam suam probassent in Amenthe, poterant mature redire ad superiora, et regum quoque vel nobilium corpora recens nata ingredi. Contra ipsi etiam reges superbi et impii post mortem diris consecrati sunt, et continuo castigatione exagitari crediti a judicibus Diis inferorum. Pindarus [326]) certe in loco ad Aegyptiacae doctrinae indolem efficto, posteaquam defunctorum bonorum sortem praedicavit, de malis *universe* ita pronuntiat:

— τοὶ δ' ἀπροσόρα-
τον ὀκχέοντι πόνον.

326) Olymp. II, 121.

Quod vero *παλλιγγενεσίαν* sacerdotibus attribuo, i. e. *hoc placitum, quod animum humanum determinatum, et a bestiali circuitu immunem post tempus in hominis corpora redeuntem poneret*, movet me Servii auctoritas loco supra laudato, cum *Pythagoram* dicit plane eum in modum statuisse; quem philosophum ipse Herodotus sacerdotum Aegyptiorum discipulum fuisse significat, ut supra firmavimus.

Symbolicus ac tralatus sermo sacerdotum quomodo has res significaverit, nunc longum est exponere, et alibi adumbravimus, *Circen* illam veneficam ad fatalem illum migrationis orbem traductam esse a nonnullis. *Proteum* itidem Homericum adeoque Aegyptium ad vicissitudines materiae primigeniae pertinere voluerunt, quae varias deinceps formas subiret. [327]) Ipsius *Pythagorae* allegoricam duntaxat tralatamque fuisse metensomatosin volunt Dacerius et Olearius. Quorum hic *Indorum* quoque sapientibus nullam aliam nisi symbolicam migrationem attribuit. De Pythagorâ omnia alia sus-

327) Odyss. IV, 417. ubi Eustathius pag. 177. Basil. physicae explicationis hoc documentum proponit: — *φάμενοι Πρωτέα τὴν πρωτόγονον εἶναι ὕλην, τὴν τῶν εἰδῶν δεχάδα. — ὃν δὴ Πρωτέα καλῶς λέγεται ἡ Εἰδοθέα ἐκφαίνειν, διὰ τῆς ἐκ τοῦ δυνάμει εἰς ἐνέργειαν προαγωγῆς, ἤγουν ἡ κίνησις ἡ εἰς εἶδος θεεῖν αὐτὸν καὶ κινεῖσθαι μηχανωμένη.* Non sum nescius talia omnia promiscue damnari ab iis, qui quaecumque philosophis formulis postea demum concepta apparent, continuo ejiciunt. Ego vero, qui probe sciam quam antiquum sit allegoricum docendi genus, res et argumenta ponderanda duco; non formulas ac verba numeranda.

picatum vidimus ipsius paene supparem aetate Herodotum. Indos quod ita sensisse opinatur Olearius, efficere hoc conatur his verbis Iarchae apud Philostratum de Vita Apollonii lib. III, 16. p. 108: *ἡμεῖς ἔφη, ὦ Ἀπολλώνιε, πάντα ὁρῶμεν τὰ τῆς ψυχῆς εἴδη, ξυμβόλοις αὐτὰ μυρίοις ἐξιχνεύοντες.* Sed qui vim vocis *συμβόλων* in conjecturali re auguralique disciplinâ recte consideraverit, [328]) is ex eo certe argumento ejusmodi interpretationem minime suspensam fecerit. Graecorum philosophos alios quam plurimos non nisi allegoricam metempsychosin agnovisse dubitari nequit. Qua de re dicendi otium fecit mihi Wyttenbachii copiosa disputatio. [329]) Neque vulgo Graecorum artifices inque communi vitâ abhorruerunt ab ejusmodi allegoriis; ut qui hominum mortuorum mores ingeniumque in tumulis nota facerent animalium insculptis figuris, avium, gallorum, luporum, canum, leonum, et commenticiorum etiam vel fabulis celebratorum, ut Sirenum. [330])

Hoc tralatum morum describendorum genus non tantopere aspernaturum fuisse arbitror extremae

---

328) Vid. v. c. Wyttenb. ad Julian. p. 158. ed. Schaef. Lips. et Boissonad. ad Philostrati Heroica p. 2.

329) Ad Platonis Phaedon. p. 210 seqq. Ipse eandem doctrinae philosophorum varietatem attigi ad Proclum de Unit. et Pulcrit. p. 78 seq.

330) Sic, ut hoc utar, Laïdis prioris in sepulchro leaenam, quae arietem devoraret, collocandam curarunt Graeci, teste Pausaniâ II. p. 115. cf. Athen. XIII. p. 589 C.; quo rapacem feminae naturam significarent. Plura eam in rem collegit exempla Paciaudius in Monumentt. Peloponn. II. p. 283. seq.

aetatis philosophum Nicephorum Chumnum, quantopere idem aspernatur germanam metempsychosin; cum cavillans ejus doctrinae assertoribus occinit ipsos illos lupos gallosque, scilicet quorum corpora subire cogantur animi hominum nobilissimorum sapientissimorumque. Insigniora adscribam, et haud ineleganti *Anecdoto* huic qualicunque meae disputationi coronidem adjiciam. [331]) — *Καὶ γὰρ, ὦ βέλτιστε, εἰ μὴ ταύτῃ ταῦθ' ἡγεῖτο (Πλάτων), διαπαίζων ἑξῆς πάντας, οὐκ ἂν τοιαῦτα παρελήρει. ἃ δὴ αὐτίκα πεύσῃ. λέγω δὲ ἐν οἷς φησιν λύκων τε καὶ πιθήκων τὴν ψυχὴν μετασκηνοῦν σώματα. εἰς μεγίστην γὰρ ἁπάντων ἀπορίαν προωθεῖται, εἰ ταῦτα ὀρθῶς ἔχει. ἐθέλω μέντοι ἐπειδὴ ἅπαξ ὑπέστην, καὶ σοὶ κοινώσασθαι. — ἀλλ' οὐδ' ἐγὼ πολλά σου ἀκούων ἄχθομαι· τοὐναντίον γε μὴν, θαυμάζοιμ' ἄν, εἰ τοῦδε πρεσβύτερόν τι τῶν ἐμῶν ἀξιοίην· οὐκοῦν εἰ τούτοις πεισόμεθα, ἀνάγκη δήπου τοῖς πρόσθεν ἀπιστῆσαι. οὐ γὰρ οἷόν τε ἅμα καλῶς ἔχειν· το τὲ μὲν τὸν βέλτιστον Σωκράτην ἄνδρα ὄντα μαχόμενόν τε ἐῤῥωμένως ἐπὶ στρατείας, ὡς μηδὲν εἶναι πρὸς αὐτὸν ἐνίους τῶν ἡγεμόνων, τοῖς τε τῶν Ἀθηναίων μειρακίοις εἰς ταὐτὸ γυμνάσιον ὁσημέραι φοιτῶντα, καὶ αὐτὸν χωρὶς ἱματίου παλαίοντα, οὐδὲν ποιούμενον (l. πονούμενον), εἰ γέρων ἤδη εἴη μικρὸν δὲ αὖθις ἀλεκτρύονα γεγονότα, ἐπὶ ξύλου τε εὕδειν, καὶ ἄλλα δὴ ἔκθεσμα ποιεῖν, μητέρα (l. μητέρι) δὴ καὶ ἀδελφαῖς ἐπιχειροῦντα μίγνυσθαι, καὶ ὡς ἔοικεν*

331) E Dialogo mscr. codicis Vaticani nr. 112. cujus auctorem *Nicephorum Chumnum* agnovit *Hieronymus Amatius* V. C., qui me hoc quoque munere impertiit.

ὁ καθαρμὸς δι᾽ ὃν ᾤετο ἄμεινον ἑτέρων βεβιωκέναι οὐδὲν αὐτὸν ὀνίνησιν, αἱ καλαὶ δὲ ἐλπίδες ἐκεῖναι αἷς ἔχαιρεν, ὡς δὴ ἐν ᾅδου συγγενησόμενος Παλαμήδει τε καὶ Ἀχιλλεῖ καὶ ὅσοις ἂν τὸν βίον σωφρόνως διελθεῖν ὑπῆρξεν, οὐδὲν μᾶλλον ὀνείρων τερψάσασαι σπουδῇ ᾤχοντο· ὁ δὲ ἔμελλε καὶ μετὰ τὴν τοῦ φαρμάκου πόσιν ἔτι ἐν Πειραιεῖ ὄνος ὢν ἀχθοφορήσειν. καὶ πρὸς φίλου (fort. φιλίου), ὦ Τιμόκλεις, μή με οἷον παίζοντα τοιαῦτα ἐφεξῆς εἴρειν, πολλῷ γὰρ ἔτι τούτων οἶμαι γελοιότερα τὸν νοῦν προσέχων ἄν τις εἴποι, ἄλλως τε καὶ εἰ εὐφυὴς τὴν διάνοιαν τυγχάνοι ὤν· ἐμοὶ δὲ οὐδ᾽ ἀποτολμᾷν ἀκίνδυνον, οὕτω δέους τῷ ἀνδρὶ ἔχω· ἀπορεῖν μέντοι προθυμοῦμαι μετὰ σοῦ πάνυ θαῤῥῶν· καὶ οὐδεὶς ἐν τῷδε ὄκνος. ἀτὰρ ὁ πρὶν ἔλεγον ὅτι μοι δοκεῖ ὕβρει τινὶ (addendum fort. ἢ) ὀλιγωρίᾳ τοὺς περὶ ψυχῆς ἐνστήσασθαι λόγους, εἰρωνευόμενος ὁμοῦ πάντας, ὅτι ὥςπερ θρε — α (l. θρέμματα) ἀκηκοότες οὐδὲν εἴσονται, μόνος δὲ οἷος τ᾽ εἴη σφόδρα ἑτοίμως ἀνατρέψαι, ἀνατρέψαι τὰς αὐτὸς αὑτοῦ περὶ τῶν ὄντων ὑπολήψεις, αὖθίς τε εἰ προθυμοῖτο κειμένας θᾶττον ἀνεγεῖραι, ὡς μήδὲ ἀντιβλέπειν ὁντινοῦν δύνασθαι. εἰ γὰρ μὴ τοῦτο ἦν ὡς ἐγὼ στοχάζομαι, οὐδὲν τοπαράπαν ἔδει τῶν νῦν λόγων, ὅτι αἱ ψυχαὶ ἡμῶν ὀρνίθων τε καὶ θηρίων οἰκοῦσι σώματα. εἰ γὰρ τοῦτο οὕτως ἔχει, πῶς ἐκεῖνο ὑγιῶς ἔσται, τὸ ἐκ τεθνεώτων τοὺς ζῶντας γίγνεσθαι· δῆλον γὰρ ὅτι ἑκάστη τῶν ψυχῶν κατασχοῦσα τὸ προςῆκον αὐτῇ σῶμα, σπουδῇ ἀνθέξεται, καὶ οὐκ ἀπολείψει, ἔστε δὴ σῶν μένει· οὐ γὰρ ἱκανὴ ἔσται ἅμα κυνί τε καὶ ἀνθρώπῳ ἀποχρῆν. μὴ ἀπολιποῦσα δὲ, οὐκ ἂν ἕτερον ζητήσειε καθάπαξ τοῦ οἰκείου ἐπειλημμένη· εἰ δὲ τοῦτο, οὐδ᾽ ἂν αὖθις

πολλὰ ζώων σώματα ὥσπερ ἐν χορῷ περιοδεύσασα ἐν ἀνθρώπου μεταχωρήσειε. εἰ μὴ δεήσοι πολλὰ παθόντας ἡμᾶς καὶ κωνώπων υἱεῖς εἶναι. καίτοι πολλὰ χαίρειν παῖδες ὄντες ἔφαμεν μύθῳ ἐκ μυρμήκων τῷ Αἰακῷ τὸν στρατὸν ἐξάγοντι. νῦν δὲ ἄρα πεπείσμεθα ὅτι κἂν ἐκ λάων ἄνθρωποι ζῷεν. ὅτι δὲ ὁ λόγος οὗτος καὶ γένεσιν ἀνθρωπίνην ἀναιρεῖ, καὶ τοῖς φαινομένοις μάχεται, ἐντεῦθε μᾶλλόν σοι φανεῖται· ψυχῶν γὰρ ἀνθρωπίνων αἱ μὲν χρησταὶ νόμῳ καὶ παιθείᾳ, αἱ δὲ ἀφροσύνῃ καὶ φαυλότητι πονηραὶ τυγχάνουσιν οὖσαι· εἰ οὖν τούτων αἱ μὲν φαῦλαι ἵππους τε καὶ ὄνους καὶ ἄρκτους καὶ ξυλλήβδην εἰπεῖν θῆρας οἰκήσουσι, ταῖς δ' ἀγαθαῖς ἥμερόν τι καὶ πολιτικὸν γένος οἷον τὸ τῶν μελιττῶν καὶ μυρμήκων οἰκητήριον ἔσται τοῖς ἀνθρώποις· πόθεν ἥκει τὸ ζῆν ἑκάστοτε; οὐ γὰρ δὴ ἐξ ἀνθρώπων γε· οὐδὲν γὰρ ὁ λόγος οὗτος συγχωρεῖ· καὶ μὴν, θαυμαστόν τι δόξειεν, ἄπειρον μὲν χρόνον τῇ σφαίρᾳ τοῦ παντὸς ὀπαδοὺς θεοῖς περιπολούσας, κάλλει τε τοῦ θείου καὶ ἀμβροσίᾳ τρέφεσθαι, ἔπειτ' ἐξεπίτηδες εἰς γῆν πεσεῖν, ἵν' οἰκῶσι τὸν ἀεὶ χρόνον, λυκ (supple λύκων-σώματα vel potius quae plura animalium nomina desunt. Sequitur autem lacuna plurium sententiarum. Et haec sufficiant cognoscendo cum argumento tum ingenio ejus dialogi.)

CAPUT III.

DE ANAGLYPHIS ALIQUOT, TABULIS PICTIS RELIQ. AD COMMUNES VETERUM AEGYPTIORUM RELIGIONES AC LUGUBRIA INPRIMIS SACRA PERTINENTIBUS.

ADJICIUNTUR UNIVERSALIA QUAEDAM DE MUMIIS ET DE LITERIS HIEROGLYPHICIS.

§. 25.

Explicantur aliquot *icones*, *mortuorum judicia et animarum migrationem* exhibentes.

(Ad Herodot. II, 123. aliosque locos.)

Veniamus ad *imagines*, *mortuorum judicia*, *animarum migrationem*, *similiaque* declarantes. Nam quae inde ab Herodoto ad Plutarchum et posteriores verbis adumbrarunt scriptores: earum rerum partem ad oculorum sensum conferre queas, iconibus inspiciendis si operam dederis, quae ad Aegyptiaca haec placita pertinent. Ac quum antehac magna hujusmodi imaginum copia congesta fuerit dispositaque per cultioris Europae musea: dici non potest, quanta iis accessio sit adjuncta, ex quo Francogalli Britannique certatim Thebaidis monumenta descripserunt. Ut cetera praetermittam: quanta copia tabularum delineata est solas animarum vicissitudines

exhibentium! [332]) Ego longe plurima silentio praetermittam. Neque igitur memorabo, quae alia ex hoc genere in Thebaicis tabulis voluminibusque sibi videntur vidisse: Hermetem ibiocephalum, cymbam fatalem cum vectore Charonte, Cerberum, Stygias paludes, mortuorum judices venerando consessu junctos, et quae alia Diodoro illustrando magis inserviunt quam Herodoto. [333]) Nam Herodotea nunc unice nos advertere debent. Ac Historiae patris admonet et ipsius hujus loci (Herodot. II, 123.) mentionem injicit Jomardus in explicando opere tectorio picto Thebis in aede Isidis et quidem in sanctuario. Quae tabula quod Isidem sistit atque Osiridem itemque Hermetem ibiocephalum et lances in medio

332) De quibus vide, quae partim exposuerunt, partim laudarunt tantummodo Becker. in Augusteo I. p. 13. Zoëga de obeliscis p. 295 sqq. p. 308. Boettiger. in libr.: Archaeologie d. Malerei I. p. 46. Heeren in libr.: Ideen II, 1. p. 655 seqq. Beck. in hist. univers. vernac. I. p. 767. ed. alt. coll. 759, tum in Sciographia Archaeolog. p. 45 seqq. Com de Palin. fragmm. sur l'étude des Hieroglyphes III. p. 202—204. Denon. in itiner. ad Tabul. 141. denique Description de l'Egypte Antiquitt. Vol. II. pl. 60. 64. 66. 67. 72. et de voluminibus papyraceis hoc argumentum exhibentibus *Jomard.* sur les hypogées de Thèbes ib. p. 363 sqq.

333) Diodor. Sic. I, 92—96. Priori loco memorabile firmamentum paratur ex volumine papyraceo Thebaico, praecipue si ex duobus codicibus restituas: *ἔπειτα παραγενομένων δικαστῶν δυσὶ πλείω τῶν τετταράκοντα,* quandoquidem reapse hunc ipsum judicum orcinorum numerum praestat ea imago. Vid. Descript. de l'Egypte II. pl. 62. De reliquis, quae supra attigi consule idem opus Vol. I. antiqq. pl. 70. et quae Jomard. disputat Vol. II. Antiquitt. p. 166 seqq.

positas, quibus homo admovetur: agnoscit ille vir doctus *mortuorum deos judicesque* cum sacro scribâ Mercurio; quod eadem tabula quatuor homunculos exhibet mumiarum instar compositos, primum capite humano insignem, alterum cynocephali ore, tertium chacali, quartum denique cuculi; [334]) quod item equum telis confixum, capite abscisso deformem praestat eadem imago: varias *animarum migrationes et mutationes* ingeniose indidem repetiit idem Jomardus. [335]) Jam vir doctus alterius picturae argumentum cum Herodoteo loco conjunctum arbitratur. Dico tabulam parietinam in hypogaeis Thebarum obviam. Habet ea tres figuras, mumiarum speciem prae se ferentes; e quibus prima scarabaeum impositum habet loco capitis humani; altera in capite humano gestat puellam manus extendentem; tertia eodem loco globum, unde emergunt scarabaei ova et ipse scarabaeus atque nascens infans. Quas figuras ita explicat ille vir doctus, ut prima designet *palingenesiam*, cujus tessera sit scarabaeus; tertia *natales hominis*, ubi ex alio corpore aliâque vitâ in humanam vitam transit; altera sive media *confectam*

---

334) Consimiles homunculos urceis superimpositos conspicias in tabulâ nostrâ nr. 2. ubi Hermes corpus mortui compositum inaugurare videtur. Sunt Canobi, de quibus infra videbimus.

335) Descript. de l'Egypte Antiqq. Vol. II. pl. 35. ibiq. Jomard. p. 165. Ego ea tantummodo excerpsi, quae ad Herodoti locum spectarent. Caeterum ejus picturae similem aliam suppeditat Denon. itiner. pl. 141. indeque: Rhode über den Thierkreis. p. 34 seq. Eam Denonius ad initia mysteriorum revocarat: in alia abit Rhodius l. l.

hominis conditionem, ubi, peractis migrationibus, in puelli corpus anima revertitur.

Insigniorem autem *judicis inferorum* et animae *transmigrantis* significationem habet ea icon, quam lineari arte expressam infra subjecimus. [336]) Protracta est ipsa quoque e cryptis Thebarum, pertinetque ad ea volumina picta, quae hominis extremum supplicium exhibet. Cujusmodi supplicia hominum, quorum e capitibus sanguis profluit, in ejusdem spelaei, unde illud volumen provenit, parietibus expressa videas. Jam, ut Jomardianam tabulae nostrae explicationem praemittam, agnoscit ille ibidem hominis *malefici extrema fata ac vicissitudines;* videlicet *Osiridem* mortuorum judicem, in solio sedentem; ei admotum *reum*, qui *judicii* sui tesseram *bilancem* in humero gerat; infra in gradibus stantes *novem judicii quasi assessores;* porro *cymbam* imposito *porco* vel *hippopotamo*, quo judicio constituta poena significetur, nimirum maleficum hominem, qui securi percussus sit, nunc ex Osiridis judicio abire in foedum animal. Etenim hippopotamum esse symbolum ingrati animi, injustitiae ac violentiae (Horapollin. Hieroglyph. I, 56. II, 37.) Abigi autem reum in bestiam conversum ab Hermete, quem caput caninum insignem faciat (Costaz. l. l. agnoscit simiam ex genere earum, quae

---

336) Vid. *tabul. nostr. nr.* 3. 4. 5. 6. 7. Refert autem minore modulo imaginem, e volumine papyraceo Thebaico expressam, in grandi opere Descript. de l'Egypte Antiqq. Vol. II. pl. 83. fig. 1. Cujus argumentum adumbravit breviterque explicare studuit Jomard. ibid. p. 579; qui assentientem nactus est Costazium ibid. p. 408.

canina fere capita gerant.) Esse autem abactorem illum Mercurium *ψυχοπομπόν*, Homero etiam cognitum (Odyss. XXIV, 1.)

Haec Jomardus. Cujus explicationem uti ipse universe amplector: ita sigillatim expedire nonnulla studebo, quae ille silentio praetermisit. Ac primum in novem gradibus locatos novem homines esse in mortuorum judicio assessores facile sibi persuadere patiatur, qui in memoriam sibi redegerit, quae supra in migrationis animarum doctrinâ de *novenario numero* exhibuimus. *Osiridem* etiam (*Nro.* 3. *tab. nostr.*) mortuorum judicem notabilem reddit et lituus et clavis Niliaca (sive Aegyptiorum Tau) praeter tiaram. Neque vero omittendus *flos loti*, ab ejus humero suspensus, vitae per vices redeuntis vulgata tessera. Quam rem infra suis argumentis firmabimus. Neque minus vitae primigeniae naturaeque fecundae significationem habet *ovum* ante Osiridem locatum, et rursus interpositum lineis (nr. 7.). Etenim Cnephum deum, docebant Aegyptii, emisisse ovum, unde alter deus prodiret itemque opifex mundi Phtha (Euseb. Praepar. Evang. III, 11. p. 115.) [337]. Neque vero *dimidiatum ovum*, sive *hemicyclium*, illi ovo integro suppositum (ibid. nr. 3.), ab eâ significatione abest, ut quod et ipsum vitam alternantem, orbem mundanum, cum superum tum inferum, ac lucis caliginisque vices declararet. De qua re non iterabo, quae alio loco posui, praecipue ad Dioscurorum fabulas

---

337) Eam in rem plura congessi in Mytholog. III. p. 324 seq.

Helenaeque illustrandas. [338]) Hac datâ occasione illud faciam, ut cum lectoribus meis communicem docti scriptoris Graeci locum, qui ad hieroglyphicas literas universas pertinet. Quae cum tam spissis etiamnum tenebris obscuratae jaceant: nil spernendum est quod iis vel exiguam lucem afferre videatur posse. Nimirum Damascius mscr. [339]) ubi Pythagoricorum symbolorum mentionem facit, quibus etiam illud hemicyclium accenset, attigit Aegyptiaca aliquot hieroglypha: *Δια τί γὰρ τῷ μὲν τὸν κύκλον ἀνιέρουν οἱ Πυθαγόριοι (Πυθαγόρειοι) τῷ δὲ τρίγωνον, τῷ δὲ τετράγωνον, τῷ δὲ ἄλλο καὶ ἄλλο τῶν εὐθυγραμμάτων σχημάτων, ὡς δὲ καὶ μικτῶν, ὡς τὰ ἡμικύκλια τοῖς Διοςκούροις. Πολλάκις δὲ τῷ αὐτῷ ἄλλο καὶ ἄλλο ἀπονέμων κατ᾽ ἄλλην ἰδιότητα ὁ Φιλόλαος ἐν τούτοις σοφὸς καὶ πότε ὡς καθόλου εἰπεῖν, τὸ μὲν περιφερὲς κοινὸν σχῆμα ἐστὶ πάντων τῶν νοερῶν θεῶν, ἢ* (fort. ᾗ) *νοεροί· τὰ δὲ εὐθύγραμμα ἰδία ἑκάστῳ ἄλλα ἄλλων, κατὰ τὰς τῶν ἀριθμῶν τῶν γωνιῶν καὶ τῶν πλευρῶν ἰδιότητας· οἷον Ἀθηνᾶς μὲν τὸ τρίγωνον, Ἑρμοῦ δὲ τὸ τετράγωνον. ἤδη δὲ, φησὶν ὁ Φιλόλαος, καὶ τοῦ τετραγώνου ἥδε μὲν ἡ γωνία τῆς Ῥέας, ἥδε δὲ τῆς Ἥρας, ἄλλη δὲ ἄλλης θεοῦ· καὶ ἅλος ἐστὶν ὁ θεολογικὸς.*

---

338) In Mythologiâ. II. p. 311. Adde Neoclis locum apud Athen. indeque apud Eustath. ad Odyss. XI, 298. p. 437. Basil., qui e lunâ delapsum tradiderat ovum, unde Helena exclusa esset.

439) In commentario inedito in Platonis Parmenidem Cod. Monac. nr. 5. fol. 241. vers. Ejus libri apographum acceptum refero liberalitati *Koppii*, nuper alumni nostri, nunc in Lyceo Monac. Regio Professoris.

περὶ τῶν σχημάτων ἀφορισμός. ἀλλὰ πρὸς τὸ δέκατον ἐπὶ πᾶσι λέγωμεν ὃ καὶ πάλαι· ἐδόκει συμπεριλαμβάνεσθαι κοινότερον καὶ τὸ ἐν γωνίαις σχῆμα, κἂν μὴ συγκλείῃ, καὶ τὸ ἐν μιᾷ γραμμῇ ὁρώμενον· καὶ ἡ συγκλείουσα ἕλιξ, ἔστω ἡμῖν σχῆμα, ὡς ἐν θεολογίᾳ· καὶ γὰρ ἥδε θεῷ τινι, ὡς τὴν γωνίαν ἀνιεροῦσιν οἱ Αἰγύπτιοι, καὶ ἡ ἕλιξ, καὶ πολλὰ ἄλλα μὴ συγκλείοντα σχήματα παραλαμβάνεται· ὡς παρὰ μὲν Αἰγυπτίοις τὸ Τὲτ ὀνομαζόμενον, ὅ ἐστιν εὐθεῖα ὀρθὴ μία, καὶ τρεῖς πλάγιοι ἐπ' αὐτῆς· ἤτε κορυφαία καὶ δύο μετ' αὐτήν· καὶ ἔτι παρὰ Ἡλιοπολίταις, [340]) ἄλλοτι· καὶ παρὰ Γαζαίοις ἄλλο τοῦ Διός, [341]) τί δεῖ πολλὰ λέγειν; οἴτε καὶ οἱ θεοὶ ἐν τοῖς λογίοις κυρτῷ σχήματι συρομένην παραδεδώκασι μίαν γραμμήν· καὶ πολλὴ τοῦ γραμμαίου σχήματος παρ' αὐτοῖς ἡ χρῆσις. Qui locus de figuris numerisque Pythagoricorum Aegyptiorumque, quatenus ad hieroglyphorum figuras adhiberi possit, judicabunt ii, qui nunc cum maxime in his rebus explicandis versantur viri docti Åckerbladius, Palinius, alii.

340) Herodotus II, 3. postquam narraverat se Heliopolin quoque venisse sciscitatum de Aegyptiorum rebus antiquis, subjicit: οἱ γὰρ Ἡλιουπολῖται λέγονται Αἰγυπτίων λογιώτατοι. „Heliopolitae enim dicuntur ex omnibus Aegyptiis peritissimi antiquitatis.“ Eorum sacerdotum domicilia memorans Strabo XVII. p. 806. p. 557. Tzsch. laudes eorundem refert tanquam φιλοσόφων ἀνδρῶν καὶ ἀστρονομικῶν antiquitus. De Heliopoli urbe, quae Moysi *On*, vid. Jablonski Vocc. ibiq. Te Water 184 seq. Silvestre de Sacy lettre à Mr. Chaptal sur l'inscript. de Rosette p. 32 sq. et Champollion. l'Egypt. s. l. Ph. II. p. 36 seqq.

341) De Jove Gazaeorum, qui etiam Marnas (dominus) dictus, vid. quae laudavi in Mytholog. II. p. 84.

Ego nec de *lineis* illis quaeram, quorum triplex series in tabulâ nostrâ conspicitur diverso numero; quem fortasse quispiam ad numerum annorum referat, per quos variam fortunam subeat anima rei, quem judicari in mortuorum foro suspicamur. Verum ego in hac caussâ haudquaquam hariolabor. Revertor ad ea, quorum sensum scriptorum fides arguit. Atque *alterum hemicyclium* interpositum videas binis *lineis caeruleis serratis*, vel potius *undantibus;* quas quidem nemo nescit *aquae* vim habere. Ovum autem, cum integrum tum dimidiatum, in rerum naturalium primordiis significandis *aquae* immissum ferri constat. Vide modo, quae proxime ex Mythologiâ nostrâ indicavimus. Aquarum porro significatio pertinet nec minus ad terrenam illuviem ac faecem, vitamque terrenae faeci ac illuviei immersam sensilibusque rebus obnoxiam declarandam. Hinc fortasse *caeruleum*, depictum in tabulâ nostrâ, (*nr.* 3.) sontis ac flagitiosi hominis *amiculum*, hinc forte *caerulea bilanx* in ejus humero suspensa, hinc *caerulei abactores* rei in porcum transfusi. (*nr.* 4.) Ac *de porco* non est quod pluribus exponam. De quo Plutarchus in Symposiacis IV, 3. p. 671. p. 742. Wytt. *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὸ θολερὸν περὶ τὴν δίαιταν τοῦ θρέμματος ἔχει τινὰ πονηρίαν,* addens, ejus bestiae oculos humi defixos nil coelestium rerum adspicere. Quo cum loco componendus is est, ubi idem Aegyptios refert iis corporibus sacrificandum duxisse, *quae animas impiorum et injustorum hominum in alia corpora transeuntes exceperunt.*[342])

342) Ubi Wyttenbachius de var. lectione monet:

Atque porcos illos, in quos Homerus Ulixis comites conversos facit, nemo nescit Socrati etiam ad mortalem tesseram adhibitos esse. Porphyrius autem in libris de Styge ad animae migrationem revocat hanc fabulam. [343]) De hippopotamo quod item cogitat Jomardus, Horapollinis testimonio usus, poterat etiam Praenestini operis tesselati (musivi) admonere, in quo hippopotamus telis configitur, ut alia taceam: verumtamen mihi altera ejus ratio potior videtur, quae *suem* ponit in nostrâ tabulâ.

Impeditior quaestio nascitur nobis de *quatuor volucribus superne positis, quae singulae virgineum caput gerunt, impositâ vittâ sacerdotali,* sive *calanticâ* (*tab. nostr. nr.* 5.). Ac primum forte quispiam de *Harpyis* conjecturam faciat, qui acerbam mortem reputet rapacemque fortunam hac tabulâ exhibitam, et in mentem revocet illud Herodis Attici in Anthologiâ vs. 14:

῞Αρπυιαι Κλωθῶες ἀνηρέψαντο μέλαιναι,

quibus ortum dedere Homericae illae (Odyss. VII, 197.):

Αἶσα Κατακλῶθές τε βαρεῖαι.

συνείληφε al. *συνείληχε.* Sues autem et subulcos, quo odio habuerint Aegyptii, et quomodo sues hostiae loco tantummodo habuerint, explicat ipse Herodotus II, 47. 48.

343) Apud Stobaeum Eclog. I, 52. p. 1046. Heeren: *τὰ δὲ παρ᾽ ῞Ομηρον περὶ τῆς Κίρκης λεγόμενα θαυμαστὴν ἔχει τῶν περὶ ψυχὴν θεωρίαν.* Subjicit versus Homericos ex Odyss. K. 239 seqq. Socratis explicationem servavit Xenophon. Memorabil. I, 3. 7. De *Circe* ac porcorum symbolo plura disputavi ad Plotin. de pulcritud. p. LXXIII. et p. 280 seqq. quae iterare h. l. nolo.

Ad quem locum consule Eustath. p. 28 seq. itemque ad Iliad. XXIV, 525, unde discas significari his *εἱρμόν τινα καὶ κύκλον, καὶ εἵλησίν τινα καὶ στροφὴν τῶν ἐν γενέσει πραγμάτων οὐκ ἐχόντων μένειν ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ.*[344]) Neque tamen, ut alia praetermittam, haec ipsa avium Aegyptiacarum, quales tabula nostra dat, species cum Harpyiarum specie congruit, quas in veteribus numis sibi videntur vidisse Begerus in Thes. Brand. Vol. III. p. 371. ac Spanhemius l. l. Proinde si memineris has Aegyptias volucres symbolicas ad *mortuorum* res pertinere, atque consimiles avium figuras e ligno sycomori confectas reperiri in cryptis Thebarum[345]): haud dubie advertat te locus Platonis in Cratylo p. 403. d. p. 70. Heindf. p. 45. Bekker: *Διὰ ταῦτ' ἄρα φῶμεν, ὦ Ἑρμόγενες, οὐδένα δεῦρο ἐθελῆσαι ἀπελθεῖν τῶν ἐκεῖθεν, οὐδὲ αὐτὰς τὰς Σειρῆνας, ἀλλὰ κατακεκηλῆσθαι ἐκείνας τε καὶ τοὺς ἄλλους πάντας· οὕτω καλούς τινας, ὡς ἔοικεν, ἐπίσταται λόγους λέγειν ὁ Ἅιδης κ. τ. λ.* „Hac de caussâ dicendum, Hermogenes, neminem huc illinc velle reverti, neque etiam *Sirenas ipsas:* imo et eas et ceteros omnes

344) De Harpyiis plura dicendi otium fecerunt Salmasius ad l. l. ad dedic. Stat. Regill. pag. 96. et 241. Ez. Spanhem. de Usu et Praest. Num. I. p. 260. 261. Huschke de Vasculo Locris invento p. 17, quem Jacobsius consuli vult, vid. Addend. ad Antholog. Palat. Vol. III. p. xcv.

345) Icones suppeditat opus, quod saepe laudavimus, Descript. de l'Eg. Antiqq. Vol. II. pl. 47. fig. 4. pl. 83. fig. 1. pl. 96. fig. 1. De quibus nil certi apud editores reperias. Vid. ibid. pag. 355. Quocirca mihi periclitandum est.

suavissimis *Plutonis* orationibus demulceri.“ Ad quae Heindorfius ita: „*Sirenum* in sepulchris frequens est mentio; apud inferos an alibi illae memorentur, ignorare me confiteor.“ Haec ille. Plato l. l. Plutonem praedicat tanquam regem sapientem, qui subditos sibi suâ mansuetudine detineat, ac meliores reddat, ita ut ne Sirenes quidem, quae tamen rerum fluxarum delinimenta ac lenocinia sint, ab inferis redire in lucem cupiant. Adscribamus quae ad hunc locum annotavit Proclus mscr.: *ὅτι τρία γένη Σειρήνων οἶδεν ὁ μέγας Πλάτων· οὐράνιον, ὅπέρ ἐστιν ὑπὸ τὴν τοῦ Διὸς βασιλείαν*·[346]) *γενεσιουργὸν, ὅπέρ ἐστιν ὑπὸ τὸν Ποσειδῶνα· καθαρτικὸν, ὅπέρ ἐστιν ὑπὸ τὸν Ἅιδην· καὶ ἔστι κοινὸν αὐτῶν πασῶν τὸ διὰ τῆς ἐναρμονίου κινήσεως ὑποκατακλίνειν πάντα τοῖς ἑαυτῶν ἡγεμόσι θεοῖς· διόπερ ἐν οὐρανῷ μὲν τὴν ψυχὴν οὖσαν ἑνίζειν θέλει ταῖς ἐκεῖ διαγωγαῖς· ἐν δὲ τῇ γενέσει ζώσας παραπλέειν αὐτὰς προςήκει κατὰ τὸν Ὁμηρικὸν Ὀδυσσέα* (Odyss. XII, 165 seqq. coll. 40 seqq.)· *εἴπερ καὶ ἡ θάλασσα γενέσεως εἰκὼν, ἵνα μὴ θέλγωνται ὑπὸ τῆς γενέσεως· ἐν δὲ τῷ ᾄδῃ γενομένας συνάπτεσθαι διὰ τῶν*

346) Plato de Republ. X, 12. p. 617. p. 307. Astii, qui in annotatt. p. 631. cum alia commodum contulit, tum haec Macrobii in Somn. Scip. II, 3. „Hinc Plato in Republicâ suâ, cum de sphaerarum coelestium volubilitate tractaret, singulas ait *Sirenas* singulis orbibus insidere, significans, sphaerarum motu cantum numinibus exhiberi. *Nam Siren Dea canens* graeco intellectu valet.“ Adde de Sirenibus alia congesta ab interprett. ad Sibyllina oracula lib. V. p. 633. seqq. ed. Gal.

νοήσεων πρὸς τὸν θεὸν τοῦτον· ὥστε οἶδεν ὁ Πλάτων ἐν τῇ τοῦ Ἅιδου βασιλείᾳ γένη θεῶν καὶ δαιμόνων καὶ ψυχῶν αἳ περιχορεύουσι τὸν θεὸν, ὑπὸ τῶν ἐκεῖ Σειρήνων θελγόμεναι.

Haec igitur quempiam in hanc cogitationem deducere queant, ut in tabulâ nostrâ has ipsas Sirenas inferorum conspici arbitretur; h. e. *eas Sirenas quae super caput Osiridis-Plutonis locatae et ipsae detineantur ejus sapientiâ, et vero reliquos Manes ad meditandum et resipiscendum alliciant.* — Verumtamen plura obstant ei explicationi. Nam primum Sirenum species longe diversa est in reliquis veterum monumentis. Haec Sirenes potius tanquam *virgines* sistunt, corpore humano, (ora, brachia, manus, pectora quod attinet) exceptis cruribus pedibusque gallinaceis [347]: tabula vero nostra volucres exhibet ore tantum virgineo. Nec minus impedimento est tabulae nostrae reliquum argumentum,

347) Vid. Spanhem. de Usu et Pr. N. I. p. 251. (ubi p. 256, *Stymphalis* avis propius aliquanto accedit ad nostrae iconis similitudinem.) Paciaudi Monumm. Peloponn. I. p. 139. Millin. Galerie mytholog. I. tab. 13. fig. 313. tab. LXXX. fig. 312. adde ejusdem Annales encyclop. anni 1818 Januar. p. 113, ubi opus musivum attingitur, prope Roman repertum in villâ Tor-Marancio; in quo Sirenum pedes gallinaceos agnoscas. Neque vero tacendum est illud, quod in codice Colbertino ad Jobi XXX, 29. ἀδελφὸς δὲ γέγονα σειρήνων, ejusmodi *Sirenis* species appicta est, quae praeter faciem virgineam, nihil humani habet. Dedit iconem Montfaucon in Diario Italico pag. 191. quam non neglexit Biel. in Thes. V. T. III. pag. 267. 268.

modo verum vidit Jomardus. Videlicet ad flagitiosi hominis fortunam nihil pertinere videntur *illae Sirenes*, quas Proclus *bonae mentis ac modestiae effectrices esse dicit*, ac Plato ipse Plutonis sapientiâ dicit retineri apud inferos. Iste vero reus voluptatum fluxarum gurgite se immerserat, eâque caussâ convertitur in porcum. Ni fortasse ei sermoni ita velis occurrere, ut dicas, hanc ipsam ob caussam abigi eum flagitiosum in aliam oram semotam a bonis Sirenibus, quae sinistram partem tabulae occupant: ille vero abigitur dextrorsum. [348])

Igitur alia sunt circumspicienda nobis. Ac si in ejusmodi tesseris *numerus* ut plurimum valet, praesertim in orientalium populorum symbolis: suspiceris, non forte fortùnâ fieri ut *volucres* hîc (in tabulâ nostrâ) exhibeantur *quatuor*. Pendere eae videntur quasi in tecto vel *lacunari* regiae Osiridis, *regis inferorum ac judicis mortuorum*. Jam lege mihi illa Philostrati in vitâ Apollinii I, 25. p. 34. Olear. qui Babylone in eo conclavi, *ubi rex judicium faciat*, *quatuor Iynges aureas memorat e lacunari pendere*, *quae Regem eundemque judicem admoneant*." — *δικάζει μὲν δὴ ὁ βασιλεὺς ἐνταῦθα· χρυσαῖ δὲ ἴυγγες ἀποκρέμανται τοῦ ὀρόφου τέτταρες*,

---

348) Quae res nec ei conjecturae faveat, si cui forte in mentem veniant *νυκτερίδες vespertiliones*, quibus comparat mortuorum animas a Mercurio abactas poëta Odyss. XXIV, 6 seqq. licet aliunde haec ipsa imago poëtae lucem accipiat ab Aegyptiarum vespertilionum e spelaeis evolantium stridore, observantibus doctis Francogallis in Descript. de l'Eg. Vol. II. Antiqq. p. 315.

τὴν Ἀδραστείαν αὐτῷ παρεγγυῶσαι, καὶ τὸ μὴ ὑπὲρ τοὺς ἀνθρώπους αἵρεσθαι· ταύτας οἱ μάγοι αὐτοί φασιν ἁρμόττεσθαι, φοιτῶντες ἐς τὰ βασίλεια. καλοῦσι δὲ αὐτὰς θεῶν γλώσσας. Ubi cum alia congessit Olearius, tum vero etiam haec: „Ex oraculis Chaldaeorum praesentem locum optime explicari posse putem, ubi vs. 115. de Iyngibus, quae *νοούμεναι πατρόθεν* dicuntur, *καὶ νοοῦσαι αὐταὶ,* suntque adeo classis Spirituum, de quâ plura Stanlejus Philos. or. I, 2. cap. 5. de illis oracula addunt:

Βουλαῖς ἀφθέγκτοισι κινούμεναι ὥστε νοῆσαι.

h. e. *ineffabilibus* eas *consiliis excitare notiones.* Earum ergo figurae et symbola quaedam hîc suspensa, quibus numine suo praesentes *Ἀδραστείας* et modestiae *νοήσεις* apud Regem excitent.“ Haec ille. De hac volucre plura alia nuper adhibui Philostrato, [349]) quae h. l. repetere nolo. Illud attingam: Iynges si hoc loco admittas, non negligendam esse virgineam faciem et calanticam sacerdotalem, quae humanitatis ac sanctitatis admonere unumquemque debent. Deinde h. l., ubi Osiris Rex divinus ac justus judicium facit, Iynges cogitandae sunt tanquam ejus justitiae

---

349) Ad Jos. Bekkeri Specimen Philostrat. p. 85. 86. Unum illud excerpam: Damascium philosophum etiam disputasse de Iyngibus sapientiae symbolis et de ipsorum numero, *quem ternarium excedere docet.* Nemo nescit vulgo in amatoriis rebus memorari Iynges apud veteres. Cujusmodi *Iyngem auream* Veneri dicatam canit anonymus poëta in Anthologia gr. Vol. III. pag. 173. pag. 140. Jacobsii.

ac sapientiae amicas, ac socias, quae Adrasteae sive Vindictae divinae consilia accinunt reliquis, h. e. assessoribus judicii et reo. Hoc certum, speciem Iyngis, qualem probabiliter exhibent [350]) vasa vetusta Graecorum, si virgineum caput excipias, non abhorrere ab hac specie, quae Aegyptius tabulae nostrae pictor sibi informaverat. Ac fortassee volucres illae quatuor pertinere videantur ad meliorem partem, h. e. ad eam quae meliorem fortunam significat. Atque Hermes ap. Stobaeum Eclog. I. p. 1002. Heer. *migrantes hominum animas ex volucribus continuo humana in corpora redire dicit. Itaque hanc ipsam explicationem, quae Iynges* h. l. *agnoscit, ceteris meis conjecturis praeferendam existimo.*

Sed tamen, utut est: hoc reliquum est ac certum: tabulam hanc nostram in *mortui hominis cistâ repertam imaginem sistere*, in eâque *conspici* et *χερσαῖα καὶ τὰ θαλάσσια ζῶα* et vero *πετεινὰ* quoque, quae *Herodotus nostro loco* (II, 123.) in animae migrationibus memorat. Nam nec maris significatio deest, vel certe aquarum, nec hydri sive serpentis aquatici, uti videtur. *Hermeti* autem admota serpens (*tabul. nostr. nr.* 6.) item *perseae folium* ad spem restituendae in statum pristinum animae pertinere suspiceris. Verum de Hermete ac perseâ nos videbimus ad reliquas imagines (tab. nostr. nr. 2. et nr. 8.)

---

350) Vide v. c. Millini Vasa antiqq. Vol. I. tab. 3. et Galerie Mythol. II. tab. 104. nr. 444.

§. 26.

Hermes ἐνταφιαστῆς ac ψυχοπομπός, vitaeque redeuntis auguria.

Revertendum est enim ad *tabulae nostrae* eam iconem, quae *nro.* 2. inscribitur; [351]) quam supra obiter attigi et ad Hermetem mortuorum curatorem servatoremque retuli. Hoc vero loco in antecessum haec quaestio nascitur nobis: an hic ipse homo, quem bestiae capite insignem, cadaver rite condîtum contrectare videmus, reapse *Hermes* sit, sive *Mercurius Aegyptius*. Nam, ut hinc ordiar, in Descriptionis Aegypti editoribus Gallicis exstitit vir doctus, qui contenderet in Aegyptiacis picturis multis eum sacerdotem, qui cadavera condiret, lupi cervarii (s. ϑωὸς, chacali) personâ tectum exhiberi, eamque bestiam pertinere ad significationem sepulturae. [352]) Qua de re ipse viderit. Nos in nostrâ quidem tabulâ negamus eam bestiam exhiberi. Neque enim condîtur hîc cadaver, sed condîtum retractatur. Lupum autem proprie sic dictum hac in tabulâ agnoscat forte qui legerit, quae nuper hanc in rem disputavit ad picturas sepulchrales Aegyptias musei Caesarei Vindobonensis *Eques de Hammer*, vir illustris. [353]) Qui quidem haec duo docere instituit: primum in ejusmodi imaginibus *lupi* esse os longius et porre-

---

351) Expressam ex icone, e sepulchris Thebarum protractâ; quam dedere Francogalli in l.: Descript. de l'Eg. Antiqq. pl. 92. nr. 1.

352) Descript. de l'Eg. II. p. 355 seq. ad pl. 58. 59. 72. 73. 74. 75.

353) In libr.: Fundgruben des Orients Vol. V. part. 3. p. 275. 276 seq.

ctum itemque arrectas aures: *canis* contra os brevius auresque demissas. Deinde lupum Typhonis s. mali genii bestiam saepiuscule cadaveribus admotum reperiri in iconibus Aegyptiorum, ita ut cum Osiride, bono Deo vel genio, de hoc ipso corpore decertare videatur. Ego de lupo in mumiarum pictis involucris nonnulla exhibebo ad tabulae nostrae nr. 8: hoc loco illud unice proferam: os porrectum auresque arrectas etiam in canino capite conspici per Aegyptiaca monumenta. Et, ne multa, ipse Anubis sive Hermes hujuscemodi caput gestat impositum in gemmâ Stoschianâ Vol. I. nr. 9. Atque Mercurium Aegyptium ibi conspici dubitare nos non sinit et caduceus et vero oleae surculus, [354]) quos ille deus in manibus gestat. Et vero in nostrâ tabulâ ille homo solitarius exhibetur, neque ullum certaminis vestigium exstat. Neque vero cuiquam obscurum est, quas partes Anubidi, canino capite notabili, ipsisque canibus tribuat in Osiridis cadavere investigando princeps fabula de morte Osiridis apud Plutarchum in libro de Iside p. 356. p. 436. Wytt. Deinde canis in hieroglyphis tanquam vespillo seu ἐνταφιαστής memoratur Horapollini lib. I, 39. p. 52. 54. Neque plura proferam, quae *latratorem Anubin in extremis Osiridis adeoque reliquorum mortuorum eventis primarium locum habere satis arguunt.* [355])

---

354) Vid. ad eam iconem Winckelmannum Vol. I. pag. 52. ed. vernac. Schlichtegrolli. Nimirum Hermetem oleae satorem inventoremque ferebant fabulae Aegyptiae. vid. Champollion l'Egypte sous l. Phar. Tom. I. p. 317.

355) Cf. Zoëga de obeliscc. p. 304. 320. seqq. 329. Adde Boettigeri Ideen zur Arch. der Malerei p. 48. p. 61.

Quae cum ita sint, faciundum existimo cum iis viris, qui illum hominem bestiae capite insignem, cadaverque retractantem, *Anubin caninum* esse dictitant.[256]) Neque ubi alio modo, v. c. oppositis inter se duobus aut quatuor figuris, caninus ille sive deus sive genius comparet in mumiarum involucris depictus: igitur nec illic negabimus *Anubin* conspici. Vide, ut hoc utar, Montefalconium in Antiq. expliq. Supplem. Tom. II. pl. 37. pag. 139 seqq. et Heynium in Notit.

Caeterum Hermetem Aegyptium cynocephali h. e. *simiae* cynocephali (κυνοκεφάλου) protomen pro personâ gerere contendunt Lancret, Jomard, et Costaz in Descript. de l'Eg. Antiqq. Vol. I. p. 27. Vol. II. p. 552. p. 408. Hoc certum, Horapollinem ita de hoc simiarum genere loqui, ut diserte literarum atque Mercurii, literarum inventoris, sacrum dicat I, 14. p. 26. 28. De hac simiâ vid. Aristotel. H. A. II, 8. Aelian. H. A. IV, 46. Strabo lib. XVII. p. 812. p. 583 seq. Tzsch. et Editores; Winckelmann. Hist. Art. Vol. I. p. 324. ed. Dresd. noviss.

356) V. C. Middleton in Antiqq. Middlett. p. 263 ad tab. XXIII. Quod idem vir doctus *medici* munere fungi Mercurium opinatur, fefellit eum ratio, cum σπονδεῖον *aquae lustralis plenum* pro cultro haberet. Tu vid. Zoëgam et Boettiger. l. l. et Hammerum l. l. qui Lethaeum poculum mavult agnoscere. Quae explicatio cum Zoëgae ratione congruit. Nam qui rem accurate expendat, intelligat necesse est, Hermetis σπονδείῳ *eam vim tribui, ut potantes oblivisci faciat misellae vitae oblectamenta et lenocinia.* Quod Heynius in spicil. antiqq. mumiar. p. 21. de vase cogitavit, succis balsamisque ad codiendum repleto; Blumenbachius autem in libr. Beiträg. zur Naturgesch. II, p. 65. viscera in eo vase inesse cogitari vult, in fluvium projicienda, et quae alia forte alii conjectarunt, nunc quidem exponere longum est. Mihi magis arrident *Lethaea illa libamina.*

mumiae Gottingensis pag. 10—12; qui in illâ unâ mumiâ ter depictum sibi videtur vidisse Anubin, semel assidentem genu elevato, in morem orientalium hominum, bis stantem. Ac plane gemina figura comparet in mumiae tegumento picto, et quidem in infimâ scutulâ, *tabulae nostr. nr.* 8. nimirum vel genius vel deus vel sacrificulus, canino capite notabilis, quem item *Anubin* dicas vel eum, qui in pompâ Anubis partes gerat. Utut est, significationem si spectas, *semper remanet nobis Hermes, qui cadaver hominis rite conditum inaugurat et immortalitati consecrat.*

Venio ad lectum feralem explicandum, *leonino capite* insignem, itemque istiusmodi *caudâ et pede uno.* Eam formam haec pheretra Aegyptia habent.[357]) Leonis autem tesseram Aegyptiis pro Nilo inundante usurpari solitam diserte loquitur Horapollo I, 21. p. 36. Pauw. Loquuntur item calendaria Aegyptiaca, quae Nili ascensum ei tempori assignant, quo sol leonem ingreditur.[358]) Loquuntur anaglypha Thebaica et ipsae quoque aquarum colliciae, in templorum fastigiis prominentes.[359]) Quae res dici non

357) Ne plura, confer Middleton. et Montfaucon. tabb. laudd. Adde Hammer. qui in Vindobonensi picturâ eandem formam offendit, et Carpentoractensis etiam tabulae geminae (Mem. de l'Acad. des Inscr. Tom. XXXII. p. 734.) admonet. Alia similia pheretra Thebaica suppeditat opus Francogall. Descript. de l'Eg. Vid. ibid. ut hoc utar, Antiqq. Vol. II. pl. 44. et pl. 59.

358) Zoëga de obeliscis p. 290. 305. 329.

359) Quae in eâ terrâ, ubi nunquam fere pluit, ad *solum leonem sidereum ac Nilum inundantem* per signifi-

potest quam late pateat, et ad Graecorum etiam Romanorumque monumenta pertineat. [360]) Aegyptiorum autem fabula ita ferebat: *Nilo devectum esse Osiridis cadaver usque ad ostia et tractum maritimum.* Hinc Nili inundantis ac vegetantis adeoque aquae salutiferae cogitatio mature conjuncta cum morte Osiridis et vario ritu in hominum memoriam adducta. Qua de re putidum foret iterare, quae supra posuimus. Neque aliunde explicandi duo leones cum protome depicti in mumiae femineae Dresdensis [361]) involucro. Verbo dicam de *leone sidereo*, cujus quasi auspiciis Aegyptus reviviscit ac recreatur salubribus undis Niliacis. Nam in transmigrationis quoque animarum doctrinâ a leone auspicia ducta vitae humanae. Macrobius in Somn. Scip. I, 12. pag. 59. 60. Bip. „Unde et Scipioni de *animis beatorum*, ostenso lacteó, dictum est: *Hinc*

---

cationem quandam pertinent, recte judicantibus Lancreto et Jomard. in l.: Descr. de l'Eg. Antiqq. Vol. I. cp. 8. p. 7. p. 45. p. 57. Hinc etiam navigia leonum protomis in proris gestantia, in anaglyphis Thebarum prope Medina-tabu. Ibid. Vol. II. Antiq. p. 55.

360) Quae constanter fere *leonina* capita *fontibus*, *puteis*, *deliquiis* adjecta monstrant, unde aqua prosilit. Ejusmodi puteum in vase graeco Canosano obvium (apud Millin. Tombeaux de Canose tab. 3.) nuper paucis explicui. Nunc admonebo geminae imaginis, quam habet numus Terinae in Bruttiis in Millingeni l.: Recueil de quelq. medailles grecq. inedites tab. I. nr 16. si modo germanum hoc numisma.

361) Utraque in Europam advecta a peregrinatore della Valle cf. Beckeri August. I. pag. 92. et Boettiger. Ideen z. Arch. d. Mal. I. p. 75.

profecti huc revertuntur. Ergo descensurae cum adhuc in Cancro sunt, quoniam illic positae, necdum lacteum reliquerunt, adhuc in numero sunt deorum. Cum vero ad Leonem labendo pervenerint, illic conditionis futurae auspicantur exordium, *et quia in Leone sunt rudimenta nascendi, et quaedam humanae naturae tirocinia.*" [362]) Jam adspice *tabulam nostr. nr. 2. ubi non modo humani cadaveris caput leonis capiti admotum comparet, verum etiam leonina protome humano pede fulcitur. Quae, res uti humanae vitae ineuntis vestigia quasi impressa habet: ita in adversâ pheretri leonini parte leoninus pes caudaque leonis belluinae vitae indicia arguit. Pertinent igitur hae tesserae ad animae humanae per signum leonis in corpus delapsae fatales vicissitudines.*

Hoc ipso expeditur nobis descensus ad *quatuor Canobos* [363]) sub lectulo ferali locatos. Quae res pluribus obvia in anaglyphis picturisque ad mumias pertinentibus. [364]) Nec fere numerus dispar. Cui in nostrâ tabula congruunt *quatuor fores*, quibus

---

362) Eam in rem plura veterum scriptorum testimonia excitavi et pluribus verbis disputavi in Dionyso I. p. 89 seq. et in Mytholog. Vol. III. p. 320 seq. IV. p. 261.

363) De quibus universe dixi in Dionyso I. p. 115 sqq. p. 163 seqq. p. 213 seqq. conf. Mytholog. nostr. I. p. 305. Adde opus Francogall. Descript. de l'Egypte, ubi sphinx Osiridi Canobum porrigens exhibetur: Antiqq. Vol. II. pl. 36. item: Vol. I. pl. 10. nr. 4, sistens tabulam Philensem, quae Canobum arietino capite imposito notabilem praestat.

364) Vidè supra laudd. icones Montefalcon. Middleton. Carpentor. Vindobon.

quasi impositos videas illos Canobos. Atque hos quoque fuerunt, qui pro vasis unguentariis ac medicis haberent conditurae inservientibus. Aliis magis probatur haec sententia, ut et ipsi habeantur pro urceis Niliacis cum aquae salutaris et libationis significatu.[365]) Ego, uti hanc rationem haudquaquam ejicio, ita hac in picturâ, ubi metempsychoseos luculenta indicia exstant, et portae etiam quatuor numero subjiciuntur, igitur eâ in imagine *quatuor illa rerum naturalium initia* (*elementa* dicunt) non negligenda existimem. Resoluto enim corpore migrandum erat, ex Aegyptiorum doctrinâ, animabus per terrena, aquatilia, reliquaque corpora. Hoc si acceperis: *quatuor illae fores* spectabunt ad *quatuor orbis terrarum tractus*, orientem, occidentem etc. designandos.[366]) Neque aliena fortasse sunt ab illâ migrationis animarum significatione *quatuor capita*, illis sacris urceis imposita, primum hominis, alterum, ut videtur, porci, tertium canis,[367]) quartum cuculi. Hujus quidem avis effigies frequentatur per vetustis-

---

365) Zoëga num. Aegyptt. imperat. p. 34 seqq. Boettigeri Ideen z. A. d. Malerei p. 61.

366) Si Horapollinem audias, τῆς οἰκουμένης symbola habuerunt Aegyptii v. c. cynocephalum simiam. Utriusque enim septuaginta et duas partes esse. Vid. Hieroglyph. I, 14. p. 28. Huc spectare septuaginta et duo phylacteria, mumiarum fasciis nonnunquam involuta, arbitratur Comes de Palin in libro: Fragmens sur les hieroglyph. Part. II. p. 5 seq.

367) Lupi caput etiam in Canobo mumiae Vindobonensis agnoscit de Hammer. V. C. l. l. p. 277. Qua de re supra monui. De porci capite in altero Canobo non praecise decernam.

sima Aegyptiorum monumenta in mumiarum arculis, ac picturis feralibus, etiam in hujusmodi Canobis.[368]) Accipitris autem imago saepissime obvia in mumiarum ornamentis, etiam humano corpori juncta, in Meadianâ, Gottingensi, Gothanâ, nunc Blumenbachianâ,[369]) aliis.

§. 27.

Universalia quaedam de corporibus veterum Aegyptiorum medicatis et de hieroglyphicis literis, quas eorum tegmina habent.

Ad Herodot. I, 140, II. cap. 36. et III, 16.

Quando supra, capite primo, ad Herodoti capita 85—90 id unice spectabam, ut loci primarii singula verba minutatim explicarem et pressule quasi me ad ea applicarem: restant nonnulla, quae cum illo argumento continentur, et ad legitimam rei tractationem pertinent. Ea igitur hîc certe adumbrabimus.

---

368) Jomard. in Descript. de l'Eg. Vol. II. pag. 353. cf. pl. 59. fig. 2. et pl. 75.

369) Vide Heynii Notit. mum. Gottingensis pag. 10. p. 12. Blumenbachii Beitr. z. Naturg. II. p. 65. In ejus Mumiae arculâ ἱέραξ comparet, humanis corporibus impositus. Quam avem editor vocat: *Aegyptische Weihe,* laudato Forscål. Descript animal. pag. 1. Magni operis, quod saepe laudavimus, editoribus Francogallis ἱέραξ dicitur *l'épervier.* Qua de re viderint naturae interpretes. *Hujus avis figurâ animam declaratam volebant Aegyptii,* teste Horapolline I, 7. cf. Jablonski vocc. p. 47 seqq. et Jomard. in Descript de l'Eg. II. Antiqq. p. 375. — De cuculo ave vid. Horapollin. I, 6. p. 8. Jablonski Panth. I. p. 158. Winckelmann in Hist. Art. I. p. 86. ed. nov. Dresd. ibiq. editorr. annotatt. et Zoëga de obel. p. 183. p. 439. 443.

Atque ut hinc ordiar: corporum illorum medicatorum appellationem variam fuisse variis populis nemo nescit. Augustinus de diversis Sermon. 120. cap. 12. ita: „Aegyptii soli credunt resurrectionem, quia diligenter curant cadavera mortuorum: morem enim habent siccare corpora, et quasi aenea reddere, *Gabbaras ea vocant.* [370]) Unde Lacrozius a Coptico vocabulo *Sosp-arch*, i. e. *custodia*, *conservatio reliquiarum*, commode repeti posse putabat, suffragante Jablonskio in Vocc. Aegyptt. p. 60 seq. Forsterus (de bysso pag. 73.) item ex Coptico sermone ducere conatus est, sed ab eâ voce, cui *sanctae custodiae* vis inest; Rossius in Etymol. Aegypt. p. 124: ab Aethiopicâ voce, quae geminâ potestate est atque Graecum *ἐνταφιάζειν.* Qui hodieque per Aegyptum reliqui sunt gentis Copticae homines medicata illa cadavera *Miolon* nuncupant, referente Blumenbach. V. C. in Symbol. vernac. ad Hist. Natur. II. p. 91. *Mumiae* autem vocabulum, cujus usus latissime patet, et ipsum ad Copticum etymon revocare studuerunt nonnulli. In quibus Wahlius ad Abdollatif. pag. 225, eam vocem respici arbitratur, quae *durandi* ac *perseverandi* vim habeat. Rossius contra, libr. laud. p. 123 seq. et p. 352., ab Aegyptiaco *Muhmu* i. e. *mortui*, *conditi*, repetendum existimavit. At hoc ipsum negant plurimi, Aegyptiacum

---

370) Extrema illa tria verba cum, monentibus Benedictinis editoribus, nullus Augustini codex agnoscat, insititia possunt videri, sed tamen cum Glossae Papiae et Isidori *Gabbares* explicent *mortuorum corpora*, referendum existimavi, quomodo hanc vocem explicare studuerint homines eruditi.

Mumiae nomen esse: *Persicum* malunt, videlicet *mum* proprie *cera* itemque *naphtha*. Qua in re Te Waterus ad Jablonskii libr. laudd. p. 472 seq. commodum laudavit verba Ciceronis Tuscul. I. §. 108. „Condiunt Aegyptii mortuos et eos domi servant; *Persae etiam cerâ*[371]) *circumlitos condunt, ut quam maxime permaneant diuturna corpora.*" Rossio autem obloquitur Silvester Sacyus in anotatt. ad Abdollatifii Aegyptiaca p. 272 seq. et p. 579. Qui quidem multis scriptorum testimoniis hoc firmavit: minime Aegyptiacae originis esse *Mumiae* vocem et proprie significasse videri genus *bituminis*, ac postea demum et quasi abusu quodam traductam esse ad condîta sive medicata cadavera.

Hactenus de vocabulis. Quae expeditum reditum reddunt ad rerum mentionem, factam ab ipso *Herodoto*. Ad eum enim nos manu quasi reducit Augustinus cum dicit l. l. „Morem enim habent

---

371) Persicam vocem interposuit vir doctissimus. Ego hac datâ occasione *mellis* verbo admonebo in eundem usum adhibiti. Simeo Sethi de alimentorum facultatibus ed. Bogdan. Paris. 1658. cap. X. p. 74. — *Καὶ διὰ τούτων οἱ ἀρχαῖοι τοὺς νεκροὺς μέλιτι ἐκάλυπτον ἐν ταῖς θήκαις.* Ad quem locum editor Galenum in aliment. facult. III, 39. Aëtium lib. I. cap. 270. et Aeginet. lib. VII. cap. 3. conferri jubet. Res nota. Vid. vel Bosium ad Nepotis Agesil. VIII, 7. Et Agesipolis *ἐν μέλιτι τεθεὶς* notus ex Xenophontis Hellenicorum V, 3. 19. Sed tamen omittere nolui, ne oblitus videar *Herodoti*, qui ita de Persis lib. I. cp. 140: *κατακηρώσαντες δὴ ὦν τὸν νέκυν Πέρσαι, γῇ κρύπτουσι*, ad quem locum conf. interprett. Adde Rhodii librum: über Alter und Werth einiger morgenländischen Urkunden pag. 132 seqq.

Aegyptii siccare corpora, et *quasi aenea reddere.*" Etenim *Noster* libro III. cap. 16. ita narrat:

„Cambyses vero Memphi Saïn urbem profectus est, ea facturus quae etiam peregit. Nam Amasidis aedes ingressus, protinus e sepulchro proferri *cadaver Amasidis* (*τὸν Ἀμάσιος νέκυν*) jussit: eoque facto, flagellis illud caedi jussit, et *capillos* evelli, et stimulis pungi, et aliis modis ei insultari. Quae cum multo cum labore fecissent ministri (*nam resistebat cadaver, quippe conditum; ac nullo modo diffluebat: ὁ γὰρ δὴ νεκρὸς ἅτε τεταριχευμένος, ἀντεῖχέ τε καὶ οὐδὲν διεχέετο*), comburi illud Cambyses jussit, nefarium jubens facinus." En *aeneum quasi* corpus defuncti regis Aegyptii, h. e. ejus viri, qui generosissimis medicamentis medicatus esset! Haec igitur expedita sunt. In antecedentibus haeserunt adhuc viri eruditi. Nam quod Noster capillum Amasidis evulsum memorat, facere quidem cum eo videri potest quodammodo Diodorus Siculus I, 91. itidem pilos in superciliis et palpebris cadaverum medicatorum servatos memorans: verumtamen ipse *Noster* altero loco *II*, 36. ita refert: „Deorum sacerdotes aliis in terris comam alunt; in Aegypto tondentur. Apud alios homines institutum est, ut in propinquorum funeribus tondeant caput: Aegyptii mortuo aliquo suorum capillos et barbam augeri sinunt, antea tonsi." [372]) Quae quidem ita moverunt

372) *Αἰγύπτιοι δὲ ὑπὸ τοὺς θανάτους ἀνιεῖσι τὰς τρίχας αὔξεσθαι, τάς τε ἐν τῇ κεφαλῇ καὶ γενείῳ, τέως ἐξυρημένοι.* Quem locum non neglexit de *Schmidt* de sacerdott. Aegyptt. Etiam attigit Becker. in Augusteo I. p. 7. Ac plane tonsi videntur sacerdotes exhibiti esse

Caylum Com. ut p. 127. Diodoro prorsus derogandum hac in caussâ existimaret, ut incredibilia narranti. Heynio contra (in Spicil. Antiqq. mumiar. p. 94 seq.) verisimilia videntur, ut cui in mentem venisset loci Herodotei (III, 16.); Boettigerus medium sequi maluit et addubitare. Vid. ejus librum vernac. Ideas ad Archaeol. rei pictor. p. 67. Nec minus de eâ re disputavit Zoëga de obeliscis p. 256 sqq. Quae mihi nunc confecta videtur. Etenim capillum in medicatis corporibus residuum arguunt mumiarum vetustissimarum crania, e cryptis Thebaicis eruta. Lege mihi quae posuit Jomardus. [373]) Qui quidem in mumiis non solum capilli reliquias reperit, sed cincinnatum plane capillum ipsum apteque compositum. Ac suffragatur ejus observationibus ipsius civis ac sodalis Rouyerius. [374]) Ille vero eam rem dicit etiam confirmari aliquot Aegyptiorum figuris, quas anaglypha opera Thebaica picturaeque exhibeant. Unde idem vir doctus conjicit: quae Herodotus nostro loco (II, 36.) tradat de abrasis capitibus hominum Aegyptiorum, ea non usquequaque neque in omnibus locum habuisse. Barbae ut plurimum nulla comparere vestigia; etiam reliquas corporis partes sine pilis esse, qui quidem medicamentis adhibitis absumti videantur. Hoc ipso multa expediri

---

in anaglyphis Thebaicis, vid. op. Descript. de l'Eg. Antiqq. Vol. II. pag. 47 seq. Sed nunc *de reliquis Aegyptiis* quaerimus.

373) Descript. de l'Egypte Antiqq. II. p. 344 seq. in diatriba, quae inscribitur: sur les hypogées de Thèbes.

374) Ibid. X ième livraison p. 208 in Notice sur les embaumemens des anciens Egyptiens.

possunt, quae de barbâ mumiarum disputarunt viri docti. [375])

Jam cum Herodotea narratio magno argumento sit, Amasidis aetate insigniter floruisse artem condiendorum cadaverum apud veteres Aegyptios: sponte nascitur quaestio nobis: *quo tempore probabiliter inchoatum fuerit illud artificium et paullatim auctum eruditumque, et quo tempore idem penitus exoleverit.* Primordia artis dubitari nequit quin historiarum memoriam excedant; si quidem, in ejusmodi rebus, vel fabulis fidem habebit, qui earum vim recte aestimare calleat. Quae quidem cum *Mercurio* et *Isidi* eam rem tanquam auctoribus assignent: nemo infitiabitur, *antiquissimorum sacerdotum* fuisse hoc inventum, et cum ipsarum etiam religionum domesticarum originibus natum. Diodori, Plutarchi, Hermetisque locos huc facientes supra excussimus. Verum quod certâ historiarum fide constet, vetustissima rei vestigia Genesis cum Exodo habet, in Jacobi et Josephi Patriarcharum extremis (Genes. cap. L. vers. 2. et Exod. XIII, 19.). Quorum locorum vim recte perspexit Heynius in Spicil. Antiq. mum. p. 97. Qui idem eodem loco non est ausus dubitare, quin Herodoteâ aetate anti-

---

375) Heynius in Notit. mum. Gotting. p. 4 seq. Blumenbach. in libr. Beitr. z. Naturg. II, 61. Boettiger. in libr. Archaeologie d. Malerei 53. *Barbam ligneam,* in cistâ sycomoreâ saepiuscule obviam, per significationem quandam ad Osiridem tanquam solem retulit Heynius l. l., adhibito Macrobio Saturn. I, 18. I, 13. suffragante Boettigero l. l. In eo tamen inter se discrepant, utrum in feminarum mumiis barba locum habuerit, nec ne.

quiores mumiae reperiri possint. Atque hujus collega Blumenbachius ad eam rem firmandam icunculas quoque adhibuit, quae in mumiarum fasciis depictae reperiantur, quarum imaginum forma ac descriptio (Stylum dicunt artium historici) idoneo argumento sit, nonnullas mumias, hodieque residuas, ad antiquorum Aegyptiorum aetatem referendas esse. [376]) Vides quam lubrica visa nuper etiam viris doctis ea res quamque discriminis plena, quae nunc quidem Francogallorum Britannorumque, qui Thebaidem perlustrarunt, studiis extra omnem dubitationis aleam posita est. *Quousque* autem hoc eruditius conditurae genus in usu fuerit per Aegyptum, hac de re varie pronuntiari video. Atque, ut hoc utar, Heynius l. l. mature illud exolevisse suspicatur, Ptolemaeorum tamen aevo residuum fuisse existimans. Quod vel Dresdensium mumiarum exemplo confici queat, siquidem eae ad eam aetatem recedant. [377]) Condituræ porro certa documenta etiam Luciani aevo exstare ex hujus scriptoris loco de luctu §. 21. suo jure conclusit Zoëga de obel. p. 264; et universum condiendi corpora morem amplius etiam pertinere ad seculum usque quintum arguunt Patrum ecclesiae loci haud pauci, quos operose congessit

376) In libr. Beiträg. zur Naturg. II. p. 126. De his figuris docte etiam monuit Muenter V. C. in libr. Antiquar. Abhandlungen p. 160.

377) Qua de re nuper disputaverunt Winckelmannus oper. I. p. 117 seqq. noviss. ed. Dresd. Beckerus in Augusteo ad I. Tab. 1. 2. et Boettigerus in Archaeolog. rei pictor. I. p. 65 seq.

Walchius.[378]) Hactenus de scriptorum testimoniis. Quod conjecturas attinet, a re ipsâ repetendas, plura spectanda sunt et ponderanda. Nimirum si quaeritur, quid ex ipsorum cadaverum medicatorum, quae hodieque supersunt, adspectu examineque ad hanc caussam judicandam effici queat: primum tenendum illud est, ejus artis varia genera vel certe rudimenta aliqua viguisse variâ aetate variis in populis, et hodieque imperfectius medicandorum cadaverum genus superesse apud aliquot gentes, v. c. apud Arabes. Quam rem copiose explicarunt viri eruditi [379]) et prae ceteris Zoëga. Quorum narrationibus nuper admodum haud exigua succrevit seges observationum, e variis terris congestarum, ne excepto quidem eo orbe quem novum dicimus. Ego paucula attingam. Igitur Carthaginiensium optimates post obitum conditurâ adhibitâ nobilitatos inauguratosque esse probabile videtur Muentero, [380]) qui hoc ipso evincere studet, non ad Aegyptiorum universas tribus sed ad primarias duntaxat antiquitus pertinuisse hoc ritus honorisque genus. Quae Hammerus ex orientis literarum monumentis ad condituram Aegy-

378) De mumiis Christian. in Commentt. Societ. Scient. Gotting. Vol. III. nr. 2.

379) Kirchmannus de funeribus et quos alios laudat Davisius ad Ciceron. de Legg. II, 22. p. 159. Zoëga de obeliscis p. 264 seq. Adde *C. F. C. Hoeckii* viri eruditi Commentationem, quae inscribitur: Veteris Mediae et Persiae monumenta, Gotting. 1818; ubi pag. 178 et 181. mumiae repertae memorantur in terrâ Cabul itemque in Chorasan.

380) In libro vernaculo de relig. Karthag. p. 86.

ptiacam illustrandam in medium protulerit, supra passim attigi. Palini V. Ill. item eam in rem disputata passim excitavi et deinceps quoque excitabo. Nec inutilem in eâ quaestione operam collocasse dicitur Matth. Baillius, Britannus.[381]) Americae etiam populis simile artificium cognitum fuisse testantur cadavera illic terrarum reperta, condîta in modum mumiarum pluribusque involuta fasciis. [382]) Unde in argumentis ex ipsâ mumiarum investigatione sumendis haec existit lex ei, qui cautius agere velit: ut ne aliorum forte populorum corpora medicata confundat cum Aegyptiacis, et in his quoque aetatis, quoad ejus fieri maxime potest, censuram faciat.

---

381) On the embalming of dead bodies by Matheus Baillie. Commentatio exhibita in corpore dissertt. quod inscribitur: Transactions of a society for the improvement of medical and chirurgical Knowledge. Vol. III. Londin. 1812. nr. 2. Qui scriptor etiam Aegyptiorum hac in re artificia attigit.

382) Referente Brackenbridge in libro, qui inscribibitur: Views on Louisiana Pittsburgann. 1814. Fasciarum mentionem quod repetii, breviter subjiciam notitiam libri a Millino nuper admodum editi et inscripti: *Aegyptiaques* Paris 1816. ubi exhibetur basis lapidea insculptis hieroglyphis ac duabus imaginibus hominum deorumve, quorum alter pannum involutum gestat in manu; quam rem ad Osiridem Isidemque et artis condiendorum corporum incunabula Aegyptiae revocari posse suspicatur auctor ad tabb. V — VIII. p. 16. 17. Quod eadem mumiarum involucra characteribus hieroglyphicis inscripta sunt, *librorum linteorum* apud Veteres Romanos usum cum hoc usu comparavit vir doctus. Vid. Dissertatt. acadd. de libris linteis antiquorum praeside Pipping proponunt Kalm et Gruner. Åbo in Sueciâ ann. 1815.

Alteram legem scribit hominum fraudulentia; quae nunc demum penitus dispicitur. Nam posteaquam germana priscaque e Thebaicis cryptis eruta cadavera in doctorum hominum conspectum venerunt, nunc demum intelligitur, quid distent aera lupinis. Cum his comparata jacent pleraeque mumiae, quae per Europaea musea ab harum rerum curiosis adhuc exploratae sunt. Taceo mangonios istos centones ex germanarum mumiarum fragminibus concinnatos et ab Arabibus Judaeisque divendi solitos: longe plurima pars omnium mumiarum, quae antehac ad nostras oras pervenerant posterioris aetatis est, quam ut inde de condiendi artificio, quale Pharaonum sub imperio in Aegypto floruit, certa intelligentia enasci possit.[383])

Redeo ad Nostri *II. caput* 36. extremum, ubi ita de scriptione Aegyptiorum: *γράμματα γράφουσι καὶ λογίζονται ψήφοισι Ἕλληνες μὲν ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἐπὶ τὰ δεξιὰ φέροντες τὴν χεῖρα, Αἰγύ-*

---

383) In adulterinarum mumiarum exemplis et indiciis explorandis antea utilem operam locarat Blumenbach. in l. Beiträg. zur Naturgesch. p. 117 seq. Postea lucem vidit Francorum grande opus, in quo libro Jomardus Antiqq. Vol. II. Sect. X. §. 8. p. 48. diserte pronuntiat: ante expeditionem Gallorum Aegyptiacam neminem penitus cognovisse veterum Aegyptiorum artem condiendorum corporum. Neque vana debet videri haec Jomardi oratio, ut hominis non minus modesti quam docti et ingeniosi. Quo magis ego faciundum existimavi, ut Francici operis ubertas utilitasque ad Herodoti nostri commentarios redundaret.

πτιοι δὲ ἀπὸ τῶν δεξιῶν ἐπὶ τὰ ἀριστερά· καὶ ποιεῦντες ταῦτα, αὐτοὶ μέν φασιν ἐπὶ δεξιὰ [384]) ποιέειν, Ἕλληνας δὲ ἐπ' ἀριστερά. διφασίοισι δὲ γράμμασι χρέωνται· καὶ τὰ μὲν αὐτῶν ἱρά· τὰ δὲ, δημοτικὰ [385]) καλέεται. „Literarum elementa scribunt et calculis computant Graeci a sinistrâ parte ad dextram promoventes manum: Aegyptii a dextrâ ad sinistram; atque id facientes, dextrorsum se scribere dicunt, Graecos autem ad sinistram. Utuntur autem *duplici genere scripturae;* quorum alterum *sacrum* vocatur, alterum *populare* (Extremo vocabulo usus est etiam Laur. Valla, eumque secutus est Zoëga loco proxime laudando.)"

Dici non potest quas turbas dederit locus Herodoteus, quas idem molestias exhibuerit viris doctis,

---

384) Alii et ipse Wesselingius ἐπὶ τὰ δεξιὰ etiam hoc loco: Duo codd. ἐπιδέξια. Schaeferi et Schweighaeuseri emendationem confirmat locus Platonis in conviv. p. 177. p. 379. Bekkeri: δοκεῖ γάρ μοι χρῆναι ἕκαστον ἡμῶν λόγον εἰπεῖν ἔπαινον Ἔρωτος ἐπὶ δεξιὰ ὡς ἂν δύνηται κάλλιστον, ubi accentum item emendavit Bekkerus.

385) Zonar. Lex. Gr. p. 494. Δημότην οἱ Ἴωνες τὸν τῶν πολλῶν ἕνα· οὕτως καὶ Ἡρόδοτος. Quod Tittmanno locus non in promtu erat, ego indicabo. Est II, 172. ubi Noster de Amasi rege: ἅτε δὴ δημότην τὸ πρὶν ἐόντα. Hinc ambigere nemo potest, quales Aegyptiorum literas δημοτικῶν appellatione intelligi voluerit. (Alteram vocabuli potestatem expediit Ruhnkenius ad Xenoph. Mem. I, 2. 58. a Tittmanno laudatus. Adde Valckenaeriun ad Herodot. III, 55.) Heliodorus in Aethiop. IV. p. 174. p. 148. ed. Coray. memorans characteres mumiarum fasciis inscriptos, ita distinguit: γράμματα δημοτικὰ et γρ. βασιλικά.

qui inde a renatis literis in hanc rem inquisiverunt. Nam primum hoc testimonio usi sunt ii, qui Hebraeorum sermonem scriptionemque cognatum fuisse contenderunt cum Aegyptiorum sermone ac scriptione, quibus alii obloquuntur, qui diversum fuisse volunt. Deinde alii duplicem scripturam Aegyptiacam veterem agnoscunt, commoti ipsâ auctoritate patris historiae, ut qui vigentibus literis Aegyptum adierit: alii triplicem, quoniam triplicem agnoscant Clemens Alexandrinus loco primario Strom. lib. V. cap. 4. p. 657. Potteri, et Porphyrius de Vitâ Pythagorae §. 12. p. 15. Kuster. Ego me potissimum continebo in referendis sententiis eorum, qui orientalium literarum me peritiores sunt, et ea tantummodo breviter referam, quae cum ad Herodotum tum vero ad mumiarum involucra et volumina literata proprie pertinere videantur. Propterea nec minutatim in medium proferam, quae haud pauca viri eruditi de hac re universâ disputarunt. [386])

386) Verbi caussâ Quatremère de Quincy in Recherches critt. sur la lang. de l'Egypte, hujusque libri doctus censor in the classical Journal Vol. I. pag. 101 — 112. et Brittannicus scriptor ibid. Vol. II. pag. 549 — 556 on the hieroglyphical Language, et Vol. VII. p. 54 seqq. Jos. de Hammer. in Britannicâ translatione operis Arabici Ahmedis bin Abubekr bin Wahshih corp. alphabetor. antiquor. cf. excerpta ibidem exhibita Vol. I. pag. 61 seq. itemque Jac. Bailey in libro qui inscribitur: Hieroglyphicorum origo et natura Cantabrig. 1816. et quae de Americae quoque populorum hieroglyphicâ scriptione nuper in lucem ediderunt de *Humboldt* V. III. et *Bonpland* in Relation historique adjunct. Itinerar. Paris. 1810, maxime ad tabul. 13. Alia laudavi supra ad Damascii locum de Pytha-

Jam primum quod scribendi rationem attinet, hoc nomine patri Historiae litem intenderunt nonnulli. Quorum tamen conatus retundunt Inscriptio Rosetana ejusque docti interpretes; e quibus Sacyi verba apponam. [387]) „J'ai déja dit que la marche de l'écriture Egyptienne de notre inscription est conformé à celle de l'hebreu, c'est à dire, qu'elle procède de droite à gauche. C'est ce qu'a dit Herodote." „„Les Grecs, dit-il, écrivent en portant la main de gauche à droite et les Egyptiens au contraire, en la portant de droite à gauche."" Subjicit Sacyus graeca Herodoti, quae supra apposuimus; tum ita pergit: „Notre inscription prouve donc évidemment, que D. Wilkins dans sa dissertation *de linguâ Copticâ*, imprimée à la suite de l'Oraison dominicale de J. Chamberlayne, a eu tort pag. 85 de reléguer cette assertion du père de l'histoire au nombre des fables, que Diodore de Sicile reproche à Herodote d'avoir trop légèrement adoptées. Et il est bon d'observer *que cette remarque d'Herodote s'applique également aux deux genres d'écriture* des Egyptiens; car c'est presque immediatement après le passage, que je viens de citer, qu'il ajoute: *Διφασίοισι — καλέεται.*" Atque cum Sacyo plane faciunt ejus cives, qui postea in Thebaide grandia illa monumenta explorarunt. Cujus examinis summa eo redit, ut et hieroglyphicas literas a dextrâ ad

---

goricorum symbolis. Neque attingam, quae Wesselingius et Larcherus ad nostrum locum attulerunt.

387) Lettre au citoyen Chaptal Ministre de l'Interieur par Silvestre de Sacy à Paris 1802. p. 57. 58.

sinistram scriptas esse contendant, idque cum in templorum parietinis inscriptionibus, [388]) tum nec minus in voluminibus papyraceis, quae vel hieroglyphicam scripturam habent vel currentem, i. e. literis, quas cursivas dicunt, pictam. [389])

Non solum haec scripturae congruentia, verum etiam ipsarum radicum ac vocum quaedam, uti putabant, similitudo permultos viros doctos in eam sententiam deduxit, ut Aegyptiacam veterem linguam atque Hebraicam ex unâ stirpe progenitas et quasi sororias existimarent: refragantibus aliis et plane diversas judicantibus. [390]) Et adhuc sub judice lis est. Illam enim rationem nuper tueri studuit Drummondus Britannus, et caussae suae patronum nactus est, qui Aegyptiaca nomina cum Hebraeorum sermone componere studuit. [391]) Atque quae vocalibus Hebraicis adpinguntur puncta, ea ab Aegyptiis inventa vult Hezelius; idemque Aegyptios ejus scriptionis, quae literarum non hieroglyphicis characteribus decurrit (Buchstabenschrift), auctores pri-

388) Expende argumenta, quae viri illi docti repetunt ab hieroglyphicis characteribus, Thebis in templo Ammonis obviis, in Description de l'Eg. V. II. p. 268. sq. et quae iidem universe disputant ibid. p. 369.

389) Jomard. ibid. Vol. II. p. 273.

390) Utrorumque sententias earumque argumenta docte exposuerunt Jablonski in vocc. Aegyptt. ejusque editor TeWaterus, vir mihi amicissimus, p. 208 sq. 223. 274. Qui postea hac de re in utramque partem disputarunt, eorum insigniores continuo excitabo.

391) Uterque caussam suam peroravit in the classical Journal Vol. VII. p. 54—60. et ibid. p. 109—118.

mos perhibet, unde quoque Moses sumserit. [392]) Ab his consiliis avocare nos student alii, qui plane contraria ponunt. Qui quidem Veteris Testamenti locos inculcant nobis, quorum fide constet, peregrinam censuisse Judaeos Aegyptiacam linguam; ac cautissime certe hac in quaestione versandum esse dictitant. [393]) Alii mediam viam ingrediuntur, universe agnoscentes differentiam, quae inter utramque linguam antiquitus intercesserit; sed tamen dialectorum Aegyptiarum rationem negligi nolunt, e quibus una alteraque propius fortasse accesserit ad linguarum Semiticarum similitudinem. [394]) Qua in varietate explorandâ utilem nuper operam collocarunt orientalium literarum periti, et spes oritur, fore ut haud ita multo post haec res expeditior reddi queat. [395]) Haec hactenus.

Videndum enim est de alterâ parte loci Herodôtei, ubi *duas* tantummodo agnoscit scripturas

---

392) Hezel in libro: Palaeographische Fragmente. nr. 2. et nr. 11. p. 101. inprimis p. 108 seqq.

393) Michaëlis in Supplement. ad Lexica Hebr. p. 1229. aliique, quos Jablonskius et Te Waterus laudarunt l. supra cit. Quibus adde Champollionem in Millin. Annales encyclopédiques ann. 1818. mense Mart.

394) Vide Mahnii viri doctissimi librum vernaculum: Darstellung der Lexicographie Vol. I. p. 400 seq. Qui quidem Thebaicam dialectum magis cognatam fuisse vult Semiticis linguis quam linguae Graecae, usurpans Herodoteum locum II, 57. 58. de Oraculo Dodonaeo (p. 404).

395) Muenteri, Engelberti, Quatremerii, aliorum merita nemo ignorat, ac plura etiam speramus in luce clariore positum iri, si ejus viri quem extremo loco nominavi Grammatica Coptico-Arabica prodierit.

veterum Aegyptiorum, *hieroglyphicam ac popularem*. Ac licet Diodorus Siculus hac in re plane cum Nostro faciat: tamen Clementis Porphyriique diversam rationem supra memoravimus, si modo diversa est. Ac Diodorus libr. I. cp. 81. p. 91. Wessel. ita narrat: *Παιδεύουσι δὲ τοὺς υἱοὺς οἱ μὲν ἱερεῖς γράμματα διττὰ, τά τε ἱερὰ καλούμενα καὶ τὰ κοινοτέραν ἔχοντα τὴν μάθησιν.* „Sacerdotes duo literarum genera, tum quas sacras vocant, tum qui communiorem habent disciplinam, pueros docent." [396]) Jam quaeritur utrum Herodoti Diodorique narratio conciliari queat cum ceterorum quos diximus auctoritate, an secus. Zoëga quidem, ut hinc ordiar, qui in eam caussam studiose inquirere instituit, Clementis ac Porphyrii rationem argumentis operose congestis tanquam unice veram firmare est conatus. Ponit autem ille Alexandrinus *haec tria genera τὰ ἐπιστολογραφικὰ, τὰ ἱερογλυφικὰ, τὰ συμβολικά.* [397]) Contra conciliari haec inter se posse judicat Sacyus, qui ita scribit [398]):

---

396) Cf. Eundem libr. III. cap. 4. ibiq. Wesseling. Adde de hoc altero loco Palin. Fragmens sur l'ètude des hieroglyphes Part. 1. p. 12.

397) Duo illa priora Clementis genera δημώδη sive popularia et erant et dicebantur. Vid. Wesseling. ad Diodor. I, 81. Copiosius de singularum consiliis ac ratione disputavit Zoëga de obeliscis p. 424 — 440. cf. p. 549 sq.

398) Lettre à Mr. Chaptal sur l'inscript. de Rosette p. 39. Idem p. 39: „Il faut s'en tenir à reconnoitre dans notre inscription un charactère Egyptien, et celui sans doute dont parle Herodote et qu'il appelle δημοτικὰ γράμματα, *charactères populaires*, ou vulgaires, pour les di-

„Si le rapport de cet écrivain (Clementis) semble contraire à celui d'Herodote et de Diodore de Sicile, qui ne parlent, que de deux sortes d'écriture, il est cependant assez facile de concilier ces divers témoignages. Il n'est pas nécessaire pour cela de supposer avec D. Wilkins, que sous le nom d'écriture *épistolographique* Clément d'Alexandrie a entendu parler du charactère Grec, ce qui ne me paroît nullement vraisemblable; il vaut mieux expliquer Herodote et Diodore de Sicile par le passage de ce Père et dire que ces écrivains ont compris, sous le nom d'écriture vulgaire, par opposition aux *charactères sacrés* ou *hieroglyphiques*, les deux genres d'écriture *hieratique* et *épistolographique*." Vidimus eandem Wesselingii sententiam esse. Nec minus patrocinatur Herodoto Diodoroque Jomardus, qui ex Thebaicis monumentis copiosam his de rebus disputandi materiam erat nactus. Sed idem tamen aliam illius diversitatis rationem sibi informavit. Ejus ego viri argumentorum summam hoc loco subjiciendam duco, quo Herodoti lectoribus consulam. Videlicet oblocutus Zoëgae Jomardus [399]) *duo* tantum scripturae genera apud veteres Aegyptios agnoscit, *hieroglyphicum* et *vulgare;* quod alii addunt *hiera-*

---

stinguer de charactères sacrés, ἱρὰ, comme dans notre inscription les lettres sacrées, *ΙΕΡΟΙΣ*, sont opposées aux lettres *locales*, *ΕΓΧΩΡΙΟΙΣ*." Nimirum respicit vir ille doctus Inscriptionis Rosetanae haec, quae leguntur lin. 54 (p. VIII. extrem. ed. Schlichtegroll.)... τέρου λίθου τοῖς τε ἱεροῖς καὶ ἐγχωρίοις καὶ ἑλληνικοῖς γράμμασιν.

399) In Descript. de l'Eg. Antiqq. Vol. II. p. 370.

ticum genus, et ipsum, characteres si spectaveris, hieroglyphicum fuisse. Constare autem hieroglyphicam scriptionem ex permultis characteribus, abs rerum imitatione ductis: vulgarem ex multo paucioribus (sexaginta fere numero); atque hanc ad alphabeticae scripturae similitudinem accedere. Sensu seu significatu tantummodo inter se discrepasse hieroglyphicam scriptionem atque hieraticam. Idem vir doctus [400]) ita pergit, postquam Appuleji locum exhibuerat, [401]) eumque scriptorem utramque scripturam

400) Ibid. p. 371.

401) Eum ego locum accuratius laudabo et ipsa verba subjiciam. Legitur autem Metamorph. lib. XI, 255. p. 801. ed. Oudendorp.: „— ac matutino peracto sacrificio, de opertis adyti profert quosdam libros, literis ignorabilibus praenotatos: partim figuris cujuscemodi animalium concepti sermonis compendiosa verba suggerentes: partim nodosis, et in modum rotae tortuosis capreolatimque condensis apicibus a curiositate profanorum lectione munita.“ Extremorum constructionem recte expedit Oudendorp. ita: lectione munitâ a curiositate profanorum. Quocirca nihili est lectio curiosâ. Atque ex his ipsis verbis Jomardus utriusque scriptionis et hieroglyphicae et consimilis hieraticae indicia agnoscit. Mahnius in libr. Darstellung der Lexicogr. pag. 413. in alia abit, et verba extrema: *partim nodosis — apicibus* ad alphabeticam scripturam refert, quae explicata fuerit eum in morem, qualis hodieque in orientalibus codicibus aliorum sermonum frequentari soleat, ac proinde a doctis tantummodo lectitari queat. Hoc si ponas, etiam ex Appuleji loco *tres* Aegyptiorum scripturas existere: *primam vulgarem* inque communi vitâ usitatam, *alteram hieraticam*, quam ἱερογραμματεῖς calluerint, *tertiam reconditam sacerdotalem* sive hiero

novisse dixerat: „Il semble qu'un tel rapprochement doive lever toutes les doutes sur la question actuelle, et auctorise à conclure, que les lettres *hieratiques*, *hieroglyphiques* ou *symboliques* de Clement et de Porphyre ne sont autre chose que les lettres *sacrées* de *Diodore* et *d'Herodote* et des autres auteurs, autrement les *hieroglyphes des temples*, et que les *épistolographiques* de deux premiers auteurs sont les mêmes que les lettres *populaires* ou *vulgaires* de seconds et les mêmes aussi que celles de la *pierre* de *Rosette* et des *papyrus*. Qu'on se garde toutefois d'en conclure que ces deux classes de lettres sont de formes entierement differentes et n'ont aucun rapport entre elle." Idem (p. 372. in notâ) hoc addit: sibi admodum levia videri argumenta eorum, qui inscriptionis Rosetanae characteres dicant singulares atque hieraticos esse. In omnibus autem Aegyptiorum monumentis non nisi duas illas characterum scripturas conspici, alteram *hieroglyphicam: cursivam* (lettres courantes) alteram. [402])

Quo magis haec extrema hominis Francogalli consentiunt iis, quae Aegyptius homo posuit Plotinus, cujus locum ignorasse videtur Jomardus, hoc

---

glyphicam. Idem tamen ingenue fatetur, hodieque implicitae illius ac perplexae scripturae veteris Aegypti necdum ullum monumentum repertum esse.

402) Idem vir eruditus ibid. p. 359. ita pronuntiat: „Il est donc grandement probable, que la connaissance du langage alphabetique vulgaire conduira quelque jour à l'interpretation partielle, si non totale de langue hieroglyphique."

magis faciundum existimo, ut Lycopolitani scriptoris verba emendatiora hoc capitis exitu reponantur, praesertim cum etiam causas aperiant, cur Aegyptiorum sacerdotes universam literarum disciplinam hoc pacto discriminaverint [403]): *Δοκοῦσι δέ μοι* [404]) *καὶ οἱ Αἰγυπτίων* (*τῶν* praemittit cod. Zic. male.) *σοφοὶ εἴτε* (ita plurimi libri, *οἴτε* alii corrupte) *ἀκριβεῖ ἐπιστήμῃ λαβόντες, εἴτε καὶ συμφύτῳ, περὶ ὧν ἐβούλοντο διὰ σοφίας δεικνύναι, μὴ τύποις γραμμάτων διεξοδεύουσι λόγους* [405]) *καὶ προτάσεις, μηδὲ μιμουμένοις φωνὰς καὶ προφορὰς* (*κ. προφορὰς* absunt a duob. codd.) *ἀξιωμάτων κεχρῆσθαι· ἀγάλματα δὲ γράψαντες, καὶ ἓν ἕκαστον ἑκάστου πράγματος ἄγαλμα ἐκτυπώσαντες* (*ἐντυπώσαντες* plurimi libri) *ἐν τοῖς ἱεροῖς τὴν ἐκείνου διέξοδον ἐμφύναι* (leg. *ἐμφῆναι*). [406]) *ὡς ἄρα τις καὶ ἐπιστήμη καὶ σοφία ἕκαστόν ἐστιν ἄγαλμα, καὶ ὑποκείμενον, καὶ*

---

403) Plotinus Ennead. V. cap. 6. p. 547.

404) Desunt tria haec verba a cod. Vaticano, cujus lectionum copiam mihi fecit Il. Amati, Vir doctissimus.

405) Hac eâdem in re Aegyptios *διεξόδοις τοπικωτέραις* usos dicit Philo de vitâ Mosis lib. I. p. 606. Confer quae de hoc vocabulo posui ad Proclum de Unit. et Pulcritud. pag 96. Adde Hermiam ad Platonis Phaedrum p. 103. Astii: *Καθὸ δὲ ἐκ νοῦ ὑφίσταται* (*ἡ λογικὴ ψυχὴ*) *ἔχει τὸ νοερὸν, καθὸ ἁπλαῖς ἐπιβολαῖς καὶ οὐ διεξοδικῶς αἱρεῖ τὰ εἴδη*, et in sqq.: — *καὶ διεξοδικῶς ἐνεργεῖ καὶ συλλογίζεται ἀπὸ τῶν προτάσεων τὸ συμπέρασμα.*

406) Nimirum sic plurimi optimique libri mei. Diodorus etiam III, 4. in eâdem re: *οὐ γὰρ ἐκ τῆς τῶν συλλαβῶν συνθέσεως ἡ γραμματικὴ παρ' αὐτοῖς τὸν ὑποκείμενον λόγον ἀποδίδωσιν, ἀλλ' ἐξ ἐμφάσεως τῶν μεταγραφομένων καὶ μεταφορᾶς μνήμῃ συνηθλημένης.*

ἀθρόον, καὶ οὐ διανόησις οὐδὲ βούλευσις. ὕστερον δὲ ἀπ' αὐτῆς ἀθρόας οὔσης εἴδωλον ἐξειλιγμένον ἐν ἄλλῳ ἤδη, καὶ λέγων (leg. cum codd. *λέγον*) *αὐτὸ ἐν διεξόδῳ, καὶ τὰς αἰτίας, δι' ἃς τοῦτο* (al. *οὕτως*) *ἐξευρίσκον*. „Videntur vero mihi sapientes Aegyptiorum, sive consummatâ quadam sapientiâ sive naturali etiam mentis instinctu, ubi constituerunt sapientiae mysteria nobis significare, non usi fuisse figuris literarum significaturis sermonis discursiones et propositiones quasdam, et imitaturis voces pronuntiationesque regularum, sed potius describentes imagines rerum singulas singularum, easque depingentes, in sacris clam rei ipsius discursum significavisse; quod videlicet scientia et sapientia quaedam sit unaquaeque imago sive exemplar et subjectum illud spectaculum totum unâ collectum, neque sit excogitatio quaedam, neque consilium. Postea vero ab ipsâ (imagine, exemplari sive sapientiâ) simul totâ simulacrum in alio quodam fiat jam evolutum, atque loquens in discursione quâdam et caussas, propter quas ita res institutae sint, inveniens.“ 407)

407) Confer cum hoc loco Plotini Jamblichum de mysteriis Aegyptt. Sect. VII. cap. 1. pag. 150. Gal. et de Hermete scriptionis auctore Horapollin. Hieroglyph. I, 14. et quae posui in Mythologiâ Vol. I. p. 295 sq. Caeterum quae de *Indorum* libris sacris (v. c. quatuor *Vedis*) horumque commentariis ac diversâ utrorumque scripturâ produnt eruditi, simillima sunt iis, quae de Aegyptiorum instituto tradunt scriptores ipseque Plotinus. Vide, ut hoc utar, quae de *Vedis* eorumque Commentariis docte exposuit Britannus Colebrooke in l. Asiatik Researches Vol. VIII. p. 377 seqq.

§. 28.

De mumiâ Darmstadinâ nuper Coloniensi. 408)

(Ad Herodot. II, 169. aliosque locos.)

Ejus ego solas imagines adumbrabo, quatenus ad religiones ac sepulchralem ritum faciunt. Quae ad condiendi artificium pertinent, ea naturalium rerum perito explicanda relinquimus, si quis forte aliquando in hoc cadavere operam collocare velit. Herodotus quae jure suo hoc in argumento sibi poscere videbatur, ea ei supra praestitimus ad capita 85 — 90. Coloniensem autem eandem mumiam diximus, quoniam illinc nuper advecta erat Darmstadium. Videlicet Coloniae Ubiorum sive Coloniae Agrippinae illud corpus medicatum inter alia haud pauca artis monumenta asservatum erat in armamentario publico. Unde postea transiit ad Huepschium, virum nobilem et qui hujuscemodi deliciis mirifice teneretur. A quo ea, aliâ cum supellectile antiquariâ, hereditatis jure pervenit ad *Augustissimum Hassiae Dynastam Darmstadinae stirpis*, qui eam Suo museo inferri jussit multarum rerum utilium

---

408) Ejus imaginem lineari arte aeneâ laminâ expressam infra subjecimus tab. nostr. nro. 8. Ac si qui coloribus picta exempla habere malint, iis horum quoque copia facta est. Delineavit *Schnell.* eâdem dexteritate, qua alia multa nuper pertractavit. Mumiae autem eum usum quem dixi liberalissime concesserunt nobis Museo *Magni Ducis Hassiae*, quod Darmstadii patet itemque Bibliothecae Darmstadinae praefecti V. V. C. C. *Schleiermacheri;* qui item nobiscum communicarunt iconem ejusdem mumiae antehac pictam, neque, quod sciam, publice editam.

venustarumque copiis redundanti. Coloniam quo tempore adlatum fuerit corpus hoc Aegyptiacum, memoriam hominum excedere videbatur. Certe qui me de hac re humanissime edocuit *Wallrafius* Prof. Acad. Colon. V. C. nihil inaudire sciscitabundus poterat. Atque, ut fit in obscuratâ rei memoriâ, erant qui eam rem ad Expeditionum adeo Cruceatarum aetatem referrent. Alii malebant, postea quoque advehi potuisse, nimirum florentibus Coloniensium commerciis usque ad medii aevi extrema. Proinde etiam Wallrafio probabilius videtur munus fuisse hominis patricii, ab orientali itinere reversi, patriae civitati exhibitum. [409])

Speciem ac mensuram quod attinet: arcula quae corpus continet, sex pedum Parisinorum modum nonnihil excedit; [410]) neque tamen adfabre concinnata et picta [411]) sed plane rudis et ferreis laminis

409) Quocirca non dixerim, utrum prius Europae oras attigerit Coloniensis haec mumia, an Francofurtina. Prima enim, quae adhuc quidem innotuerat, anno 1574. Francofurtum ad Moenum advecta, docente Blumenbach. in l. Beiträg. z. Naturgesch. II. p. 57. Nemo autem nescit, medicata ejusmodi corpora tunc temporis ipsorum medicamentorum numero et usu fuisse censita. Mecum communicavit nuper *Geigerus* noster, Philos. Dr., qui summâ cum dexteritate pharmaceuticam Heidelbergae factitat, ex ipsa pyxide depromtum mumiae frustum, in quo fasciarum fila residua aut impressa visuntur.

410) Idem modus ut plurimum in mumiis mumiarumque arcis obtinet, v. c. in Gottingensi, annotante Heynio in Notitiâ p. 7.

411) Quales multae aliae mumiarum arcae, vel lapideae vel ligneae. In illis nobilitata Lethueilleriana: in

compacta. Corpus ipsum quinque pedum magnitudinem aequans plurimis reliquis corporibus medicatis congruit. Neque idem tamen integrum, sed caput, collum et pars pectoris, verbo, quaecunque globi medio in pectore picti extremam oram superant, adeoque quae artifex tabulae nostrae lineis evanidis et pallescentibus exhibuit: igitur haec omnia mirifice truncata et foedata, ut nihil dignosceres. Ejus rei caussam erant qui recentem putarent, natam a peregrinatorum importunitate et immodestiâ. Ego potius Arabes insimularim, qui plurimas mumias prope Saccaram alibique obvias misere foedarunt; videlicet inhiantes lamellis aureis, quas saepiuscule defunctorum linguae subdiderunt veteres Aegyptii. Inde plus minusve deformata ora mumiarum et partes contiguae.[412]) Sed tamen quae Darmstadinae mumiae speciem refert icon antehac delineata, ea *haud improbabiliter* explet, quae in ipso corpore truncata sunt; videlicet calanticam, sive vittam sacram capiti impositam, et pectorale satis elegans ad Aegyptiacorum pectoralium indolem. Et

---

his Vindobonensis, quam nuper docte descripsit *Jos. de Hammer*. in libr. Fundgruben des Orients Vol. V. part. 3. pag. 273 seqq.

412) v. c. Gottingensis Mumiae; vid. Heynii Notit. p. 8. 9. Lipsiensis, quae in curiâ asservatur, annotante Boettigero in Archaeologie der Malerei p. 58. Nec Thebaicae mumiae omnes immunes ab eâ labe. Conqueruntur et explicant viri docti, quorum annotationes exhibet Silvestre de Sacy ad Ab-dollatif. p. 199. Adde peregrinatorum observationes in op. Descript de l'Eg. Antiqq. Vol. II. p. 346 seq.

consimiles in aliis mumiis videas. Ac fortasse in globulis illis agnoscas geminos, qui hujusmodi pectoralia exornant, nimirum vitreos filo per foramina transmisso. Vel fortasse malueris margaritas significari. [413]) Quae in pectore infraque pectus depicta conspiciuntur in Darmstadino hoc cadavere, ea deinceps attingemus. Nunc de extremis videndum, manibus pedibusque. Atque manus brachiaque mumiarum ut plurimum decussata reperiri Zoëga perhibet. Quae res minime convenit observationibus eorum, qui germana ac praestantissima ejusmodi cadavera nuper explorarunt. In quibus Villoteau ita distinguit: in feminis brachia demissa esse lateribusque adplicata: in viris pectori decussatim imposita; eique prorsus adstipulatur Jomardus, qui Thebaicas cryptas tam diligenter lustravit, ac tot mumias generosissimae conditurae formaeque inspexit. Hos igitur duumviros si audiamus, ita pronuntiandum erit: *Darmstadinam mumiam non minus quam Gottingensem pro femineâ habendam esse.* Verumtamen non omittam: ipsum Blumenbachium

413) Ejusmodi pectoralia globosque ac margaritas et quae alia in eisdem conspicias, folia perseae, scarabaeos reliq. memorat Zoëga de obeliscc. p. 260. 262. Vide eundem de *calanticâ* mortuorum p. 587 — 592. Caeterum in mumiis integris illibatisque *persona* ori applicata, sive *larva*, refert ipsius ejus hominis, quem larva contegit, vultum pictum lineamentis ad vivum expressis. Quae lineamenta haudquaquam ad Coptorum aut Nigritarum (Neger) aut Sinensium similitudinem accedunt, quae aliorum fuit opinio, sed potius ad similitudinem Arabum superiorisque Aegypti incolarum. Vid. Rouyer et Jomard. in op. Descript. de l'Eg. Vol. II. Sect. X. p. 218. et p. 342 sqq.

feminei corporis medicati brachia decussatim posita reperisse. [414]) Quocirca etiam hac in re antiquus ac legitimus veterum Aegyptiorum cultus habitusque judicandus erit e normâ, quam Thebaicae reliquiae prae se ferunt. Pedes in antiquissimis mumiis non discriminati nec nudati, sed velamine obvoluti, ut Darmstadina haec figura prae se fert. In aliis sandalia depicta videas. Nobiliorum mumiarum haec ratio est, ut brachia integra manusque ac pedes et ipsa amicta compareant spisso involucro ex pannis confecto, in quo affabre et anaglyphi instar expressi etiam digiti cum manuum tum pedum deauratis saepiuscule unguibus. Nonnunquam deaurati pedes integri aliaeque partes corporis vestesque, persona ori imposita, labia, pudenda, armillae aliaque. [415]) *Colores, quibus usi sunt veteres Aegyptii*, quantopere nuper denuo adverterint harum rerum peritos, nemini obscurum est. Neque hoc loco eam rem universam delibabo. Fasciis mumiarum involucrisque ipsumtos colores spectemus paulisper. Ac primum, praeter aurum, constat pictis in mumiis ut plurimum conspici hos colores: luteum, subflavum, flavum, viridem, caeruleum, subrubrum, rubrum, nigrum denique. Qui singuli, excepto auro, in Darmstadino exemplo obvii sunt, sed evanidi et

414) Vid. l. Beiträg. z. Naturgesch. II. p. 112. Zoëga de Obeliscc. p. 260. Heynii Notit. mum. Gotting. p. 15. Villoteau ap. Silvestre de Sacy ad Ab-dollatif. p. 269 et Jomard. sur les hypogées de Thèbes in op. Descr. de l'Eg. Antiqq. II. Sect. X. p. 346.

415) Zoëga de obeliscc. p. 260. not. 39. Heynius l. l. p. 12. Jomard. l. l. p. 339. 346.

pallescentes. Contra vegetos colores in iis mumiis dilaudant ac deosculantur peregrinatores, quae ex Thebaicis spelaeis recens editae sunt in lucem. [416]) In hac unâ re nunc cum maxime acquiesco, quo et temporum et artium paullatim labentium varietas etiam hac in caussâ teneatur. Nam quae vel naturae vestigatores vel artium periti [417]) de colorum Aegyptiacorum materiâ succisque et coctione, mistione universâque tractione disputarunt, ea a nostro consilio alieniora existimo. Illud unicum subjiciam: etiam nostrae in mumiae involucro omnes figuras catagraphorum in modum esse depictas, hoc est obliquo ore corporeque (*en profil*). Quem pingendi morem cum universae Aegyptiae antiquitatis esse diceret Heynius [418]): necdum viderat Thebaicas illas tabulas Francorum Britannorumque voluminum, quae adversa ora corporaque (*en face*) anaglyphorum haud pauca exhibent.

Atque, *ut jam sigillatim attingamus tabulae nostrae figuras*, ex iisdem Thebaicis monumentis etiam huic *Isidi*, quae primum locum occupat, patrocinium paratur. Nam cum aliis in mumiis eadem

---

416) Zoëga l. l. p. 262. Jomard. l. l. p. 353.

417) Vid. Gmelinii experimm. in mumiis institutt. p. 20 seq. Blumenbachii Beitr. zur Naturgesch. II. p. 71. Delile Memoires de botanique in l. Description de l'Eg. eâ parte, quae inscribitur: Histoire naturelle Tom. II. cf. Jomard. l. l. p. 353. Heynii notit. mumiae Gotting. p. 9. sq. Meyer. ad Joannis Winckelmanni opera vernacula Vol. III. p. 367. Boettigeri Ideen z. Archaeolog. der Malerei p. 25. 33 seq. et inprimis p. 56 seqq.

418) Libro laud. p. 12.

vel velata compareat, vel seminuda certe: haec ipsa nudata prorsus est, exceptis solis armillis. Atqui, ne dubites, hujuscemodi nudas feminarum species exhibent ipsa anaglypha Thebaeorum in Aegypto, quae nuper in illis operibus sunt exhibita. Frequentatur autem quam maxime in mumiarum involucris *haec Isis ingenicula, expansis brachiis et quasi preces fundens.* [419]) Prope etiam ad nostrae Isidis similitudinem accedunt duae ejusdem deae imagines e mumiarum Thebaicarum fragmentis delineatae, si colorem excipias. Nostra enim rubicunda est ad carnis speciem picta: illae, flava altera, altera nigra. Sed utraque in eo persimilis nostrae, quod geniculata est inter binas alas grandiores, ac brachiis extensis porrigit bina perseae folia. [420]) Neque *corporis habitudo* inprimisque *lineamenta oris* negligenda in hac Iside, quam nostra tabula sistit. Nimirum si attendas ad ea, quae nuper Blumenbachius docte praecepit de tribus gentium formis uno in populo Aegyptio distinguendis [421]): *Indicam quodammodo*

---

419) Eam habent mumiarum arculae plures, velut Lethieulleriana, annotante Zoëga l. l. p. 504. conf. 261. 321. 329. Velamina ipsa mumiarum habent. v. c. Gottingensis cadaveris. vid. Heynii notit. p. 11. itemque ejus mumiae quam dedit Montfaucon Antiq. expl. Supplem. Tom. II. pl. 39. Utraque tamen Isis seminuda.

420) Description de l'Eg. Antiqq. Vol. II. pl. 58. nr. 1. et nr. 2. — Isis ipsa alata et quatuor quidem alis comparet in ejus mumiae involucro, quae est in museo *Muenteri.* Vid. ejus antiquar. Abhandll. p. 161.

421) Videlicet: Aethiopicâ, Indicâ et eâ quae ad Barbarorum (Berberorum) septentrionalis Africae gentium

hanc ipsam nostram Isidem dixeris. Arguunt femora graciliora et porrectiora crura; praecipue oris habitus: aures eminentes in altum, nasus gracilis ac procerus, ab eoque summo versus tempora sursum pertinentes palpebrae. Cujus characteris exemplum dedit idem vir doctus [422]) expressum ab ore, quod arca Lethieulleriana aversa habet. Thebaicis e monumentis ea ora huc referenda videntur, quae vel picta vel sculpta visuntur in regiis cryptis prope Thebas, v. c. femineum caput e lapide Aegyptio (Syenite), et tria capita coloribus expressa. [423])

---

similitudinem proxime accedere videtur Blumenbachio in libr. Beitr. z. Ngsch. nr. XVII. p. 130. Grati profitemur quae vir peritissimus his de rebus egregie promeruit, ut qui acute viderit multa a nemine antehac animadversa. Sed eundem tamen, quae ejus modestia est, nunc ingenue fassurum speramus: haudquaquam posse ad illa tria genera singulas formas redigi, quas nunc spectantibus offerunt mumiae, picturae et anaglypha, signa etiam lapidea Thebaica. Ego levissimo tantum brachio attingam nonnulla. A tribus illis generibus plus minusve abhorrent duo illa capita medicata, cum viri tum feminae, ex hypogaeis Thebarum eruta; (Descript. de l'Eg. Antiqq. II. pl. 49. 50.) alia capita, indidem protracta; (ibid. pl. 47. nr. 11. 12. 13.) caput colossi, quem Memnonis dicunt Franci; (ibid. pl. 22. cf. pl. 81. nr. 3. 9. haec quidem duo capita nonnihil Aethiopici generis referunt.) et maxime omnium illud ab Osymandyae sepulchrali monumento ductum caput nobilissimi elegantissimique characteris. (ibid. pl. 32. nr. 6. et nr. 7.)

422) Vide icon. in fronte secundae partis Symbolarum ad histor. natur. proxime laudatarum exhibita.

423) Descr. de l'Eg. Vol. II. pl. 81. nr. 12. ibid. pl. 92. nr. 2. 4. 11.

Propius tamen ad Indicam speciem accedunt alia quaedam ora in iisdem tumulis obvia; nec minus os Telamonis (qui architectis dicitur) et aliquot vel sacerdotum vel regum ora, conspicua in minore aedificio regio, quod exstat prope Medina-tabu.[424]) *Vittâ* autem nostrae Isidis caput contegitur, qualis frequentatur Aegyptiacis in monumentis. Haec ipsa caerulei coloris est. In vertice repositus *solis discus*, qui et naturae dominam Osiridisque uxorem declarat, et vero fiduciam eorum, qui ab inferorum oris ad superiora caelestiaque se redire volunt, ideoque dei Solis gratiam implorant, ut est in precibus apud Ecphantum, quas supra dedimus. Est enim *Isis infera*, quae in tabulâ nostrâ preces fundens ac geniculata fingitur. Notabilem faciunt bina folia *perseae*, quae dea ambabus manibus porrigit. Quae quidem planta propria Isidis est [425]) ac praecipue

424) Ibid. pl. 7. et pl. 86.

425) Plutarch. de Isid. p. 378. p. 548. Wyttenb. *Τῶν ἐν Αἰγύπτῳ φυτῶν μάλιστα τῇ θεῷ* (Isidi) *καθιερῶσθαι λέγουσι τὴν περσέαν.* Etiam *geniorum* est persea, annotante Zoëga de Obeliscc. p. 05. De hac plantâ non repetam quae plura posui in My ologiâ Vol. I. p. 332 et p. 41. Nonnulla addam. Videlicet hodieque evanuit haec plantae species in agris Aegyptiorum, neque igitur certo definiri potest qualis fuerit, docente Blumenbachio in libr. Beitr. z. Ngsch. II. p. 61. hoc magis celebrata Aegyptiorum religionibus monumentisque artium. Itaque, ut hoc utar, perseae foliis exornata videas columnarum capita templi, quod est in urbe Edfou (Apollinopoli-magnâ. vid. Descript. de l'Eg. Antiqq. Vol. I. pl. 55.); neque minus Graecis cognita (Strabo XVII. p. 823. p. 629. Tzsch.) et in pompâ illâ Ptolemaei regis interposita sacris tesseris

tanquam inferorum reginae. Propterea nil mirum *in mumiarum praesertim involucris depictam conspici eam plantam.* Atque in manu dextrâ fortasse agnoscas Isidis, quam mumia Gottingensis spectandam offert, in sinistrâ Dresdensis, in utrâque autem ejus Isidis, quae picta est in tabulâ involucri Montefalconianâ. [426])

Sequuntur binae *fores angustae* fenestris quodammodo similes, sive *portulae* quae ab *utrâque* Isidis precantis parte aperiuntur. Eae satis expeditam explicationem habent, si memineris Isin hîc decumbere mortuorum pariter ac viventium reginam. Atque, ut hinc ordiar, in Vindobonensis quoque mumiae picturâ portam inferi agnoscit et commode illustrat Josephus de Hammer; nec minus a portâ inferi nuper pyramidum appellationem repetere in-

---

(Athenaeus lib. V. cap. 27. ubi Schweighaeuserus de nominis scripturâ monuit. p. 97.); neque Christianorum scriptoribus graecis ignota; quibus nunc περσαία nunc βισασά dicitur (Cangii Glossar. med. et inf. Graecit. pag. 204.) Etenim in Mariae Aegyptio itinere exornando locum habet. Quid? Mohammedanorum quoque fabulis interposita, qui eam arabice dicunt Lebakh. (Silvestre de Sacy ad Ab-dollatif. p. 47 seqq.)

426) In Gottingensi *musae*, plantae ex palmarum genere, folium sibi vidisse videtur Heynius; quem consule in Notit. p. 9. itemque Zoëga in manibus Isidis quam exhibet arca Lethieull. vid. de obeliscc. p. 506. In Dresdensi alterâ *perseam* agnoscit Boettiger. in l. Archaeol. d. Malerei I. p. 72. Montefalconiana Isis exstat in Supplem. Antiq. expl. Vol. II. pl. 37. De hac tamen anceps conjectura haeret; quandoquidem nemo nescit ejus operis icones parum accurate expressas esse.

stituit Muenterus. [427]) Jam si de duabus portulis nostris quaeras, Porphyrius [428]) ad symbolicam ejus rei vim percipiendam quasi manu nosmet ducere videtur, cum, accurate de portarum tesserâ exponens, etiam Aegyptiacâ, *diis orientales* partes attributas dicit, *geniis* (daemonibus) *occiduas*, ac continuo subjicit (p. 26.) — *ἀρξαμένης γὰρ τῆς φύσεως ἀπὸ ἑτερότητος, πανταχοῦ τὸ δίθυρον αὐτῆς πεποίηνται σύμβολον·* „cum enim natura a diversitate coeperit, quidquid ubique bipatente aditu est, symbolum ejus (naturae) constituerunt." Deinde ita pergit: *καὶ τῶν θεολόγων πύλας ψυχῶν ἥλιον τιθέντων καὶ σελήνην· καὶ διὰ μὲν ἡλίου ἀνιέναι, διὰ δὲ σελήνης κατιέναι.* „Sic et Theologi solem ac lunam *animarum portas* statuerunt: quas per solem ascendere, et descendere per lunam volunt." [429]) Etiam Clemens Alexandrinus [430]) in Aegyptiorum symbolis duplicem solis accessum memorat et canes quasi ad utramque solis portam excubantes, cum dicit: *οἳ δὴ διαφυλάσσουσι καὶ πυλωροῦσι τὴν ἐπὶ νότον καὶ*

---

427) A Copticis vocibus ϱω porta et μου mors. Vid. viri doctissimi Antiquarische Abhandlungen nr. I. pag. 9. Hammeri annotationem reperias in libr. Fundgruben des Orients. Tom. V, 3. p. 273 — 275.

428) De antro Nymphar. cap. 27 — 29. pag. 24 — 27. Goensii.

429) Pag. 27. Proxime ita dixerat: *δύο δὲ στόμια Πλάτων φησί· δι' οὗ μὲν ἀναβαινόντων εἰς οὐρανόν· δι' οὗ δὲ κατιόντων.* „Plato enim duo ostia sive fauces commemorat, quarum altera patet ascendentibus in coelum: altera descendentibus in terram."

430) Stromat. lib. V, 7. p. 671. Potteri.

ἄρκτον πάροδον τοῦ ἡλίου. Quae cum ex Aegyptiorum reconditâ doctrinâ diserte proferant docti scriptores: probabiliter ita accipiendae sunt *hae duae portulae, solem atque Isidem-Lunam includentes,* ut dicas: esse *solis fores lunaeque;* quarum per alteram (lunarem) coelitus descendunt animae: per solarem alteram rursus ascendunt in coelum. Neque illud alienum, quod occidua porta daemonum dicitur esse: orientalis deorum, siquidem veteres ita tradebant: animas a daemonibus in mortalia corpora includi, quae ubi abjecerint rursus easdem ad deos reverti.

Haec ipsa nos admonent *loci Herodotei libr. II. cap.* 169. cujus priorem partem supra attigimus. Nunc extrema attingamus. Nimirum in exitu ejus capitis, quo sepultura Pharaonum Saï in templo Minervae memoratur, haec posuit historiae pater: — *ἔστι μέντοι καὶ τοῦτο ἐν τῇ αὐλῇ τοῦ ἱροῦ, παστὰς* [431]) *λιθίνη μεγάλη, καὶ ἠσκημένη στύλοισί τε*

---

431) De hoc vocabulo late patente dicendi otium fecerunt mihi viri docti, qui ejus varios significatus vel explicarunt vel certe attigerunt. *Παστάδας* memorat Noster in Labyrintho Aegyptio a se visas II, 148, ubi vide Wyttenbachium in Selectis Histor. p. 356 et cf. Valckenaer. ad Euripid. Phoeniss. 418. Frequentatur idem Xenophonti, vid. Schneiderum in Epimetro ad Memorab. de domo Graecâ p. 285 seq. nec Herodotei loci immemorem et de differentiâ vocum *παραστάς* et *παστάς* praecipientem. Nec minus frequens apud Alexandrinos scriptores (vid. Bielii Thes. V. T. III. p. 57. Sturz. de dialecto Alexandrinâ p. 107.) et in Rosetanâ quoque inscriptione obvium (Ad eam consule Heynium in Novv. commentt. Soc. Scient. Gotting. Vol. XV. p. 279). Nec postea ejus

φοίνικας τὰ δένδρεα μεμιμημένοισι,[432]) καὶ τῇ ἄλλῃ δαπάνῃ. ἔσω δὲ ἐν τῇ παστάδι διξὰ θυρώματα ἕστηκε· ἐν δὲ τοῖσι θυρώμασι ἡ θήκη ἐστί. — „at est tamen etiam hoc in aulâ templi, thalamus lapideus ingens, columnis ornatus palmas arbores imitantibus alioque sumtu. Intra thalamum, repositorium est binis foribus clausum, atque inibi est regis sepulchrum.“ Quo in loco utut accipias ac vertas illud διξὰ θυρώματα,[433]) semper remanent sive binae fores sive

---

vocis usus exolevit (Jacobs ad Aeliani Hist. Animal. p. 35). In Aegyptiorum religionibus atque pompae Isiacae apparatu saepiuscule memorantur et παστάδες et παστοφόροι, sacrificulorum inferiorum ordo, annotantibus Oudendorpio ad Appuleji Metamorph. lib. XI. p. 815. loco classico de sacris Aegyptiacis, et Boettigero archaeolog. Museum p. 103 et Isisvesper p. 119. Monumentorum Aegypti caussâ de his vocibus nuper admodum exposuit Millin in Aegyptiaques p. 9 seqq. Herodotus quod sciam primus usurpavit eam vocem, quam h. l. *thalamum* vertit Schweighaeuserus, Larcherus vertit *salle*, sed in annotationibus II. p. 532. mavult *chambre:* et quae sequuntur satis arguunt *de conclavi* h. l. esse accipiendam.

432) Hoc loco usi sunt magni operis Francogallici editores, ubi id agunt, ut *Aegyptiacae architecturae primordia* explicent. Etenim illud sibi videntur vidisse, non solum columnas sed alias quoque aedificiorum partes apud veteres Aegyptios ad *plantarum arborumque* imitationem effictas esse. Eam rem confirmari putant non modo reliquiis sepulchri Osymandyae, verum etiam singulis, quotquot hodieque exstent superioris Aegypti aedificiis. Vid. Descript. de l'Eg. Antiqq. Vol. II. (Thèbes) p. 33. Qua de re judicent harum rerum periti.

433) Wesselingius θυρώματα h. l. explicarat: *tabulata ad fores deposita et conditoria apta.* Larcherus ita

janua bivalvis, et quidem in sepulchri constructione ac defuncti regis conditorio. Quam rem si cum Clementis Porphyriique testimoniis conferas, cogitesque indolem Aegyptiorum, omnia, quae ad mortuos rite componendos pertinerent, per quandam significationem (symbolice) exornare solitorum: nullus, opinor, dubitabis, *quin haec quoque geminatae fores, in sepulchro Saïtico patentes, ad vitae mortisque vices animarumque vicissitudines, quas modo adumbravimus, spectaverint.*

Hactenus de Herodoteo loco. *Igitur superior pars velaminis Darmstadini, quae quidem integra est, probabiliter Isidem habet naturae universae dominam ac viventium aeque ac mortuorum praesidem, gestantem in manibus perseae folia, mortuorum symbola, interpositam duabus portulis sive fenestris, animarum huc illuc commeantium tesseris, subjectam soli, per quem animae perpurgatae ad coelestia redeunt, ingeniculam atque ex-*

---

vertit eum locum: „Dans cette salle (chambre vid. quae proxime posui) est une niche avec une porte a deux battans" eamque vocem *niche* comprobavit Valckenaerio et Toupio, quos ille consuluerat super hoc loco. Neque Schweighaeusero improbatur Larcheriana ratio. Ipse tamen aliam iniit, nimirum hanc: „Igitur διξὰ θυρώματα sunt *geminatae fores*, *janua bivalvis*: et ἐν τοῖσι θυρώμασι idem fuerit ac ἐντὸς τῶν θυρωμάτων." Haec placent utpote simplicissima. Quo minus tamen *geminatas fores* h. l. agnoscam, prohibent me illa quae supra contuli. Neque illud praecise dixerim θυρώματα ubivis grandius quoddam sonare quam θύραν. Nam a LXX θυρώματα usurpantur pro fenestris. Vid. 3 Regg. VII, 5 et cf. Bielii Thesaur. V. T. II. p. 54.

tensis manibus precabundam. Deprecatur autem pro reditu ejus hominis, cujus cadaver hoc ipso velamine amicitur.

Recumbit Isis in *scutulâ oblongâ* coloris caerulei *subnatantibus quinque naviculis* vel *lembis* potius. De quibus nunc videndum est. Ac *pompam sacram* significari sive *initiationum ritum*, arguunt *bacilli* sive *litui*, qui bini in singulis lembis positi mediam includunt *tau ansatum* sive *clavem Niliacam*. Malo enim in hoc symbolo designando Zoëgae rationem sequi, quam Jablonskii, Larcheri, aliorum.[434]) Bacillos autem agnoscis non simplices istos, sed imposito bestiae capite; quae et ipsae mirum quantum frequentantur in Aegyptiorum tabulis scul-

434) Qui ad phallum retulerunt: Jablonski in Vocc. Aegyptt. p. 258. Heynius Notit. mum. Gotting. p. 10. Larcher. ad Herodot. II, 48. p. 271. ed. alter.: iis oblocutus Zoëga e tabulâ Isiacâ argumentum duxit, ubi mascula vis plane diverso signo declaratur. Sed aliunde etiam comprobavit plurimis viris eruditis Zoëga, ad Nilum pertinere crucem ansatam. Vid. de Obelisco. p. 440. 451. 585. 592. Nilus autem cogitandus est etiam tanquam fons perennis universae vitae, tanquam fluvius salutaris adeoque genitor (vid. quae supra posuimus). Dici non potest, quantopere hoc signum frequentetur per monumenta Aegyptiaca omnium seculorum. Ita, ut hoc utar, Isidis est gestamen in Thebaicis anaglyphis (Denon. pl. 117.) itemque in signo ejusdem deae musei Dresd. (Augusteum I. tab. 3.); est Osiridis, Hori, aliorum deorum (Visconti in Mus. Pio-Clem. II. p. 36.); est sacerdotum atque etiam regum (v. c. in anaglypho, quod pompam Pharaonis triumphalem habet prope Medina-tabu in op. Description de l'Eg. II. Thèbes p. 47). Cujus tabulae interpretes Francogallici simpliciter *divini numinis* tesseram dicunt.

ptis pictisque. Ac plane sicut in mumiâ nostrâ hujusmodi bacilli sacri alternis adjuncti visuntur ansatis crucibus illis in Thebaicorum aedificiorum parietinis, praecipue iis quae initia sacra Aegyptiorum continent. [435]) Distinguendi autem ejusmodi bacilli accuratius quam adhuc factum. Videlicet alii avium capita imposita habent, cuculi, aliarum alitum. [436]) Has *augurales* dixerim, sive proprie *lituos*, quoniam ad auguria auspiciaque videntur adhibiti esse. Alterum genus aliarum bestiarum ora refert, *leporum* inprimis. Haec ego bacilla dixerim *peregrinatorum gestamina*, nimirum eorum, qui sacrorum caussâ peregrinantur. Est enim lepus somni leviculi symbolum. Neque enim veteres ignorarunt lespusculos apertis oculis quietem capere, et facile expergisci (Xenoph. Cyneg. V, 11. Aeliani H. A. II, 12. Pollux. V, 68.). Ac ne dubites Aegyptiorum quoque in symbolis hanc ipsam ob caussam leporem fuisse, audi Plutarchum ita narrantem in Symposiacis IV, 5. 3. pag. 670. pag. 741. Wyttenb.: — Ὁ γὰρ λαγὼς κ. τ. λ. — Εἰ μὴ, νὴ Δία, καὶ πρὸς τὰς ὁμοιότητας αἰγυπτιάζοντες τὴν ὠκύτητα τοῦ ζώου

---

435) V. caussâ in columnis et parietibus lapideis palatii Thebarum prope Karnak (Descript. de l'Eg. Vol. III. Antiqq. pl. 36. nr. 5. pl. 37. nr. 10.) et prominentes e vase sacro, quo sacris initiatur novitius in peristylio prope Medina-tabu (Ibid. Vol. II. p. 40.) Alia id genus monumenta Aegyptiaca antehac indicaverant Abbas Fea et reliqui editores operum Winckelmanni, Hist. art. Tom. I. p. 526 seq. ed. noviss. Dresd.

436) Vid. gemmam Stoschianam Vol. I. tab. V. a. ibiq. Winckelm. et Schlichtegroll. Vol. II. p. 61. 62.

θεῖον ἡγοῦνται, καὶ τὴν ἀκρίβειαν τῶν αἰσθητηρίων· ὅ τε γὰρ ὀφθαλμὸς ἄτρυτός ἐστιν αὐτῶν ὥστε καὶ καθεύδειν ἀναπεπταμένοις τοῖς ὄμμασιν. ὀξυηκοΐα δὲ δοκεῖ διαφέρειν, ἣν Αἰγύπτιοι θαυμάσαντες ἐν τοῖς ἱεροῖς γράμμασιν ἀκοὴν σημαίνουσιν τοὺς λαγωοὺς γράφοντες. (Lege cum Wyttenbach. et Reiskio οὖς λαγωοῦ et cf. Horapollin. Hieroglyph. I, 26. p. 42. ed. Pauw.) Quocirca hujus bestiae imago traducta *ad mortis cogitationem leniendam.* Quod hoc pacto fit, ut somni fratrem dicamus mortem; quae nos paullulum sopiat, undeque brevi tempore interjecto expergiscimur. Hinc in urnis Graecorum sepulchralibus, velut Capitolinâ illâ ludibundorum leporum imago exhibita.[437]) Patet haec res latius et per Indiae quoque Galliae et Germaniae veteris religiones, uti monumenta artium et linguarum testantur.[438]) Igitur, ut nostrae scutulae argumentum absolvamus, *habet* ea *peregrinationis et vitae cum morte commutandae haud ambigua indicia.* Peregrinamur nimirum in hac vitâ. Hoc diserte docebant Aegyptii, quando haec aedium nostrarum habitacula *deversoria* dice-

---

437) Vid. Winckelmanni de Allegoriâ libr. vernac. p. 636. ibiq. editores p. 736 et cf. Mytholog. nostr. III. p. 522—527. ubi vasculum explicui in Seren. *Comitis de Erbach.* museo obvium.

438) Qua de re nuper admodum per literas memoratu digna mecum communicavit cum ex Hamiltoni Britanni sermonibus (qui cum lunaribus religionibus Indorum etiam leporem conjunctum docuerat), tum ex Galliae Germaniaeque superioris monumentis *J. G. Schweighaeuser,* vir eruditus ingeniosusque et mihi amicissimus.

bant (Diodor. lib. I. cap. 51. p. 60 seq.). Quocirca migrandum est ei, qui diem suum obierit. Atqui Aegyptiorum dii deaeque atque sacerdotes migrantur primum in lembis per Nili fluenta. Deinde illuc deveniunt in Necropolin deserto propinquam, ubi pedestre iter faciundum. Hinc igitur lintres illae sive cymbae [439]) Charontiae. Hinc bacilla peregrinatorum. Sed patet reditus; neque in perpetuum migratur. Propterea cymbae mediae imposita Nilotica clavis, quae redeuntis per vices fluminis salutaris vitaeque alternantis significationem habet. Hinc bacilla cum capitibus leporinis, quae mortis tanquam leviculi somni, sive suspensi duntaxat soporis, solatia commonstrant.

Sequitur altera scutula, habens easdem *illas falconum alas*, triplici ordine junctas, quas supra Isidem ambientes vidimus. In mediâ scutulâ comparet *globus flavus interpositus binis arrectis serpentibus uraeis*. Hanc tesseram nemo nescit admodum frequentem in templorum Aegyptiorum aditu esse, quem superne prominens exornat. Atque in templis Thebaicis hoc symbolum opere anaglypho affabre picto eminet, cum reliqua templorum or-

439) Supra Diodori Siculi testimonium (lib. I. cp. 96. p. 108.) de navigio sive bari et Charonte excitavimus. Hoc loco navigii tesseram ad animarum vices spectantem attingamus. Eustathius ad Odyss. XV, 350. p. 546. Basil. ita: *καὶ τὸ σῶμα οἱ σοφοὶ συμβολικῶς παροιμίας λόγῳ ἐφόλκιόν φασιν, ὡς μεγάλῃ τινὶ ἐφελκόμενον νηΐ, τῇ ψυχῇ*. Similiter Zacharias in Ammonio pag. 234. Igitur *anima* est *navis: corpus*, appendicula, sive *cymba navi annexa*.

namenta ut plurimum lapidi incisa compareant. [440]) Serpenti nomen uraeus (οὐραῖος) [441]) Deorum quoque capitibus additum videmus hujus imaginem draconis. Quod ad *immortalitatem* significandam excogitatum prodit Horapollo. Idem scriptor graece *βασιλίσκον* nuncupari addit. Quam appellationem ad Aegyptiacae linguae fontem redigere studuerunt docti homines. [442]) In quibus potissimum advertit

440) Jomard. in op. Descr. de l'Eg. Vol. I. Antiqq. cp. 5. §. 4. p. 19. Etiam ipsis Thebis frequens ea tessera. Ibid. livr. II. cap. 9. sect. 1. p. 24. 25.

441) Quod Jomardus ejusque collegae usurpant *ubaeus*, in causså est varietas lectionis in Horapollinis Hieroglyph. I, 1. De qua Jablonskius consulendus in vocc. Aegyptt. p. 191. Quod nuper editus Jo. Lydus de menss. p. 30 *δράκοντα οὐρηβόλον* in Aegyptiis tesseris sacris agnoscit: pertinet is minorem ad caussam, nimirum ad significationem *anni*. Caeterum vox addenda Lexicis. Idem Jo. Laurentius ibid. p. 53 Aegyptiorum *ὄφιν ἱερακόμορφον* novit expansum per circulum medium (*περιφερῆ κύκλον ἀεροειδῆ καὶ πυρωπὸν — καὶ μέσον τεταμένον ὄφιν ἱερακόμορφον*) circulum referens ad mundum: (*κόσμον*) draconem ad bonum genium (*συνεκτικὸν ἀγαθὸν δαίμονα*). Quae quidem, licet non usquequaque congruant nostrâ cum imagine, tamen nonnihil huc faciunt. P. Knight in l. Inquiry into symbolical language §. 25. p. 18 ita: „Over the porticoes of all the ancient Aegyptian temples, the winged disc of the sun placed betwen two hooded snakes, *signifying that luminary placed between two great attributes of motion and live.* Deinde eâ cum tesserâ comparat consimiles tesseras Phoenicum, Carthaginiensium, Druidarum Britanniae Galliaeque, adeoque Sinensium.

442) Salmasius Epist. lib. I, 78. p. 167: „Aegyptii olim Regem vocarunt οὐρό. Hinc ὧρος Graecis et οὐραί

me Zoëgae ratio, qui vocabulum *οὐραῖος* Coptici sermonis ope ita explicat, ut sit compositum ex *ur* rex et *af* serpens. [443]) Atque hanc alteram vocem nuper admodum ingeniose adhibuit Jomardus ad explicandam Hieroglyphicorum rationem. Videlicet id agit vir doctus, *ut alphabeticam scripturam veterum Aegyptiorum ex ipsis hieroglyphicis characteribus ortam commonstret.* Etenim alphabeticas literas antiquas Aegyptias simplices esse, quae formam ac figuram ipsarum rerum quodammodo retinuerint; quod accuratius factum in hieroglyphicis characteribus; ut quibus ipsae res depictae fuerint et ad oculorum sensum traductae. Argumento esse cum alia vocabula, tum hoc ipsum serpentis (*af*). Nimirum Copticum characterem *hori* sive *h* adspiratum, obvium in omnibus vocabulis Copticis, *serpentem* significantibus, inque ipsâ voce *have* quod hodieque in omnibus orientalium linguis *serpentem* denotet [444]): igitur eum characterem ϩ non aliunde ductum esse quam e *serpentis uraei* imagine hieroglyphicâ; (*vid. tab. nostr.*) eamque rem confirmari et veteribus literis Aegyptiacis voluminum papyraceorum et Copticis et vero etiam Arabicis. In

---

Horo Apollini (Hieroglyph. l. l.) *βασιλίσκος* serpens, id est, parvus rex.“ Qui plura velit, adeat Jablonsk. l. l. Fischeri Ind. in Palaephat. sub. voc. et Sturz. de dialect: Alex. p. 151.

443) Numi Aegyptiorum imperatorii. p. 400.

444) *Afa*, serpens venenata Arabiae, teste Niebuhr. in Descript. Arab. praefat. pag. xi. nec minus Hebraicis scriptoribus cognita. Vid. Gesenii Lex. Hebr. Vol. I. p. 58. ibiq. laudd.

singulis enim reperiri eandem fere literam consimili ductu pictam. [445]) Haec ille, de quibus aliorum judicium esto. Quod idem tamen universi symboli, in quo explicando versamur, globum interpositum binis uraeis alasque falconum, in templorum adversâ parte ita accipit, ut *deum* designet *caloris* et *lucis:* favet ei quidem conjecturae *ἀγαθοῦ δαίμονος* appellatio ejusdem serpentis uraei propria. Est enim boni dei vel genii, calorem lumenque fundere. Verumtamen non negligere debebat Jomardus notionem *aeternitatis;* quam illi tesserae diserte vindicat Horapollinis (l. l.) et quodammodo ipsius etiam Joannis Lydi (l. l.) auctoritas.

Jam si mumiarum picta involucra spectamus, non minus frequens in iis haec tessera. [446]) Atque uraeos quidem in Dresdensium cadaverum velaminibus sibi videtur vidisse vir doctus. [447]) Isidi autem inferorum reginae saepiuscule attributus uraeus, ita ut arrectus promineat, et ad deam conversus. [448]) Atque in nostrâ item imagine duplicati uraei sursum

---

445) In op. Descript. de l'Eg. Vol. II. Antiqq. p. 375. Caeterum de serpente agathodaemone cf. etiam Muenteri V. C. archaeologische Abhandlungen p. 13. Idem lectu digna profert de literarum Aegyptt. characteribus ibid. p. 163 seqq. Ad illam literam, de qua diximus, facit adjecta ibidem tabula nr. III.

446) Zoëga de obeliscc. p. 326. p. 431.

447) Boettiger. in libr. Ideen z. Arch. der Malerei p. 75. p. 78.

448) Zoëga l. l.

arriguntur, et quasi Isidem versus tendunt, hoc est ad eam deam, quae in animarum secessu a corpore beneficam se praebet iisdem, et *bonae deae* sive *boni genii* partes gerit; quae precibus suis intercedit, ne misella anima fatali orbi migrationum inclusa in perpetuum circumagatur, sed quam primum *immortalitatis beata praemia* capessat.

Neque vero negligendum hoc est, uraeos illos cum globo ac ternis alis eminere super *sacellum* sive *auguratum conclave*, in quo initiationes peraguntur, ac proinde hic non minus quam in templorum propylaeis intrantibus notum facere praesentem deum. Nam continuo *subjicitur in tabulâ nostrâ rubri coloris scutula, quae exhibet quatuor sacerdotes vel certe mystas*, (arguunt vittae atque claves Niliacae, quas in manibus gestant una cum illis bacillis leporinis) *qui ad Osiridem deducunt, ac porro comitantur binas animas hominum specie effigiatas* vel fortasse et accedentem citra ultraque procedentem unius hominis animam; uti facere assolet rudior artifex, quando unius personae diversam pro re natâ conditionem, rerumque, ut quaeque fuerit, singularum vices exprimere instituit. Est enim mediâ in scutulâ locatus signisque sacris binis interpositis ipse *Osiris*. Documento est infula fastigata sacerdotalis, operose exornata, nec minus bacillum incurvum sive *lituus* ac denique *ligo* 449) sive *rutrum*.

---

449) *Sceptrum ad aratri similitudinem accedens* alii malunt dicere. Docent enim, ex hoc rutro aratrum Aegyptiorum esse effictum. Supra modum instrumenta ara-

Magis vero illud Osiridem declarat, quod est *in mumiae formam rite compositus.* Nam hic deus, qui ad extrema omnia pervenerat, subierat mortis quoque acerbum fatum. Quo perfunctus primus omnium rite medicatus fuerat, inque mumiae formam redactus. Proinde Osiridis cadaver tanquam exemplum propositum omnibus rite condiendorum cadaverum.[450]) Propterea etiam reconditioribus in sacris Saï scenice exhibita sunt spectacula Osiridis casuum.[451]) *Ei igitur deo, inferorum domino, offertur nunc recens a corpore suo digressa hominis anima.* Adhuc ea moratur ac trepidat circum corpus hominis, et circumvolat quodammodo. Propterea haec anima hominis etiamnum specie induta exhibetur. Recens advena in Amenthe (apud inferos) sacris precibus commendatur Osiridi, quo ei gratiam suam impertiat. Cujusmodi precum formulae passim obviae in monumentis, adeoque in mumiâ

---

toria bifariam esse accipienda, et cum *ad frugum primordia, quorum auctor Osiris ferebatur, tum vero ad mortis vices pertinere, quae cum semente comparantur.* Exhibent autem hujuscemodi ligones cryptae Aegyptiacae. Vid. Descr. de l'Eg. Vol. I. p. 68. et cf. Jomard. ibid. Vol. II. p. 355. etiam Heeren in libr. Ideen II. p. 829. Nuper admodum ex ruderibus Saïs, nobilitatae quondam urbis Aegypti inferioris, protractum istiusmodi rutrum. Refert Clarke Britannus in Travels Vol. p. 293.

450) Vide quae supra posuimus ad Herodoti II, 86.

451) Herodoti II, 171. τὰ δείκελα τῶν παθέων αὐτοῦ. Quae et ipsa supra attigimus.

alterâ Dresdensi. [452]) Nulla tamen notabilior, quam Phoeniciis literis, ut arbitrantur, consignata formula precum in titulo sepulchrali, qui Thebes feminae Aegyptiae virtutes praedicat et pietatem Osiridi tributam. Cujus in exitu hoc carmen legitur: *Benedicat ei Osiris.* [453])

Sequitur *virga sive trabea angustior et ipsa scutulas pictas continens.* Ac prima se offert eadem illa sacra tessera templorum, quam supra offendimus: *triplex ordo alarum, globus medius applicitis utrique serpentibus uraeis.* Globus autem non flavi coloris, ut ille superior, sed rubri, ac proinde concolor ipsi scutulae. Noli dubitare, quin discolor globulus rei etiam differentiam includat, et *universe colores non minus quam reliquas res in Aegyptiorum picturis obvias per quandam significationem esse explicandos.* Quod speramus fore ut

---

452) εὐψύχει — (μετὰ τοῦ 'Οσίριδος). Vid. Zoëgam de Obeliscc. p. 306. not. 25. Becker. in Augusteo I. p. 20. Boettiger. in l. Arch. d. Malerei p. 71. Alteram formulam δῴη σοι ὁ "Οσιρις τὸ ψυχρὸν ὕδωρ Muenterus in l. Antiquarische Abhandlungen pag. 238 seqq. commode comparavit cum N. T. locis, v. c. Apocalyps. XXII, 1 seq. de undâ salutiferâ, de fluentis vitae reliq.

453) Explicuit hanc inscriptionem Barthélemy in Memoires de l'Academie des Inscriptions Vol. XXXII. p. 725 seqq. Quinque autem preces hoc titulo contineri arbitratur Comes de Palin. in op. Fragg. sur l'étude des hieroglyphes Tom. III. p. 136. *Sacrum signum ad Osiridis pedes utrinque positum* in imagine nostrâ, sive pro clavi Niliacâ habeas sive pro loti flore complexo, utrobique *aquae salutiferae* significationem habet.

aperiat et recludat posterior aetas. [454]) Nunc de *personatis hominibus* videamus, *qui hac in scutulâ itidem ut in superiore Osiridi famulantur.* Sunt autem hîc personati adhibitis larvis, quae in tribus sacerdotibus bestiarum ora referunt. Cujusmodi *personati ministri* frequentantur etiam in aliis monumentis Aegyptiorum sepulchralibus, ipsisque velaminibus mumiarum. [455]) Atque ut hoc utar, in arcâ sepulchrali quadam Britannici musei similiter plane atque nostro in velamento Osiris adjunctas habet quatuor icunculas, *primam hominis* vultu insignem, *secundam cebi*, [456]) *tertiam canis*, *quartam acci-*

454) Nolo hariolari. Alioqui huc referrem Joannis Lydi locum de mensibus p. 46 seq. ubi ruber color refertur ad aestatem (ῥούσιον δὲ τὸ θέρος) Martique attribuitur; si quidem et planetarum ordo et anni tempora in Aegyptiorum sacris conjuncta fuerunt cum doctrinâ migrationis animarum. Verum haec nunc omittamus: illud verbo monere sufficiat in binis illis scutulis nostrae tabulae omnes, quotquot comparent, personas *veneto colore* (hellgrün) depictos conspici ne Osiride quidem excepto. Hunc ipsum autem colorem (venetum βένετον sive καλλάϊνον vid. Jo. Lyd. l. l.) *Aegyptium* dicit Hesychius Vol. II. p. 123. Albert. καὶ παρ' Αἰγυπτίοις χρῶμα καλαϊνόν, ubi cf. Interprr. Adde Salmas. in Plinianis exercitt. p. 167 et Jablonski Vocc. Aegyptt. p. 100. 101. Saturno autem vel Neptuno consecratum dicit eum colorem Jo. Lydus l. l.

455) Exemplorum copiam suppeditat Zoëga de obeliscc. pag. 304, qui hosce homunculos appellari vult vel Penates Osiridis vel ejusdem assessores sive consiliarios.

456) De hac bestiâ vide Strabon. XVII. pag. 812. p. 585 seq. ed. Tzsch. quem cf. Scribitur enim et Κῆβος

pitris. Jam tabulae nostrae hae personae et ipsae consimilem speciem prae se ferunt: prima vultum *hominis*, secunda vel *cebi* vel *lupi* vel *canis* (utrique enim similem faciem habet cebus teste Strabone), tertia vero *arietis*, quarta denique *accipitris*. Singulae autem *calanticam* sive vittam sacram gestant in capite et cruribus praetendunt *perizoma* sive praecinctorium; quod sacrificulos deo ministrantes designat. *Ministeria* si quaeris, *et ipsa fiunt Osiridi, in gratiam animae* hominis defuncti. Ei propitium reddere student deum judicem mortuorum. Nam cum quam plurimae animae contraxerint in vitâ plus minusve sordium ac terrenae faecis: fataliter eis imminet migrationum orbis per bestiarum corpora. Qua in re optandum illud est, ut ne in immundarum corpora bestiarum includantur animae. Quocirca boni ominis gratiâ deprecantes sacerdotes et *sacrorum animalium et vero ipsius hominis personas induunt; quo sacri animalium circuli ac quasi divini Zodiaci circuitum exorênt animae defuncti.* Sunt autem sacra illa animalia: cebus, canis, accipiter.[457]) Hominis autem figura interposita est, uti

---

et Κῆπος. Est simiarum genus duplex; alterum simia Diana Linnaei, alterum simia mora s. rubra Linn. Satyro similem faciem habere, caetera canem inter atque lupum esse prodit l. l. Geographus. De arcae illius Britannicae figuris vid. Zoëgae libr. l. p. 305.

457) De singulis supra diximus Cap. II. §. 12; ubi etiam larvas s. personas attigimus bestiarum faciem referentes. Vid. praecipue supra not. 116. *Cebus* autem, de quo ibi nil monitum, sacratus fuit apud Babylonios prope

videtur, ad significandum votum, ut in humanum corpus quamprimum reditus aperiatur animae; ni forte malueris praesentem ejus animae conditionem significari, nimirum ejus, quae modo a corpore humano discesserit.

Sequitur *virgula media ad pedes fere porrecta distinctaque literis hieroglyphicis.* Ac characteres aliquot nostrâ in mumiâ depicti admonent nos *Diodori Siculi.* Qui quidem, ubi Aethiopum Aegyptiorumque Hieroglyphica adumbrat, [458] et alias literas commemorat, et vero etiam has, quae in nostrâ hac tabulâ conspiciuntur: serpentem (*ὄφιν*), corporis humani membra, in his oculum (*ὀφθαλμόν*); instrumenta fabrilia (*ὄργανα τεκτονικά*); etiam avem, de quâ proxime videbimus. Jam si non licet singula signa explicare, quod adhuc

---

Memphim, referente Strabone l. l. *Canis* aut *Cynocephali* persona s. larva saepius etiam in voluminibus papyraceis mumiarum visitur. Vid. v. c. Descr. de l'Eg. II. pl. 60. (ex Thebarum hypogaeis.) Ibidem etiam *arietinam* personam agnoscas. Consule Jomardum l. Sect. X. §. 8. p. 353; et arietem a Thebanis sacris in conclavibus sepultum supra nobis exhibuit Historiae pater II, 42 fin.

458) Libr. III. cap. 4. p. 176. Wessel. Advertit etiam hic locus Palinum Comitem, qui inde lucem afferre studuit cum aliis monumentis Aegyptiorum, tum Inscriptioni Rosetanae. Vid. Fragg. sur l'étude des hieroglyphes Tom. I. p. 12 seqq. Fasciam vero Aethiopicis literis regiis (hieroglyphicis) inscriptam (*ταινίαν γράμμασιν Αἰθιοπικοῖς βασιλικοῖς ἐστιγμένην*) supra jam spectavimus apud Heliodorum in Aethiop. IV. p. 174. p. 148. ed. Corayi.

quidem nemo quisquam hominum praestitit, referamus saltem quae veteres scriptores de aliquot characteribus memoriae prodiderunt.

Ac primum occurrit *serpentis* signum salutare; de quo supra retulimus. Juxta positus character, de quo nil dicere habeo, nisi conum retusum appellare velis, et amplecti conjecturam virorum doctorum, qui nuper de monumentis Thebaicis exposuerunt. Hi *conum retusum lucis signum* fuisse conjectant. [459]) Subjicitur nostrâ in tabulâ *aquae* tessera; quam nemo ignorat. *Ignis* autem et *aquae* signa ad *puritatis* significatum refert Horapollo, quia utrisque elementis *lustratio* fiat. [460]) Accipiunt hos characteres sequenti lineâ *utensilia* vel *instrumenta* et ipse *ligo;* de quibus supra diximus. Proxima linea *oculum* habet itemque linea extrema omnium, sed illa *clarum*, haec *obscuratum*. De oculo hieroglyphico ita Diodorus l. l. prodit: *ὀφθαλμὸς δίκης τηρητὴς καὶ παντὸς τοῦ σώματος φύλαξ*, „oculus justitiae *conservator* et custos *corporis.*" Clemens autem Alexandrinus loco classico de Aegyptiorum hieroglyph.: oculum *dei* symbolum prodit: *ὅτι πάντα θεὸς ὁρᾷ καὶ ἀκούει.* Macrobius oculi specie *Osirin* monstrari in Aegy-

---

459) Obvium hoc signum cum in templorum picturis, velut Tentyrae, Apollinopoli, alibi, tum in hieroglyphicis characteribus. Vid. Descr. de l'Eg. Vol. II. p. 162.

460) Hieroglyph. lib. I. cap. 43. p. 56. De lineolis his undulatis tanquam aquae symbolo vid. Costaz. et Lancret in op. Descript. de l'Eg. I. p. 35. p. 64.

ptiorum hieroglyphicis literis asserit. [461]) Ac reapse in monumentis Aegypti sepulchralibus aliis etiam comparet oculus, velut in arcâ ferali, quae Caïri pro labro est. Quae quidem Osiriaca sacra habet, oculumque duplicem ex duobus compositum „Osiridis superi inferique mysticum symbolum.“ [462]) *Igitur nostrae quoque tabulae geminatum oculum haud incommode referas ad Osiridem, vitae pariter ac mortis arbitrum, et justis hominibus utrobique propitium. Lyrae* enim quae subjecta tessera est hominem designat conciliatorem *amicitiae.* [463]) Se-

461) Saturnal. I, 21. Clement. Alex. Strom. lib. V. cap. 7. p. 671. Potteri. Oculorum imago ter obvium etiam in tabulâ 96. nr. 19, 20, 23. itinerarii Aegypt. *Denon.* Quam explicans Illustr. Comes de Palin libr. l. Tom. II. p. 29 seq. haud inepte comparat V. T. locos 2 Paralip. VI, 39. Psalm. XVIII, 7. Jesai. XLII, 20. „Qui vides multa, nonne custodies? Qui apertas habes aures, nonne audies?“ Ac ne ipse *ἀσύμβολος* discedam, quoniam Clemens l. l. *oculum* hieroglyphicum *dei* esse dicit, venit mihi in mentem loci Apostoli Petri Epist. I. cp. 3. vs. 12: *ὅτι ὀφθαλμοὶ κυρίου ἐπὶ δικαίους, καὶ ὦτα αὐτοῦ εἰς δέησιν αὐτῶν.* Cf. Jesu Siracid. cap. XXXIV, 19.

462) Sunt verba Zoëgae de obeliscis p. 324, qui arcae ejus figuras explicare studuit. Icon exstat apud Pocockium in itiner. Vol. I. tab. 11. Confer etiam in Niebuhrii itiner. Tom. I. p. 202. tab. 30. Hinc etiam in gemmis Aegyptiacae indolis oculorum figura frequens. Vid. v. c. Gemm. Stosch. Vol. II. tab. 1. nr. 1. 2. 3.

463) Horapollo Hierogl. II, 116. p. 152, *Ἄνθρωπον συνοχέα καὶ ἑνωτικὸν* (qui continet ac conciliat) *βουλόμενοι σημῆναι, λύραν ζωγραφοῦσι· αὕτη γὰρ συνέχειαν φυλάττει*

quitur signum de quo non liquet, nisi *bovilli capitis* exuvias dicere velis Bos autem in hieroglyphicis *terrae* et *agriculturae* et *alimenti* symbolum est. [464]) Ac reapse binis lineis continuis sequuntur ejusmodi tesserae, quae non abludunt ab eâ bovis explicatione. Sunt enim *clavis Niliaca* vel certe *crux sacra*, *ligo* s. *rutrum* et infra *ovum dimidiatum* (*hemisphaerium inferius*). Quae res quomodo ad tesseram, arationem et fertilitatem spectent, supra explicuimus. Sequitur *avis* juxta *perseae* folium; quod sacrum alitem notabilem facit. Ac sacras aves Aegyptias novimus plures, in his tres praecipue: *ibin*, et ipsam saepius in mumiae modum compositam; [465]) *cuculum*, qui nec minus pro divinâ ave habitus, [466]) et in ipsâ etiam Dresdensi mumiâ obvius; [467]) tertium falconem, quem alii *accipitrem* dicunt, Graeci autem

---

τῶν ἰδίων κρουμάτων. Vides ad organi musici temperamentum continuum referri. Igitur haec femina, quam includit hoc velamentum, praestitisse dicatur illud, quod proprie feminarum est, videlicet *salutare temperamentum discordantibus inter se fortasse ac litigantibus viris.*

464) Clemens l. l. *ὥσπερ ἀμέλει γῆς τε αὐτῆς καὶ γεωργίας, καὶ τροφῆς ὁ βοῦς (σύμβολόν ἐστιν.)*

465) De hac avi vid. Herodot. II, 65. 75 seq. et cf. Mytholog. nostr. I. p. 322. 323. Adde op. Descr. de l'Eg. Vol. I, 2. Sect. X. §. 8. p. 547 seqq. Vol. II. p. 262. ibiq. Vol. III. pl. 52. A.

466) Vid. Mytholog. Nostr. ibid. et quae supra posuimus.

467) Judicantibus Beckero in Augusteo I. p. 17 seq. et Boettigero in libr. Archaeolog. d. Malerei I. p. 69 sq.

ἱέρακα, Aegyptii ipsi *βαιήθ*. Atque hi ipsi *animae* symbolum fecerant eam avem in suis hieroglyphicis. [468]) Quae cum ita sint, non magnopere periclitabimur, si dicamus pertinere unam alteramve avem nostrae mumiae vel ad *divinitatis* vel ad *animae humanae* tesseras hieroglyphicas. Infra hanc avem assidet *homo adorans*. Cujusmodi figurae quam plurimae obviae sunt in anaglyphis aliisque monumentis, inque ipsis mumiarum arculis ac velamentis. [469]) Sequentem tesseram [470]) exputabunt oculatiores. Non multum recedit a figurâ globi, quem armilla ambit. *Leporis*, nam hic sequitur, tesseram supra explicui; videlicet de *auditu*, de *somno leviculo* adeoque *immortalitatis fiduciâ* mature acceptum vidimus hoc symbolum. [471]) Sequi-

---

468) Horapollo I, 7. p. 10. cf. Mytholog. nostr. l. l. Neque vero minus *deum* designabat Aegyptus *ἱέρακος* imagine. Clemens l. l. *θεοῦ τε αὖ ὁ ἱέραξ*. cf. Horapollo I, 6. pag. 8. qui plures ejus avis significatus enumerat. Diodorus l. l. ad velocitatem etiam declarandam adhibitam dicit hujus alitis imaginem.

469) Paucis exemplis me continebo h. l. apponendis. Sic, ut hoc utar, obeliscus Borgianus apud Zoëgam de obel. p. 192. novem consimiles adorantes exhibet. Duo obvii in mumiâ Gottingensi. Aliis in mumiis plurimas vidit et passim memorat Comes de Palin Fragg. s. les hieroglyphes. Vid. v. c. Tom. II. p. 14 seqq.

470) Nam quae substrata quodammodo homini adoranti *lineola* est, eam haud inepte pro *adumbrato terrae solo habeas*, in quo assidet homo.

471) Horapollo I, 26. p. 42. apertis oculis memorans dormire lepores, *patulum* (*ἄνοιξιν*) addit hujus bestiae imagine significari.

tur primum *circulus* vel *armilla*, deinde *instrumenti* genus, tum *linea*. Quibus de figuris nunc nil succurrit. Linea autem hoc spatium inferius quodammodo sejungere videtur a superiore. Extremas ternas literas, nimirum *avem*, *utensilia*, *oculum* supra attigimus. Quocirca hoc unum restat, ut summam faciamus omnium characterum hac in virgulâ depictorum. Quae res uno verbo sic confici poterit, ut dicamus: Plurimorum signorum, quae deinceps enumeravimus, hanc probabilem sententiam fuisse, ut *purae vitae pietatisque documenta praestarent ipsius feminae defunctae et vero etiam piorum votorum precumque parentalium officia.* Hoc certe ex scriptorum Graecorum, quibus usus sum, testimoniis probabiliter efficias.

Ac pia vota parentaliaque carmina praefatur etiam *planta loti*, cujus calyces, alternantibus *perseae*, uti videtur, fructibus [472]) virgae hieroglyphicis plenae latera utrinque ambiunt. Duobus locis *Herodotus* lotum commemorat; ad quos quae docte disputavit Larcherus de utrâvis loto et arbore et de plantâ ego non repetam. [473])

Alia in medium pro-

---

472) Isidis plantam Plutarchus dicit perseam ejusque fructus speciem cordis referre, folium linguae de Isid. et Osirid. p. 378. p. 548. Wyttenb.: ὅτι καρδίᾳ μὲν ὁ καρπὸς αὐτῆς, γλώττῃ δὲ τὸ φύλλον ἔοικεν. Alios de perseâ locos supra apposui. Utriusque floris ornamenta gemina habet mumia apud Montefalcon. in Antiq. expliq. Supplem. Vol. II. pl. 39. nr. 2.

473) Herodoti II, 96. IV, 177. ibiq. Larcheri annott. De loto arbore exposuit Hermannus Argentorat. ad Polybium Vol. VIII. p. 121. ed. Schweigh.

feram; quae Larchero non suppetebant, quo tempore commentarium suum retractabat, praecipue quae ad *parentalia Aegyptiorum sacra* faciunt. De nomine λωτὸς plura congessit Jablonskius in Vocc. Aegypti. et nonnulla adjecit eruditus editor p. 127 sq. Varia genera loti orientales terrae partes proferunt; nec arbor minus ornamentis templorum ansam praebuit, quam florum genera. [474]) Duplicem lotum provenire memorant scriptores in agro Antinoïte, alteram rosei coloris: cyanei alteram. [475]) Semen loti nonnunquam pani quoque fuisse admistum accipimus. [476]) Atque hodieque ex hac plantâ auguria capiunt Aegyptii felicis anni. Etenim Nilo paullatim ad arva accedente, efflorescit flos loti; quem hodieque laetabundi colligunt eo tempore Aegyptii, ac caules loti in manibus gestantes discurrunt per vias exsultantes ac canentes. Quod antiquitus jam factum conjectant viri docti ex similibus pompis, quas pictas exhibent parietina hypogaeorum Thebaicorum. Atque credibile fit ex Arabicorum scriptorum testimoniis, quorum haud pauca supersunt ad lotum perti-

---

474) Sic, ut hoc utar, a loti stirpe, tanquam exemplo, columnas aedificiorum expressas volunt esse Francogallici scriptores in magno opere Descr. de l'Eg. Antiqq. Vol. II. p. 213; nec minus loti flores ornamentis inservire ajunt iidem.

475) Sturz. de dialect. Alexandr. p. 69. in voce Ἀντινόειος στέφανος.

476) Diodor. I. cap. 34 et 43. cf. Gruner. ad Zosimum Panopolitanum de Zythorum confectione pag. 55. not. 26.

nentia. Unde natum quoque proverbium: „*Quanto plus loti: tanto plus Nili.*" [477]) Quid? a Graecis etiam scriptoribus in *ὑδρογονικοῖς σημείοις* censetur lotus, sive in iis signis, unde crescentium aquarum auguria ducuntur. [478]) Quam vim aquarum procreatricem, Aegyptiorum more modoque informatam, deinde ad universam naturam effectricem accommodarunt philosophi. [479]) Sacratam autem in orientalium religionibus praecipue id genus loti, quod Nelumbii speciosi nomine venit in eruditorum hominum scriptis. [480]) Et libro etiam Indorum sacro ex eâ classe, quae Purana appellatur, a loto nomen inditum; ac quantopere per Indorum templa et pompas sacras celebretur haec plantae species, non

---

477) Jomard. in op. Descr. de l'Egypte Antiqq. Vol. II. pag. 383. Silvestre de Sacy ad Ab-dollatif. Relation de l'Egypte p. 60 seq. p. 134.

478) Vid. Geoponicc. II, 5. p. 86. ibiq. Niclas. conf. X, 6. locum geminum.

479) Praesertim Platonici, qui Aegypto orti essent v. c. Jamblich. de Myster. Aegyptt. VII, 2. p. 150. Gal. Locum emendavi in annotat. ad Plotin. de pulcrit. p. 246. Antiquam autem loti significationem symbolicam prodit ipse Homerus Odyss. IX. vs. 182 seqq.; ubi vid. Eustath. p. 337. Basil. Alia suppeditant Plato ejusque interpretes. Vid. de Republ. VIII, 12. p. 560. p. 246. Ast. cum Scholiis p. 186. Ruhnken. Virgil. Georg. II. 84 ibiq. J. H. Voss. Idem in culice vs. 125. ibiq. Heyne. Cf. etiam Victor. ad Ciceron. epist. ad famil. VII, 20. p. 341.

480) Curtii Sprengel Histor. rei herb. I. p. 3. p. 143. Ejusdem Antiquitt. botan. p. 56.

est quod multis verbis explicem. [481]) Ego *Aegyptiaca* sectabor, praecipue quae *mortem mortisque solatia* attinent. Pulcerrimum autem dicunt caeruleum loti florem. Inde existere et quasi enasci videas caput feminae in picturâ quae in cryptis Thebaicis reperitur. [482]) In aliis autem cryptis, quae prope Selsele patent, (id nominis hodieque Aegyptiae urbi est) feminas depictas viderunt peregrinatores, quae loti flores in manibus gestarent; in quo ritu immortalitatis symbolum agnoscunt. [483]) Nec abludit ratio. Nam et supra docuimus, quomodo veteres Aegyptii aquam *salutiferam* ad mortem accommodaverint; hinc itidem lotum tanquam *ὑδρογονικὸν σημεῖον* et salutis praesagium. Hinc in viginti arculis mumiarum colli ornamenta caeruleo flore loti distinctum offendit per hypogaea Thebaica Jomardus. [484]) Verum etiam *solis* ac *lucis* miram quandam in eum florem vim et efficacitatem agnoverunt veteres. Quae res mature observata et ipsa ad religiones adhibita est. Testatur Proclus de Sacrificio in Excerptis Ficini p. 276. ed. Lugd. Tornaes. cujus ipsa verba apponam: „Quid vero de loto di-

---

481) Vid. Jones in Commentatt. Asiaticc. Vol. I. p. 282. edit. vernac. Paulin. Bartholem. systema Brahmanic. p. 58 et Polier Mythologie des Indous Vol. I. p. 165.

482) Description de l'Egypte II. pl. 74. cf. Jomard. II. p. 367.

483) Rozière ibid. Vol. I. cap. 4. p. 23.

484) Hanc lotum appellat Nymphaeam caeruleam, vegetumque in picturis illis hodieque residuum colorem laudat ibid. I, 2. Sect. X. §. 8. p. 352.

cam? Lotus implicat quidem in se folia ante solis exortum, oriente vero sole explicat paullatim; et quatenus sol ad mediam coeli ascendit plagam, eatenus pandit folia. Quatenus vero a medio petit occasum, gradatim folia contrahit. Videtur haec non minus dilatatione contractioneque foliorum honorare solem, [485]) quam homines genarum gestu motuque labiorum. Quocirca flos loti hominibus tanquam exemplum proponitur pietatis et diis debitae venerationis.“ Atque haec si componamus cum formulâ illâ, qua Osiris defunctae Thebae benedicit [486]): *flos tuus resurget:* dicamus utique verum vidisse Palinum Comitem, cum *lotum* significari diceret. At vero, utut explices eam formulam: hoc aliunde constat: *in loti floris symbolo et salutis praesagia*

---

485) Hinc flos *loti* in gemmis quoque Aegyptiaci generis *solis disco* adjunctus. Vid. v. c. Gemm. Stosch. Vol. II. tab. 3., ubi etiam loti calyces videas similes calycibus nostrae picturae. Rem ad Niliacae aquae et caloris vim spectare dicit Boettigerus in l. Archaeologie der Malerei p. 69. Recte. Neque tamen omittenda ea *veneratio*, quam explicat Proclus. Hinc ipsum hunc florem adorarunt quodammodo veteres Aegyptii. Loquuntur monumenta. Atque nuper admodum ex ipsis Thebarum cryptis involucrum mumiae huc attulit *Rueppelius*, vir eruditus Francofurtensis, quod et alia habet, et *hominem* sistit *ingeniculatum lotique calyci pia vota offerentem.* Dono eam involucri partem dedit mihi vir amicissimus *Sulpicius Boisserée.*

486) In Memoir. de l’Acad. des Inscript. Tom. XXXII. p. 725 seqq. Supra diximus eam inscriptionem explicatam esse ibidem a Barthelemio.

et mortis levamina inesse voluisse Aegyptios; ac proinde illos loti calyces, in mumiâ Darmstadinâ conspicuos, nec minus ad immortalitatis spem fiduciamque esse referendos.

Descendimus ad *extrema pedum*. Ibi *lupi bini* recubantes comparent, adversi invicem interposito *tau* sive *clavi Niliacâ*. Pegma in quo decumbunt, distinctum lineolis quindecim, sive cancellos dicere malueris. Quem linearum numerum nec ipsum significatione carere, probe intelligit, qui reputaverit quae supra ex Damascio excerpta exhibuimus, ad hanc linearum vim symbolicam pertinentia. At quid sibi lineolae hae quindecim velint, equidem non exputo.

Lupi autem ipsi illi gemini tam vulgares in sepulchralibus Aegyptiorum monumentis, sarcophagis, arculis, velamentis, ut putidum sit, exempla enumerare. In mumiarum involucris ut plurimum hi lupi extremum locum occupant, scilicet ad pedes recubant. Ut plurimum ipsis addita bina flagella Osiriaca, ab aliis hoc signum abest. [487]) Quae cum ita sint, de lupis symbolicis jam satis multa congesserunt homines eruditi. Quapropter ego hoc loco proferam testimonium ejus scriptoris, in quo explicando versamur; et deinde paucula subjiciam.

---

487) Neque comparet in arculâ sepulchrali Vindobonensi, quam nuper descripsit Jos. de Hammer; vid. libr. Fundgruben des Orients V. 3. p. 275. Nec magis in hoc Darmstadino velamine.

Etenim *Herodotus* lib. II. cap. 122. posteaquam Rhampsiniti, Aegyptiorum regis, descensum ad inferos ac reditum narraverat, ita pergit:

„Ab hoc *Rampsiniti descensu ad inferos*, postquam reversus esset, festum ajebant agi ab Aegyptiis: quod festum ego quidem novi meâ etiam nunc aetate ab illis agi; utrum vero hac de caussâ celebretur, an aliâ, adfirmare non possum. Unus e sacerdotibus pallium induit, eodem die ab illis contextum [488]): huic reliqui mitrâ obligant oculos, eumque in viam deducunt, qua ad Cereris templum itur, tum ipsi retro discedunt. Hunc sacerdotem, cui obstricti oculi sunt, ajunt a duobus lupis ad templum Cereris duci, quod abest ab urbe viginti stadia; rursusque eodem lupos eum in eundem locum reducere (*τὸν δὲ ἱρέα τοῦτον καταδεδεμένον τοὺς ὀφθαλμοὺς λέγουσι ὑπὸ δύο λύκων ἄγεσθαι ἐς τὸ ἱρὸν τῆς Δήμητρος, ἀπέχον τῆς πόλιος εἴκοσι σταδίους· καὶ αὖτις ὀπίσω ἐκ τοῦ ἱροῦ ἀπάγειν μιν τοὺς λύκους ἐς τὠυτὸ χωρίον.*).“

Dici non potest quam late pateat *lupi* significatio in veterum religionibus. Necdum tamen ea res usquequaque expedita post doctissimorum hominum disputationes. [489]) Nunc me in Aegy-

488) Haec ego expedire studui in Mythologiâ Vol. IV. p. 247 seq.

489) Novissima duntaxat indicabo: Zoëga in numis Aegyptt. imperator. p. 70. Idem de Obeliscc. p. 304 sqq. cf. 241. Idem in Commentat. de Lycurgo in libr. Antiquarische Abhandll. p. 1 seqq. ubi lectu dignissima ad-

ptiorum *binis lupis, ad Isidis-Cereris inferas sedes viae ducibus reducibusque* continebo. Atque Zoëga [490]) ad Herodoti locum haec apposuit: „Hos vero lupos, quos sacerdotalis mythus inferorum ministros et psychopompos genios indigitat, in singulis fere mumiis arcisque earum pictos deprehendimus, ut plurimum averrunco flagro ad malos daemones animabus inhiantes abigendos instructos. Scilicet rapax animal, quod noctu maxime oberrat subque solis ortum ad specus et deserta aufugit, Aegyptiis aeque atque aliis populis plerisque orco cognatum visum est, et nocturnis tantum umbris confisum ab illâ obscurâ regione, solis radiis imperviâ, ad nostrum mundum commeare. Ipsum quoque Osiridem assumptâ lupi specie ab inferis rediisse Oro opitulatum adversus Typhonem, inter caussas lupi apud Aegyptios consecrati narrat Diodorus. [491]) Hinc etiam est, quod lupum Osiridis inferi symbolum et *commercii* inter *utrosque mundos, superum et inferum*, tum in duobus anaglyphis musei

---

jecit *Welckerus* meus p. 353 seqq. Gail. in Recherches sur Apollon — in L the Classical Journal Vol. XII. p. 115 sqq. qui recte quoque in hoc lupi nomine nos admonet λύκης *diluculi* et *lucis,* ut reliqua praetermittam quae ipse attigi in Mythologiâ Vol. II. p. 126 sqq. p. 143 sq. III. p. 169 et IV. p. 247. Alibi fortasse hanc telam ego contexam.

490) De obeliscc. p. 307 seqq.

491) Lib. I. cap. 88. p. 99. Wessel. Hanc fabulam ἱερὸν λόγον dicit Synesius de providentiâ lib. I. pag. 115 a Wesselingio laudatus, neque a Zoëga praetermissus.

Borgiani ex Aegyptiis cryptis ablatis, tum in obelisci cuspide Waustedianâ super simulacro Osiridis, quem circumstantes adorant et donis placant, eodem quo in mumiis habitu expressum conspicimus." Haec Zoëga verissime. Nec minus recte alii viri docti lupos in mumiis geminatos pro inferorum (sive Amenthis) custodibus accipiunt. [492]) Neque vero omittendum alterum illud, tam sacrum fuisse lupum quibusdam Aegyptiis, ut herbam quoque ei bestiae letiferam in terras suas importari prohiberent. [493]) Igitur erant in Aegypto, qui parcitum vellent lupo, utpote bonorum etiam deorum sacrae bestiae. Quid quaeris? *Superum inferumque commeatorem* lupum et Aegyptii agnoverunt, et Graecorum ii, qui Apollini Dianaeque dicaverunt illud animal. Nimirum lucis accessum et regressum cum quotidianum tum *annuum* hoc symbolo [494]) decla-

---

492) Becker in Augusteo Vol. I. ad tab. 1. de mumiâ Dresdensi. Boettigeri in l. Archaeol. d. Malerei I. p. 55. 63. 65. Jos. de Hammer l. l. qui etiam Typhoni quod attributum lupum dicit, i. e. malo genio tenebrarum domino, nec ipsum improbandum est, modo recte explices i. e. ita ut dicas *pariter eum luci esse attributum quam tenebris et inter utrumque quasi commeare.*

493) Nimirum Lycoctonum (λυκοκτόνον). Illi autem Aegyptii sunt Lycopolitani, de quibus et Zoëga locis laudd. monuit, et ipse dixi in antecedentibus. De herbâ illâ et lupo narrat Aelianus H. A. IX, 18. p. 286 Schneider.

494) Et vero etiam anni, ipso nomine Graeco. Eustath. ad Odyss. XIV, 161. p. 538. *Λυκάβας δὲ καὶ νῦν ὁ ἐνιαυτός· οὐ μόνον διὰ τὸ λυγαίως ὅ ἐστι λεληθότως καὶ*

ratum voluerunt veteres sacerdotes. Quocirca etiam ad *vitae mortisque superi inferique mundi alternas vices* traducta haec tessera est. *Eoque ipsa illa fabula Rhampsiniti spectat.* Descenderat rex ad inferos, indeque redierat in hanc lucem. Unde ducuntur primordia festorum rituum. Sacerdos obligatis oculis mittitur ad fanum Isidis sive Cereris. Ducunt et reducunt bini lupi. Haec omnia nihil aliud loquuntur quam doctrinam illam sacerdotum, ab Herodoto explicatam sequenti capite (II, 123.): nimirum *esse hominis animam immortalem, sed alternis vicibus illuc descendere in obscura regna Cereris - Isidis, indeque reverti in hanc vitae lucem.* Et *oculi* etiam imago nonnunquam est admota imagini lupi in sepulchralibus Aegypti reliquiis. Sic, ut hoc utar, in arcâ Vindobonensi oculus juxta lupum positus comparet. [495]) Magis etiam nostrâ in tabulâ nos advertere debet illud, quod *obfuscatus oculus* ponitur adversus *ipsis lupis.* Quae res pro-

---

οἷον σκοτεινῶς παρέρχεσθαι (Tu cf. Apollonii Lex. Homer. p.441.Tollii.) *ἀλλὰ καὶ διότι αἱ κατ' αὐτὸν ἡμέραι καθ' ὁμοιότητα διαβάσεως λύκων ἀλλήλοιν ἔχονται.* Deinde narrat lupos flumina sic transire ut caudas suas invicem mordicus teneant. Tum laudat Aelianum. Tu vide III, 6. Hist. Anim. p. 80. Schneideri. Cui loco adhibendus erat locus Eustathii. Horapollo lib. I. cap. 23. p. 90. *Λύκος ἢ κύων ἀπεστραμμένος, ἀποστροφὴν δηλοῖ*, nimirum in hieroglyphicis literis. Quod fortassis huc etiam quodammodo pertinet.

495) Oculum ad Osiridem recte retulit Hammerus in libr. Fundgr. d. O. I. I.

pius etiam accedit ad similitudinem ritus sacerdotalis, quo obligantur oculi ejus, qui lupis tradendus est ab iisque comitandus. Neque vero negligenda *clavis Niliaca lupis nostris interposita.* Significat *Nili fluenta sacra*, quibus ad Necropolin Osiridis Isidisque inferam sedem in parentali pompâ devehitur mortuus. Ac vide mihi tabulam ex Thebaicis hypogaeis expressam. [496]) Habet ea baridem seu cymbam Niloticam. Cymbae est imposita mumia. Mumiam inter atque sacellum, ex adverso situm, recubat lupus. Nihil igitur est, quod dubites, quin haec singula quae adhuc attigimus symbola, *lupi oculi obligati*, *clavis Nilotica*, *sacellum Cereris alternus vitae mortisque vices* spectent et *felicem abitum*, ac *beatum laetumque reditum* commonstrent spectantibus.

---

496) In op. Descript. de l'Egypte Vol. II. Antiqq. pl. 61. Binos illos lupos etiam Thebaicae mumiae exhibent. Vid. v. c. ibid. pl. 58.

APPENDIX
COMMENTATIONUM HERODOTEARUM.

SUMMARIA, SCHOLIA VARIAEQUE LECTIONES

E CODICE PALATINO N. CXXIX. *)

ENOTATA.

*) De hoc codice exposui in Meletematt. Part. I. p. 98 seq. In Herodoteis his locis excerpendis utilem mihi operam suam praestitit *Christianus Felix Boehr* Seminarii philol. Heidelb. Socius.

LOCI HERODOTEI

E CODICE PALATINO Nro. 129.

QUI EXCERPTA E VARIIS AUCTORIBUS CONTINET.

Fol. 1. ἐκ τῶν τοῦ ἡροδότου τοῦ ἁλικαρνασσῆος.

Lib. I.

cap. 1-3. ἀρχὴν ποιεῖται ἡρόδοτος τῆς ἁρπαγῆς γυναικῶν· ᾶ (ita) μὲν γὰρ αἰγύπτιοι, φησὶ καὶ φοίνικες καταπλεύσαντες ληστικῶς ἥρπασαν ἐξ ἑλλάδος Ἰῶ τὴν ἰνάχου τοῦ βασιλέως· εἶτα ἕλληνες ἐκ τύρου καὶ φοινίκης τὴν εὐρώπην τὴν θυγατέρα τοῦ ἐκεῖ βασιλεύοντος. εἶτα ἡρακλῆς καὶ ἰάσων μετὰ τῶν ἄλλων Ἥγ, τὴν μήδειαν τὴν θυγατέρα τοῦ τῶν Κόλχων βασιλέως· εἶτα τὴν ἑλένην ἐκ λακεδαίμονος.

c. 1. C. P. fol. 34. rect.: φοίνικες πρῶτοι ἐχρήσαντο ναυτιλίῃ.

c. 4. Inde a τὸ μὲν νυν ἁρπάζειν usque ad σωφρόνων. habet C. P. fol. rect. 34. — Sed pro ὤρην exhibet ὧρην.

c. 6. C. Pal. r. 34. σημείωσαι ὅτι πρὸ τῆς Κροίσου ἀρχῆς πάντες ἕλληνες ἦσαν ἐλευθεροί:

c. 7. C. P. ibid. λύδιοι ἀπὸ λυδοῦ τοῦ ἄτνος ἄρξαντος αὐτῶν:

Lib. I.

c. 8. C. P. ib. χρῆν δὲ Κανδαύλῃ γενέσθαι κακῶς.

c. 16. C. P. fol. r. 34.: ἐσέβαλεν ἐς Κλαζομενὰς — id: ἀπὸ τούτων δὴ οὐκ ὡς ἤθελεν ἀπήλλαξε.

c. 17. Ibid. ὅπως διαφθείρειεν, ἀπαλλάσσετο ὀπίσω. Supra ὅπως scriptum est: ἀντὶ τοῦ ὁπήνικα. —

c. 18. Cod. Pal. fol. r. 34. ἐσέβαλε στρατιὴν ἐς μίλητον:

c. 19. Ibid.: ποιεῖ τόδε, εἴτε συμβουλεύσαντός τευ etc. usque ad νούσου. Omisso δή.

c. 25. Ibid. γλαῦκος ὁ χίος ἐξεῦρε πρῶτος σιδήρου κόλλησιν. Τελευτήσαντος Ἀλυάττεω, ἐξεδέξατο τὴν βασιληΐην Κροῖσος ὁ Ἀλυάττεω.

c. 29. C. P. fol. vers. 34. Inde a verbis: καὶ δὴ καὶ Σόλων usque ad Σόλων θῆται. Post Ἀθηναῖος inser. ἀπίκετο ἐς Σάρδις. — Pro ἀπεδήμησε — ἀπεδήμησεν. — et pro σφισι exhib. σφι. —

c. 30. C. P. fol. r. 34. παρ' ἡμέας γὰρ περὶ σέο λόγος ἀπῖκται πολλός. —

c. 32. Ibid. πολλοὶ μὲν ζάπλουτοι ἀνθρώπων, ἀνόλβιοί εἰσι· πολλοὶ δὲ μετρίως ἔχοντες βίου, εὐτυχέες.

— — πρὶν οὖν τελευτήσῃ, ἐπισχεῖν μὴ δὲ καλέειν κω ὄλβιον, ἀλλ' εὐτυχέα.

— — ἀνθρώπου σῶμα ἓν οὐδὲ ἓν αὔταρκες ἐστί· τὸ μὲν γὰρ ἔχει, ἄλλου δὲ ἐνδεές ἐστιν. ὃς δ' ἂν αὐτῶν πλεῖστα etc. usque ad φέρεσθαι. sed pro ὦ βασιλεῦ scrib. ὡς βασιλεύς.

c. 34. — ἄγεται τῷ παιδὶ γυναῖκα.

c. 35. — πάρειμι ἐξεληλαμένος ὑπὸ τοῦ πατρός. —

c. 36. — ὗος χρῆμα μέγιστον ἀνεφάνη ἡμῖν ἐν τῇ χώρῃ, ὃς τὰ ἔργα διαφθείρει.

c. 44. — ὑποδεξάμενος τὸν ξεῖνον, ἐλάνθανον φονέα τοῦ παιδὸς βόσκων.

c. 178. fol. 1.: ὅτι νίνου ἀναστάτου γενομένης μεγάλης πόλεως τῶν ἀσσυρίων τὰ βασιλήϊα κατεστήκεεν ἐν βαβυλῶνι· ἥ ἐστι τοιαύτη πόλις. κέεται ἐν πεδίῳ μεγάλῳ τῆς Ἀσσυρίης· μέγαθος etc. usque ad

τετραγώνου. Reliqua desunt usque ad: τὸ δὲ τεῖχος αὐτῆς πεντήκοντα etc. usque ad δακτύλοισι. Sed omitt. ἐὸν, et πηχέων.

c. 179. fol. 1.: ποταμὸς τὶς ἴς ὄνομα ἐσβάλλει ἐς τὸν εὐφράτην ποταμὸν τὸ ῥέεθρον· ὃς ἅμα τῷ ὕδατι — ἐκομίσθη.

c. 203. — ἡ Κασπίη θαλάσσα, μῆκος μὲν πλόου, εἰρεσίῃ χρεωμένῳ, πεντεκαίδεκα ἡμερέων· εὖρος δὲ, τῇ εὐρυτάτη ἐστὶ αὐτὴ ἑωυτῆς, ὀκτὼ ἡμερέων.

c. 204. — τὸ τῆς Κασπίης θαλάσσης τὰ μὲν πρὸς τὴν ἑσπέρην φέροντα ὁ Καύκασος παρατείνει, ἐὼν ὀρέων μέγιστον κ. ὑψηλότατον. τὰ δὲ πρὸς ἠῶ τε καὶ ἥλιον ἀνατέλλοντα, πεδίον ἐκδέκεται, πλῆθος ἄπειρον. Verba ἐς ἀποψ. obliterata. deinde pergit οὗ μοίρην οὐκ ἐλαχίστην μετέχουσιν οἱ Μασσαγέται, ἐπ' οὓς ὁ Κῦρος ἐστράτευσε πέρην οἰκουμένους τοῦ ἀράξεω ποταμοῦ· ὑπὸ τούτων τῶν μασσαγετῶν τὸ πολὺ τῆς Περσικῆς στρατίης ἐφθάρη· ἐκεῖ καὶ αὐτὸς συντετελευτήκει ὁ Κύρος λόγον δὲ καὶ σκυθικὸν εἶναι τούτο τὸ . . . — (cf. I, 214.)

L. II.

c. 2. fol. 1.: ὅτι αἰγύπτιοι ζήτησιν ἐποιήσαντο τίνες ἀνθρώπων πρῶτοι· καὶ εὗρον ..... ἐκ τῆς φωνῆς τῶν β̄ βρεφῶν ὅτι φρύγες πρῶτοι ἀνθρώπων.

c. 4. C. P. 129. ὅτι αἰγύπτιοι τὸν ἐνιαυτὸν ἐξεῦρον πρῶτοι δυώδεκα μέρεα δασάμενοι· ταῦτα δὲ ἐξευρεῖν ἐκ τῶν ἄστρων ἔλεγον.

— — καὶ τριηκονθημέρους τοὺς μῆνας ἄγοντες, ἐπάγουσι ἀνὰ πᾶν ἔτος ἡμέρας ε̄.

— — δυώδεκά τε θεῶν ἐπωνυμίας ἔλεγον πρώτους Αἰγυπτίους νομίσαι, καὶ Ἕλληνας παρὰ σφέων λαβεῖν. βωμούς τε καὶ νηοὺς θεοῖσι ἀπονεῖμαι σφέας πρώτους, καὶ ζῶα λίθοισι ἐγγλύψαι.

c. 12. — τῆς ἀραβίης τὰ παραθαλάσσια σύριοι νέμονται.

L. II.

c. 15. Inde a verbis: *πάλαι αἱ Θῆβαι* usque ad *ἑξακισχίλιοι.* Omitt. *εἰσι.*

c. 17. — *τῶν τοῦ νείλου στομάτων τὸ μὲν καλεῖται ἕω πελούσιον* (ita) *τὸ δὲ κανωβικὸν τὸ πρὸς ἑσπέραν* —

c. 19. — *κατέρχεται μὲν ὁ Νεῖλος πληθύων ἀπὸ τροπέων τῶν θερινέων ἀρξάμενος ἐπὶ ἑκατὸν ἡμέρας· εἶτα ὀπίσω ἀπέρχεται ὥστε βραχὺς τὸν χειμῶνα ἅπαντα διατελέει ἐών· εἶτα τὴν χειμερίνην ὥρην ἀπελαυνόμενος ὁ ἥλιος.* (v. cap. 24.) —

c. 28. — *τοὺς δὲ νείλου τὰς πηγὰς οὐδεὶς ἀκριβῶς οἶδεν.*

c. 33. — *ὁ δὲ ἴστρος ποταμὸς* etc. usque ad *στηλέων.* Sed *ἡρακλείων* pro *ἡρακληΐων.* —

c. 43. — *ἡρακλέους δὲ πέρι τόνδε τὸν λόγον ἤκουσα, ὅτι εἴη τῶν δυώδεκα θεῶν· τοῦ ἑτέρου δὲ πέρι ἡρακλέους, τὸν ἕλληνες οἴδασιν, οὐδαμῇ αἰγύπτου ἐδυνάσθην ἀκοῦσαι. ὅμως τόγε ὄνομα ἕλληνες παρ' αἰγυπτίων ἔλαβον.*

c. 46. c. Pal. *ὅτι ὁ πὰν ἐτιμᾶτο παρ' αἰγυπτίοις πρότερον τῶν ἑλλήνων· καλέεται δὲ ὁ τράγος καὶ ὁ Πὰν αἰγυπτιστὶ, Μένδης.*

c. 49. 55. — *Κάδμος ὁ τύριος ἐκ φοινίκης ἀπίκετο ἐς τὴν νῦν βοιωτίην* etc. usque ad *Ἑλλάδα.* Sed c. Pal. *πάντων* et *ὄνοματα* habet.

c. 53. — *ὅτι ἡσίοδος καὶ ὅμηρος πρὸ υ ἐτῶν γεγόνασι τοῦ ἱστορικοῦ τούτου.* Alio loco haec: *ὅτι πρὸ φ ἐτῶν τοῦ ἡροδότου ἦν ὅμηρος ὁ ποιητής· ἄλλοι δὲ πρὸ υ φασί· πρὸ δὲ τοῦ ὁμήρου ρ ἔτη ὁ τρωικὸς πόλεμος.*

c. 123. — *ὅτι πρῶτοι αἰγύπτιοι μετεμψύχωσιν ἐδέξασαν.*

c. 142. — *τριηκόσιαι μὲν ἀνδρῶν γενεαὶ δυνέαται μύρια ἔτεα· γενεαὶ γὰρ τρεῖς ἀνδρῶν, ἑκατὸν ἔτεά ἐστι.*

L. III.

c. 12. c. Pal. ὅτι Καμβύσης ὁ πέρσης μετὰ τὴν τελευτὴν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ Κύρου ἐλθὼν ἐπ' αἴγυπτον ἐπολέμησε καὶ πεσόντων ἀμφοτέρωθεν περσῶν καὶ αἰγυπτίων, καὶ δοκιμασίας γενομένου ἐν τοῖς ὀστοῖς τῶν νεκρων αἱ μὲν τῶν Περσέων κεφαλαὶ ἦσαν ἀσθενέες οὕτω, ὥστε εἰ θέλεις ψήφῳ μούνῃ βαλέειν, διατετρανέεις· αἱ δὲ τῶν αἰγυπτίων, οὕτω δή τι ἰσχυραὶ, ὡς μόγις ἂν λίθῳ παίσας διαῤῥήξεις. αἴτιον δὲ τούτου τόδε ἔλεγον, ὅτι αἰγύπτιοι, αὐτίκα ἀπὸ παιδίων ἀρξάμενοι, ξυρῶνται τὰς κεφαλὰς, καὶ πρὸς τὸν ἥλιον παχύνεται τὸ ὀστοῦν. τωυτὸ δὲ τοῦτο καὶ τοῦ μὴ φαλακροῦσθαι αἴτιόν ἐστι. οἱ δὲ πέρσαι, σκιητροφέουσι ἐξ ἀρχῆς, πίλους τιάρας φορέοντες. —

c. 15. — πολλοῖσι μέν νυν καὶ ἄλλοισι ἐστὶν σταθμώσασθαι, ὅτι τοῦτο οὕτω νενομίκασι ποιέειν· ἐν δὲ καὶ τῶδε.

c. 33. — ὅτι ἱερὰν νόσον τὴν μανίαν φησί.

c. 72. fol. vers. 36. φυλακὰς οἶδα που καὶ αὐτὸς, εἰ μὴ ἰδὼν, ἀλλ' ἀκούσας· ᾗ πολλὰ μὲν ἐστὶν τὰ λόγῳ μὲν οὐκ οἷά τε δηλῶσαι, ἔργῳ δέ· ἄλλα δ'ἐστὶ τὰ λόγῳ μὲν οἷά τε, ἔργον δὲ ἀπ' αὐτῶν οὐδὲν λαμπρὸν γίνεται.

— — totum locum ab ἔνθα δέ τι (sic incipit) usque ad ἀληθής (p. 281. Reizii) hac varietate: bis ἀληθείη — lin. 20. omiss. τοῖσι. — lin. 21. omiss. τι. — lin. 23. σφι pro σφισι et ἐπι omiss. ibid. οὖν pro οὐ, et lin. 25. ὅτε.

c. 101. ὅτι ἡ γονὴ τῶν ἰνδῶν τὴν ἀπίενται etc. usque ad θορὴν. sed ἐστὶν pro ἐστὶ. —

c. 102. ἔν τινι ἐρημίῃ ἰνδικῇ κατα τὴν ψάμμον γίνονται μύρμηκες, μεγάθη ἔχοντες κυνῶν μὲν ἐλάσσονα, ἀλωπέκεων δὲ μέζονα. οὗτοι ὦν οἱ μύρμηκες ποιεύμενοι οἴκησιν ὑπὸ γῆν, ἀναφορέουσι τὴν ψάμμον κατάπερ οἱ ἐν τοῖσιν (sic) Ἕλλησι μύρ-

μηκες τὸν χοῦν, καὶ τὸν αὐτὸν τρόπον· εἰσὶ δὲ καὶ αὐτοὶ εἶδος ὁμοιότατοι· ἡ δὲ ψάμμος ἡ ἀναφερομένη ἐστὶ χρυσῖτις.

L. III.

c. 108. ὅτι τοῦ θείου ἡ προνοίη, ἐοῦσα σοφὴ, ὅσα μὲν ψυχήν τε δειλὰ (supra scr. ζῶα) καὶ ἐδώδιμα, ταῦτα μὲν πάντα πολύγονα πεποίηκεν, ἵνα μὴ ἐπιλίπηται κατεσθιόμενα· ὅσα δὲ σχέτλια καὶ ἄμικτα, ὀλιγόγονα. τοῦτο μὲν, ὅτι ὁ λαγὼς ὑπὸ παντὸς θηρεύεται θηρίου καὶ ὄρνιθος καὶ ἀνθρώπου, οὕτω δή τι πολύγονόν ἐστι, ἐπικυΐσκεται μοῦνον θηρίων πάντων· καὶ τὸ μὲν δασὺ τῶν τέκνων ἐν τῇ γαστρὶ· τὸ δὲ, ψιλὸν· τὸ δὲ ἄρτι ἐν τῇσι μήτρῃσι πλάσσεται· τὸ δὲ ἤδη ἀναλαμβάνεται· ἡ δὲ λέαινα, ἐὸν ἰσχυρότατον καὶ θρασύτατον, ἅπαξ etc. usque ad μήτρας; sed lin. 16. om. ἐστὶ et lin. 18. om. πολλὸν. Post μήτρας pergit: ὡς δὲ etc. usque ad ἀνθρώποισιν (sic.). Sed pro ἀραβίοισι habet ἀραβίοισιν et αὐτοῖς pro αὐτοῖσι. (vid. cap. 109.)

c. 119. ὅτι ὁ δαρεῖος ἐκράτησεν ἐν δεσμοῖς τὸν ἐνταφέρνεα καὶ τὸν παῖδα αὐτοῦ καὶ τὸν τῆς γυναικὸς αὐτοῦ ἀδελφὸν καὶ τοὺς συγγενεῖς πάντας· ἡ δὲ γυνὴ αὐτοῦ φοιτῶσα ἐπὶ τὰς θύρας τοῦ βασιλέως (sic), κλαίεσκε καὶ ὀδυρέσκετο αἰεὶ· οἰκτήρας δὲ ὁ βασιλεύς μιν, ἔπεμψεν αὐτῇ ἄγγελον λέγοντα τάδε· ὦ γύναι etc. usque ad τάδε, (lin. 16.) deinde pergit εἰ μὲν διδοῖ μοι βασιλεὺς ἑνὸς μόνου ψυχὴν, αἱρέομαι ἐκ πάντων τὸν ἀδελφέον. θωυμάσας δὲ τὸν λόγον δαρεῖος, πέμψας ἠγόρευεν, „ὦ γύναι, τίνα γνώμην ἔχουσα etc. usque ad ἀνδρός ἐστιν (sic.). Sed pro περιεῖναί τοι habet περιϊέναι σοι. — Pergit: ἡ δ' ἀμείβετο τοῖσδε, ὦ βασιλεῦ, ἀνὴρ μέν μοι ἂν ἄλλος γένοιτο, καὶ τέκνα ἄλλα· πατρὸς δὲ καὶ μητρὸς οὐκέτι μευ ζωόντων, ἀδελφεὸς ἂν ἄλλος οὐκέτι γένοιτο οὐδένι τρόπῳ· εὖ τε οὖν ἔδοξε τῷ δαρείῳ εἰπεῖν ἡ γυνὴ, καὶ οἱ ἀπῆκε τοῦτον, τοὺς δ' ἄλλους ἀπέκτεινε.

L. IV.

c. 19. 20 — 23. ὅτι πολλὰ ἔθνη καταλέγει σκυθῶν διάφορα. ἔχοντα ἐφεξῆς τὴν οἴκησιν ἀπὸ ταναΐδος μέχρι βορυσθένους ποταμοῦ· πρὸς μὲν δὴ τῷ ταναΐδι οὖν οἰκεῖν φησὶ τοὺς τὰ καλεύμενα βασιλήϊα ἔχοντας· οἳ πλεῖστοι ὄντες καὶ ἄριστοι, τοὺς ἄλλους σκύθας νομίζουσι δούλας σφετέρους εἶναι· ἐφεξῆς δὲ οἰκεῦσι σκύθαι οἱ λεγόμεναι νομάδες· οὔτε σπείροντες, οὔτε ἀροῦντες· ἐφεξῆς δὲ ἕτεροι· πρὸς δὲ τῷ βορυσθένει οἰκέουσι σκύθαι ἀροτῆρες οἳ οὐκ ἐπὶ σιτήσει σπείρουσι σῖτον, ἀλλ' ἐπὶ πρήσει (c. 17.). τάναϊν δὲ ποταμὸν διαβάντι, οὐκέτι σκυθικὴ, ἀλλὰ σαυρόμάται οἰκέουσιν οἳ ἀπὸ τοῦ μυχοῦ etc. usque ad ὁδὸν (c. 21.). Pergit: ἐφεξῆς δὲ ἕτερα ἔθνη· ὑπὲρ δὲ τούτων πάντων τὰ πρὸς τὴν ἠῶ ἀποκλίνοντι οἰκέουσι σκύθαι ἄλλοι ἀπὸ τῶν βασιληΐων σκυθέων ἀποστάντες (c. 22.). Pergit: ἐπέκεινα δὲ πάντων ἀνθρώπων ὑπερβορέων οἰκέουσι ἐν τοῖς ὑψηλοῖς ὄρεσιν ἄνθρωποι φαλακροὶ ἐκ γενετῆς γινόμενοι etc. usque ad δενδρέων. (c. 23.)

c. 36. τὸν δὲ περὶ ἀβάριος λόγον λεγομένου εἶναι ὑπερβορέω, ὃς τὸν οἰστὸν περιέφερε κατὰ πᾶσαν γῆν, οὐδὲν σιτεόμενος, οὐ λέγω:

c. 57. ὅτι ὁ τάναις ποταμὸς ῥέει etc. usque ad ἐςβάλλει. Addit μέγας post εςβ.

c. 59. ὅτι σκύθαι πάντες τὴν γ. τ. δ. ε. γ. νομίζοντες ἱλάσκονται ἄμφω ὡς θεοὺς· ἔτι τὲ ἀπόλλωνα καὶ οὐρανίην etc. usque ad ἄρεα. Pergit: οἱ δὲ βασιλήϊοι σκύθαι καὶ τῷ ποσειδεῶνι θύουσιν. —

c. 76. ὅτι ἀνάχαρσις σκύθης ὢν, ἐπεί τε γῆν πολλὴν περιελθὼν καὶ θεωρήσας, ἦλθε καὶ ἐς ἑλλάδα, ὅθεν καὶ σοφίην πολλὴν ἐκομίζετο ἐς ἤθεα τὰ σκυθέων.

c. 83.-86. ὅτι παρασκευαζομένου δαρείου ἐπὶ τοὺς σκύθας καὶ ζευγνύοντος τὸν θρηΐκιον βόσπορον, ἀρτάβανος ὁ ἀδελφεὸς αὐτοῦ συνεβούλευε μὴ στρατεύεσθαι ἐπὶ σκύθας καταλέγων τῶν σκυθέων τὴν ἀπορίην. ἀλλ' οὐκ ἔπειθε· δαρεῖος δὲ ἐπεί τε (cf. cp. 85.)

ἀφικόμενος ἐκ Σούσων ἐπὶ τὸν βόσπορον τῆς χαλκηδονίης, ἵνα καὶ ἔζευκτο ἡ γέφυρα etc. usque ad θωυμασιώτατος· sed pro φασι habet φασὶν et pro ἐθηῆτο: ἐθηεῖτο. — Deinde pergit: τὸ μὲν μῆκος αὐτοῦ στάδιοι εἰσὶν ᾱ ͵αρ· τὸ δὲ εὖρος etc. — στάδιοι διηκόσιοι καὶ ͵Γ· τούτου τοῦ πελάγεος τὸ στόμα ἐστὶ, εὖρος τέσσαρες· μῆκος. etc. — κέκληται κατὸ ἔζευκται etc. — ἑκατόν. τείνει etc. usque ad ὀργυιέων γίνονται (c. 86. l. 7.). Sed lin. 16. capitis 85. scrib. ζ pro ἑπτά. — lin. 3. cap. 86. ὀργυιὰς pro ὀργυιέας. mox verba νυκτὸς δὲ, ἑξακισμυρίας omitt. — lin. 4. ita ponit verba: ἀπὸ τοῦ στόματος ἐς μὲν φάσιν (ita). — lin. 6. θ pro ἐννέα. — Tum pergit: ἐκ δὲ τῶν ὀργυιέων τούτων, στάδιοι ᾱ ͵αρ γίνονται. ἐς δὲ θεμισκύρην τὴν ἐπὶ θερμώδοντι ποταμῷ τῷ ἐκ τῆς ἰνδικῆς, (κατὰ τοῦτο γάρ ἐστι τοῦ πόντου εὐρύτατον,) τριῶν τε ἡμερέων καὶ δύο νυκτῶν πλόος· αὗται δὲ, τρεῖς μυριάδες καὶ τριήκοντα ὀργυιέων γίνονται, στάδιοι δὲ ͵Γτ. Deinde pergit ἡ δὲ μαιῆτις λίμνη καὶ μήτηρ τοῦ πόντου καλέεται. —

c. 87. et 89. τοῦ δὲ βοσπόρου ὁ χῶρος, τὸν ἔζευξε δαρεῖος, ἐς μέσον ἐστὶ βυζαντίου τε καὶ τοῦ ἐπὶ στόματι ἱροῦ. διαβαίνων δ᾽ ἐς τὴν εὐρώπην ὁ δαρεῖος παρήγγειλε τοῖς ἴωσι πλέειν etc. usque ad ποταμόν (c. 89.). Pergit: ὁ μὲν δὴ ναυτικὸς κυανέας διεκπλώσας, ἔπλεεν εὐθὺ τοῦ ἴστρου· ἀναπλώσας ἀνὰ ποταμὸν etc. usque ad ἐζεύγνυε. Sed pro ἐκ τοῦ habet ἐξ οὗ.

c. 93. ὅτι ἐκ τῶν ἄλλων θρακῶν οἱ γέται μᾶλλον πλησιάζουσι τῷ ἴστρῳ:

c. 94. ὅτι οἱ γέται θρήικες ὄντες ζάλμοξιν νομίζουσι θεὸν ἑαυτῶν. διὸ καὶ πρὸς βροντήν τε καὶ ἀστραπὴν τοξεύοντες ἄνω πρὸς τὸν οὐρανὸν, ἀπειλέουσι τῷ θεῷ, οὐδένα ἄλλον νομίζοντες θεὸν εἶναι εἰ μὴ τὸν σφέτερον. οὗτοι ἐδουλώθησαν τῷ δαρείῳ. —

L. IV.

c. 101. ὅτι σκυθικὴν γῆν φησὶ πᾶσαν τὴν ἀπὸ τανάιδος μέχρι ἴστρου ποταμοῦ· φησὶ οὖν εἶναι τὸ ἀπὸ ἴστρου ἐπὶ βορυσθένεα δέκα ἡμερέων ὁδὸς· ἀπὸ βορυσθένεος δὲ ἐπὶ λίμνην etc. usque ad δέκα.

— ἡ δὲ ὁδὸς ἡ ἡμερησίη ἀνὰ διηκόσια στάδια συμβέβληταί μοι.

c. 128. fol. vs. 36. verba: „σοὶ δὲ ἀντὶ μὲν δώρων — ῥῆσις habet; et nullâ lectionis varietate, nisi quod ἔφησας δεσπότης.

c. 144. ὅτι πρότερον τοῦ βυζαντίου ἐκτίσθη ἡ χαλκηδὼν πρὸ ιζ ἐτῶν —

c. 181. οὗτοι μὲν οἱ παραθαλάσσιοι τῶν νομάδων λιβύων εἰσίν. ὑπὲρ δὲ — λιβύη. Pergit: πλησίον δὲ τοῦ ἄτλαντος οἰκοῦσι αἰθιόπων γένη τινά· οὗτοι τῷ (vid. c. 184.) ἡλίῳ ὑπερβάλλοντι καταρῶνται, ὅτι σφέας καίων ἐπιτρίβει, καὶ τὴν χώρην αὐτέων.

— φησὶν ἡρόδοτος λίμνην εἶναι λεγομένην τοῦ σ (ita — suprascriptum: μέσον αἰγύπτου καὶ αἰθιοπίας) ἣ ἐν μὲν ἡμέρα γίνεται ψυχρὰ· ἐν δὲ μεσονυκτίῳ θερμὴ· μεταξὺ δὲ κατὰ τὸ ἀνάλογον.

c. 187. ὅτι οἱ τῶν λιβύων νομάδες τὰ παιδία τὰ σφέτερα ἐπεὰν τετραέτεα γένηται, καίουσι τὰς ἐν τῇσι κορυφῇσι φλέβας· μετεξέτεροι δὲ αὐτῶν, τὰς ἐν τοῖσι κροτάφοισι· ὡς μή σφεας ἐς τὸν πάντα χρόνον καταῤῥέον φλέγμα ἐκ τῆς κεφαλῆς δηλῆται. εἰ δὲ καιομένοις τοῖς παιδίοις σπασμὸς ἐπιγένηται etc. usque ad σφεας; sed omiss. γάρ.

Lib. V.

c. 18. ἐλθούσας δὲ τὰς γυναῖκας ἀντίας ἵζεσθαι, αλγηδόνας ὀφθαλμῶν αὐτοῖς. Deinde pergit: ὅτι μακεδονίης ἐβασίλευεν ἀμύντας ἐπὶ τοῦ δαρείου· εἶτα ἐν ταῖς ἡμέραις ξέρξου ἐβασίλευε μακεδονίης ὁ υἱὸς ἀμύντου ἀλέξανδρος· τούτου διάδοχος ὁ υἱὸς αὐτοῦ φίλιππος· τούτου διάδοχος ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἀμύντας· τούτου διάδοχος ὁ υἱὸς αὐτοῦ φίλιππος· οὗ υἱὸς ὁ μέγας ἀλέξανδρος ὁ τὴν ἀσίαν δουλώσας.

L. V.

c. 22. οἱ τῶν ἀγῶνα τῶν ὀλυμπίων διέποντες ἑλληνοδίκαι:

c. 53. ὅτι οἱ πέντε παρασάγγαι δυνάμεναι ἑκατὸν κ. πεντήκοντα στάδια, ἡμερησία ἐστὶν ὁδός· εἰσὶν οὖν ἐξ ἐφέσου (cf. c. 54.) ἀναβαίνοντι ἐς σοῦσα ὁδὸς ἡμερῶν ϟΓρ″ (ita).

c. 57. ἦσαι φοίνικες etc. usque Ἀθηνέων (l. 10.). Sed lin. 6. om. καλεομένην. — lin. 9. ἐς Ἀθῆνας pro ἐπ' Ἀθηνέων. — Pergit codex: ἀθηναῖοι δέ σφεας προςεδέξαντο.

c. 66. ὅτι κλεισθένης πρωτεύσας ἐν ἀθήναις τετραφύλους ἐόντας ἀθηναίους, δεκαφύλους ἐποίησεν.

c. 101. ὅτι ἀρισταγόρης ὁ τῆς μιλήτου τύραννος συμμαχοὺς λαβὼν ἀθηναίους καὶ ἴωνας ἀπῆλθε καὶ εἷλε σάρδις καὶ ἐνέπρησεν αὐτό· ὅπερ αἴτιον ἐγένετο ἐξ ἀρχῆς τῆς δαρείου κατὰ ἀθηναίων καὶ τῶν ἄλλων ἑλλήνων μάχης:

c. 101. ὅτι μέσον τῆς τῶν σαρδίων πόλιος κατὰ τὴν ἀγορὰν, ῥεῖ ὁ πακτωλὸς ποταμὸς ψῆγμα etc. usque ad τμώλου. —

L. VI.

c. 21. fol. vrs. 34.: ὅτι τῆς μιλήτου ἁλούσης ὕστερον ὑπὸ περσῶν μετὰ τὴν ἱστιαίου φυγὴν τοσοῦτον ἀθηναῖοι ἐλυπήθησαν, ὥστε καὶ ποιήσαντι etc. usque ad δράματι. — Sed lin. 11. post διδάξαντι inser. ὕστερον.

c. 47. ὅτι θάσος ἡ νῆσος ἀπὸ θάσου τοῦ φοίνικος ἐκλήθη οὕτω τοῦ κτίσαντος πόλιν ἐν ταύτῃ:

c. 102. ὅτι ἐς μαραθῶνα περσικαὶ τριήρεις ἦλθον χ̄ et mox: ἔστι δὲ ἡ μαραθὼν ἐπιτηδειώτατον χωρίων τῆς ἀττικῆς.

c. 129. ὅτι κλεισθένης ὁ σικυωνίων τύραννος συνέθετο λαβεῖν ἱπποκλείδην τὸν ἀθηναῖον γαμβρὸν ἐπὶ τῇ οἰκείᾳ θυγατρί· ὡς δὲ εἶδεν αὐτὸν ἀσχημονοῦντα ἐν τῷ γάμῳ καὶ τῷ συμποσίῳ, ἀπεῖπε τὴν συγγένειαν· ὁ δὲ ἱπποκλείδης ὑπολαβὼν ἔφη· οὐ φροντὶς ἱπποκλείδῃ —

L. VI.
c. 138. fol. 56. vrs. ἀπὸ δὲ τούτου τοῦ ἔργου, καὶ τοῦ προτέρου ὃ εἰργάσαντο αἱ γυναῖκες, νενόμισται etc. usque ad καλέεσθαι. —

L. VII.
c. 9. fol. r. 34. αὐτόματον οὐδὲν, ἀλλ' etc. usque ad πρόκειμένη (c. 10. init.) *)

c. 10. — ἔλεγε δὲ μὴ λεχθεισέων etc. usque ad τὸν ἀμείνω. Sed lin. 7. ἐστὶν pro ἔστι, — et lin. 8. αὐτοῦ pro ἑωϋτοῦ.

Ibid.
N. 4-6. fol. 34. in margine: τὸ εὖ βεβουλεύεσθαι, κέρδος etc. usque ad κολούειν (l. 53.). Sed hac varietate: lin. 45. om. ἐόν. — lin. 46. μέλλοι pro θέλει et mox ἧσσον pro ἕσσον. — lin. 48. omitt. ἤ. — εὕρηκεν pro εὕρηκε — ἧσσον pro ἕσσον. — lin. 50. οὐδ' ἐᾶ pro οὐδὲ ἐᾷ. — lin. 51. om. μιν. — δ' ὡς pro δὲ ὡς — l. 52. τοιαῦτα pro τοιαῦτ'. Post κολούειν pergit: οὐ γὰρ ἐᾷ φρονέειν μέγα ἄλλον ἢ ἑωϋτὸν etc. usque ad ἐξεύροι τις ἄν. — lin. 60. om. παρ ante αὐτίκα et δοκ. εἶναι.

N. 7. Ibid. διαβολὴ γὰρ — ἐκμάθῃ, — lin. 67. εἰσὶν pro εἰσι — l. 68. δ' ὁ pro δὲ ὁ. — l. 69. ἀδικεῖ bis. — Post ἐκμάθῃ· ita pergit: ὁ δὲ διαβαλλόμενος αὖ διπλῶς ἀδικεῖται· διαβληθεὶς — καὶ ἅμα νομισθεὶς πρὸς τοῦ ἑτέρου ἀκούσαντος καὶ πεισθέντος εἶναι κακός.

c. 11. fol. rect. 34. ἡμεῖς ἡσυχίαν etc. — ἡμετέραν (sic.).

Ibid. ὅτι πέλοψ ἀφ' οὗ πελοπόννησος φρὺξ ἦν· ὑπήκοος περσῶν τὸ ἐξ ἀρχῆς —

c. 16. fol. rect. 34. σὲ δὲ ἀνθρώπων — χρῆσθαι. Sed
N. 1. lin. 9. θαλ. ἀνθρ. — om. φασι. —

c. 17 et 18. ὅτι στρατευομένῳ κατὰ τῆς ἑλλάδος τῷ ξέρξῃ ἐμποδὼν ἐγίνετο ὁ ἀρτάβανος· βουλόμενος (suprascr. ον ab ead. m.) δὲ ἤδη καὶ ξέρξης πείθεσθαι

---

*) Post προκ. habet: ὅπερ ἕτεροι φασὶν ἀπεφήνατο, οὗτος ἐδήλωσε φανερώτερον. —

αὐτῷ· ἐπιφαινόμενος ὄνειρος νυκτὸς ἐκίνει μᾶλλον κατὰ τῆς ἑλλάδος· ὅθεν βουλόμενος ὁ ξέρξης βεβαιῶσαι τοῦτο πρὸς ἀρτάβανον ὅτι θεῖον θέλημα ἐστὶν ἠνάγκασεν αὐτὸν ἐνδῦναι τὴν βασιλήιον ἐσθῆτα καὶ ὑπνῶσαι ἐπὶ τῆς ξέρξεω κλίνης· ὡς οὖν κοῖτον ὁ ἀρτάβανος ἐποιέετο, ἦλθέ οἱ κατυπν. τὠυτὸ — ξέρξην — εἶπεν ἆρα· σὺ etc. — ἑλλάδα; ἀλλ' etc. usque ad δεδήλωται. — Sed lin. 7. ξέρξην. l. 9. οὔτ' ἐς τὸ παρ. — l. 10. ξέρξην. l. 11. om. αὐτῷ ἐκείνῳ. Sed post δεδήλωται habet οἱ· ἢν γὰρ μὴ αὐτίκα στρατηλατέῃ ὡς μέγας καὶ πολλὸς ἐγένετο ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ, οὕτω καὶ ταπεινὸς ὀπίσω κατατάχος ἔσεται. ταῦτα δὴ ἤκουεν ἀρτάβανος τὸν ὄνειρον etc. usque ad ἀνθρώσκει· sed lin. 5. σιδηρείοισιν. — Post ἀνθρώσκει ita: καὶ εἰς τὸ ἑξῆς συνήνεε τῷ ξέρξῃ καὶ αὐτός: ὁ δὲ ξέρξης κατιὼν ἐπεὶ διέβη τὸν ἅλυν ποταμὸν ὡμίλησε τῇ φρυγίῃ καὶ δι' αὐτῆς πορευόμενος ἀπίκετο ἐς Κελαινάς, ἵνα πηγαὶ ἀναδιδοῦσι Μαιάνδρου ποταμοῦ. (vid. c. 26.) —

c. 18. fol. rect. 34. τουτέων δὲ λεχθέντων — φανερὸς ἦν.

c. 23. fol. vers. 34. οὕτω γὰρ ποιουμένων ἐκείνων, ἔμελλε σφι τοιοῦτο ἀποβήσεσθαι. οἱ δὲ ἀπολαχόντες μόριον ὅσον αὐτοῖσιν ἐπέβαλλεν, ὤρυσσον.

c. 29. fol. rect. 34. ταῦτα ποιέοντι (sic), οὔτε — μεταμελήσει.

c. 31. ὡς δὲ etc. usque ad ἀνάγκῃ. Deinde pergit ita: ἐνταῦθα εὗρε πλατάνιστον etc. usque ad Σάρδις, ubi addit τόδε.

c. 35 et 36. fol. r. 34. ἐνετέλλετο ἀποταμεῖν τὰς κεφαλὰς αὐτῶν. καὶ — τιμή sed προςκεῖτο pro προςεκέετο.

— fol. r. 36. ἐζεύγνυσαν δὲ τὸν ἑλλέσποντον οἱ πέρσαι οὕτω: πεντηκοντέρους etc. usque ad τριηκοσίας (lin. 6.) sed lin. 4. ξυνθέντες. lin. 5. om. τε.

— fol. r. 34. ἐμβριθέστερα ἦν — εἷλκεν (sic). —

c. 37. rect. ὁ ἥλιος — ἀφανὴς ἦν.

— — οἱ δὲ περσῶν μάγοι ἔλεγον ἥλιον — σφέων.

c. 39. fol. r. 34. εὖ νῦν τόδ' ἐπίστασο, ὡς ἐν τοῖς ὠσὶ etc. usque ad ἀνοιδέει. Sed lin. 8. ἐμπιπλεῖ. et l. 9. τουτοῖσιν. —

c. 46. ὅτι θεησάμενος ὁ ξέρξης τὸ πολὺ πλῆθος τῆς αὐτοῦ στρατιῆς ἐμακάρισε πρῶτον ἑαυτόν· μετὰ δὲ ἐδάκρυσεν λογισάμενος ὡς βραχὺς etc. usque ad περιέσται.

— fol. vers. 34. ὁ μὲν θάνατος — ἐὼν. lin. 19. τῶν ἀνθρώπων.

c. 47. — ἐγὼ δὲ καὶ etc. usque ad ὁρῶν (sic), cui addit τάδε. — lin. 11. ὑπόπλεως.

c. 49. — φερέγγυος εἶμι ποιεῖν το. αἱ συμφοραὶ etc. usque ad ξυμφορέων (sic). lin. 12. pro οὐκὶ habet οὐχὶ —

c. 50. — τοῖσι τοίνυν βουλομένοισι etc. usque ad καταιρέεσθαι. hac varietate: l. 15. ὀκνέουσιν — ὅρα — lin. 16. προκεχώρηκεν. — l. 17. γεν. βασ. om. l. 18. ἐχρέωντο — ὁμοίησιν — verba καὶ σὺ usque τοιούτους omiss. l. 21. σφέας — l. 22. κινδύνοισιν. —

Ibid. ἐπεὶ ἐπ' ἀροτῆρας καὶ — ἄνδρας. Deinde pergit: τῶν ἄν κου — σῖτον ἕξομεν.

c. 51. fol. vers. 24. σὺ δέ μευ ξυμβ. — ἐκτεῖναι.

c. 54. l. 10. — χρύσεον κρητῆρα — καλέουσιν (sic). —

c. 55. ὅτι δύο γεφύρας ἔζευξεν ὁ ξέρξης καὶ κατὰ μὲν etc. usque θεραπηΐη. Sed l. 3. post ἅπασα inser. διέβαινον. et habet τὸν pro τὸ. —

c. 56. διέβη — χρόνον. sed pro αὐτοῦ habet ἅπας, et εὐφρόνησιν pro εὐφρόνησι.

c. 57. fol. vers. 34. ὡς δὲ διέβη τὸν ἑλλήσποντον τέρας etc. usque ἐόν· sed pro εὐσύμβλ. habet εὐξύμβλ. — Deinde pergit: ἵππος γὰρ ἔτεκε

λαγών Ω. πρότερον δὲ ἐν σάρδησιν· ἡμίονος γὰρ ἔτεκεν ἡμίονον. Sequitur ὁ δὲ ἐν δορίσκῳ.

c. 59 et 60. fol. vrs. 34. τῆς στρατιῆς ἐποιέετο ἀριθμόν. σύμπαντος οὖν τοῦ στρατοῦ — μυριάδες· οὐ γὰρ λέγεται πρὸς οὐδαμῶν ἀνθρώπων. —

c. 61. ὅτι οἱ πέρσαι πρότερον κηφῆνες καὶ ἀρταῖοι ἐκαλοῦντο· ἀπὸ δὲ περσέων καὶ ἀνδρομέδης, ὠνομάσθησαν πέρσαι οἱ ὕστεροι.

— fol. vrs. 34. περσεὺς ὁ δανάης usque ad πέρσην, ubi addit: ἀφ᾽ οὗ πέρσαι.

c. 62. — οἱ δὲ μήδοι ἐκαλέοντο πάλαι πρὸς πάντων ἄριοι· ἄπικομένης δὲ μηδέης τῆς κολχίδος ἐξ ἀθηναίων usque ad τοὔνομα (sic).

c. 63. — οὗτοι δὲ ὑπὸ μὲν ἑλλήνων καλέονται σύριοι — ἐκλήθησαν.

c. 64. ὅτι οἱ πέρσαι πάντας — σάκας. —

c. 69. fol. rect. 35. αἰθίοπες τοῦ σώματος τὸ μὲν ἥμισυ ἐξηλείφοντο γύψῳ ἰόντες ἐς μάχην. τὸ δὲ ἄλλο ἥμισυ, μίλτῳ.

c. 75. ὅτι οἱ ἐν τῇ ἀσίῃ θρήϊκες ἀπὸ τῆς εὐρώπης διαβάντες ἐκεῖ ἐκλήθησαν βιθυνοί.

c. 75. fol. vers. 34. ἀρταβάνου τοῦ γνώμην θεμένου μὴ στρατεύεσθαι ἐπὶ τὴν ἑλλάδα — (nisi pertinet ad cap. 82.)

c. 83. ὅτι ἦσαν μύριοι πέρσαι τάγμα ἓν παρὰ τῷ ξέρξῃ ἀθάνατοι καλεόμενοι· διότι τοῦ τελευτήσαντος τὸν τόπον ἀνεπλήρου εἰσιὼν ἕτερος:

Ibid. fol. vrs. 34. ἐνέτρεπον χρυσὸν πολλὸν ἔχοντες. —

c. 85. — ἔθνος μὲν περσικὸν καὶ φωνῇ, σκευὴ δὲ —.

c. 87. — — ἀριθμὸς etc. usque ad ἁρμάτων.

c. 94. fol. r. 35. πρὶν ἢ δάναόν etc. usque ad ἴωνες.

c. 109. ὅτι διὰ ἀβδήρων ῥεῖ ὁ ποταμὸς ὁ νέστος.

c. 114. fol. rect. 35. ἐννέα ὁδοὺς πυνθανόμενοι τὸν χῶρον τόνδε — παρθένους ζώοντας κατώρυσσον. ἐπεὶ — παῖδας ἐπιφανέων ὑπὲρ ἑωυτῆς τῷ ὑπὸ γῆς etc. usque κατορύσσουσαν. —

c. 117. — συμφορὴν ἐποιήσατο μεγάλην θανόντα ἐκεῖ τὸν ἐπεστεῶτα φημὶ τῆς διώρυχος etc. usque ad ἀνθρώπων. sed lin. 4. Ἀχαιμενίδη.

c. 119. fol. 35. r. ἐκ πολλοῦ χρόνου προειρημένον.

c. 132. — τὸ μὲν δὴ ὅρκιον ὧδε εἶχε τοῖς Ἕλλησι· ὅσοι — ἀναγκασθέντες τούτους — θεῷ.

c. 135. — τὸ μὲν δοῦλος etc. usque ad πελέκεσι. Sed l. 16. pro δὲ οὔκω: δ' οὔπω. et l. 18. ξυμβ.

c. 139. — νῦν δὲ Ἀθηναίους etc. usque ad ἔμελλε. lin. 23. τὸ ἀληθὲς et πραγμάτων.

c. 140. fol. vrs. 37. πέμψαντες οἱ ἀθηναῖοι ἐς δελφοὺς, ἔχρησεν ἡ πυθίη, τῇ οὔνομα ἦν ἀριστονίκη, τάδε. Sequuntur verba ὦ μέλεοι usque ad πυργώματα, nullâ lectionis varietate nisi quod omittuntur verba οὔτε πόδες usque ad πέλει (incl.)

c. 141. fol. vrs. 36. δεύτερα δὲ τοῖς θεοπρόποις τῶν ἀθηναίων ἱκετεύσασι χρᾷ ἡ πυθία τάδε: sequuntur versus integri; (lin. 20. habet μὴ δὲ et 22. ποτὲ pro κοτὲ.

c. 152. fol. vrs. 35. οὐδέ τινα γνώμην περὶ αὐτῶν ἀποφαίνομαι.

c. 155. — ἱπποκράτεα — ἀποθανεῖν. Omiss. κλεάνδρῳ.

c. 156. fol. 35. vrs. ἐκείνου μὲν λόγον ἐλάσσω ἐποιεῖτο δυνάμιος ἥκων μεγάλης.

c. 157 — 160. — τῷ δὲ εὖ βουλευθέντι usque ad ἐπιγίνεσθαι; ubi pergit: ἐκεῖνος δὲ πολλὸς ἐνέκειτο λέγων τοιάδε. (c. 158.) Post τοιάδε pergit: εἰ μὲν βούλεαι βοηθέειν etc. usque ad σὺ δὲ μὴ βοηθεῖ (sic. c. 159.); ubi pergit τελευταῖον δὲ τόνδε ἐξέφαινε λόγον, ὀνείδεα κατιόντα ἀνθρώπῳ,

φιλέει ἐπανάγειν τὸν θυμόν· ἐπεί τε ὁ λόγος ὑμῖν οὕτω προσάντης κατίσταται. (vid. c. 160.)

c. 161. fol. 35. vrs. μάτην γὰρ ἂν εἴημεν ποιήσαντες τόδε, εἰ συρηκουσίοισι — ἡγεμονίης. ἔφη οὖν ὁ συρακουσίων τύραννος οὐκ ἂν φθάνοιτε etc. usque ad ἐξαραίρηται; om. αὐτῇ. (c. 162.)

c. 163. — — — ταύτην μὲν τὴν ὁδὸν ἠμέλησε, ὁ δὲ ἄλλης εἴχετο.

Ibid. — — — πέμπει τοῦτον ἐς δελφούς etc. usque ad πεσέεται; sed pro φιλίους habet φίλους.

c. 164. — — — ὁ δὲ κρατήσας μεγάλων χρημάτων — ἠθέλησε (sic).

c. 166. — — — ὃν ἀφανισθῆναι — γῆς.

c. 170. — — — λέγεται δὲ μίνω etc. usque ad θανάτῳ. lin. 13. σικελίαν καλεομ.

c. 171. — — — ἀλλὰ τὰ μὲν τοιαῦτα τοῦ λόγου μοι παρενθήκη γέγονε.

c. 172. — — — ἀπὸ τῶν πολίων τῶν τὰ ἀμείνω φρονευσέων περὶ τὴν ἑλλάδα ἦσαν —

c. 175. — — — ἡ νικῶσα γνώμη ἐγίνετο ποιεῖν τό:

Ibid. — — — ταύτην οὖν ἐβουλεύσαντο etc. usque ad βάρβαρον, sed om. ἐς ante τὴν ἑλλάδα. —

c. 176. — — — ἡ δ᾽αὖ διὰ τρηχῖνος ἔσοδος ἐς τὴν ἑλλάδα, ἔστι, ἡ στεινοτάτη, ἡμίπλεθρον.

c. 178. — — — δελφοὶ δ᾽εν τούτῳ τῷ χρόνῳ etc. usque ad συμμάχους; sed om. καταῤῥωδηκότες. Post συμμάχους pergit: οἱ δὲ τοῖσι ἀνέμοισι βῶμον τε ἀπέδεξαν, καὶ θυσίῃσί σφεας μετιῇσαν.

c. 182. ἡ ναῦς φεύγουσα, ἐξοκέλλει ἐς τὰς ἐμβολὰς τοῦ πηνειοῦ. οἱ δὲ ἄνδρες ὡς τάχιστα ἐπώκειλαν τὴν νέα ἔφυγον ἀποθορόντες.

c. 184. fol. vrs. 35. μέχρι μέν νυν τοῦτου τοῦ χώρου μαγνησίης, ἀπαθὴς κακῶν ἦν ὁ στρατός, καὶ πλῆθος ἦν τηνικαῦτα, ὡς ἐγὼ συμβαλλόμενος εὑρίσκω.

Ibid. et fol. 34. vrs. *τοῦ δὲ ναυτικοῦ στρατοῦ τὸ πλῆθος*
sqq. capp. *ἦν πεντήκοντα μυριάδες καὶ μία, χιλιάδες δὲ ἔπεισι ἐπὶ ταύτῃσι ἑπτὰ, καὶ πρὸς, ἑκατοντάδες ἓξ, καὶ δεκάς. τοῦ δὲ πεζοῦ, ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν μυριάδες. προσθήσω δὲ τούτοισι τὰς καμήλους* etc. usque ad *στράτευμα* (init. cap. 185.), nullâ varietate nisi quod lin. 29. *δὴ* om. — post *στρατ.* pergit codex: *νέας μὲν οἱ ἀπὸ θρηΐης ἕλληνες* etc. usque ad *παρείχοντο*. lin. 4. *θρήκη* pro *θρηΐκῃ*. l. 6. om. *νεῶν*, et *μύριοι* pro *δισμύριοι*. — Post *παρείχοντα* pergit: *καὶ ὅσοι τῆς θηΐκης τὴν παραλίην νέμονται· τριήκοντα μυριάδας δοκέω γενέσθαι. τὴν δὲ θεραπηΐην* (c. 186.) etc. usque ad *δοκέω*. sed lin. 3. *τοῖς* pro *τοὺς*. lin. 6. ante *οὐ* inserit *πλεῦνας*, et post *δοκέω* pergit *οὕτω πεντηκοσίας — ἑκατοντάδας δύο ἀνδρῶν καὶ πρόςήγαγε — θερμοπυλέων*.

c. 187. *γυναικῶν* etc. usque ad *ἀντέχρησε* (lin. 9.) sed hac varietate: l. 3. *ποιῶν*. — l. 6. verba *οὐδ' ἂν — ἀριθμόν* (incl.) desunt. — l. 7. *οὐδὲ — θῶμα* — l. 8. *ἔστιν ὧν* pro *ἔστι τῶν — ὅπως*. —

Ibid. *παμπόλλου πλήθους ὄντος τοῦ περσῶν, κάλλεός τε εἵνεκα καὶ μεγάθεος οὐδεὶς ἀξιώτερος ἦν αὐτοῦ ξέρξεω ἔχειν τὸ κράτος.*

c. 188. fol. 35. vrs. *ἅμα δὲ ὄρθρῳ ἔπεσέ σφι χειμῶνος χρῆμα ἀφόρητον* (cf. fin. cp.)

c. 189. — — — *λέγεται* etc. usque ad *ἐρεχθέος* (sic); sed lin. 4. *γὰρ* pro *δὲ*. —

c. 190. — — — *ἐν τούτῳ νέας οἳ* etc. usque ad *ἄφθονον*. Deinde pergit: *μεγάλως ἡ ναυηγίη ἐγένετο χρηστὴ τοῖς ἕλλησι.*

Ibid. fol. 36. rect. *χρήματα περιεβάλετο οὐκ ὀλίγα.*

c. 191. fol. vrs. 35. *σιταγωγῶν — ἀριθμός.*

— fol. rect. 36. *ἕρκος ὑψηλὸν οἱ πέρσαι περιεβάλοντο.*

c. 192. — — — *οἱ δὲ τὴν ταχίστην* etc. usque ad *νέαι* (sic pro *νῆας*), sed om. *τινάς*.

c. 193. fol. rect. 36. ὡς ἐπαύσατο ὁ ἄνεμος, καὶ τὸ κῦμα ἔστρωτο, κατασπάσαντες τὰς νέας ἔπλεον.

c. 194. — — — ὁ δ' ἐπὶ χρήμασι ἄδικον δίκην ἐδίκασε.

c. 196. — — — τῶν μέν νυν ἐν θεσσαλίῃ etc. usque ad φλαύρως. sed lin. 11. δ' ἐν pro δὲ ἐν. et lin. 12. ante μέγιστος inser. ὁ. —

c. 199. — — — πέντε στάδια τοῦδε τοῦ χώρου ἐκεῖνος ἀπέχει.

c. 202. ὅτι ἐν θερμοπύλαις σπαρτιάται μὲν ἐτάχθησαν τ̄ οἱ δὲ ἕτεροι ἕλληνες πλείους ͵γ' —

c. 204. fol. r. 36. ἦσαν μὲν καὶ ἄλλοι· ὁ δὲ θωϋμαζόμενος etc. usque ad 'Αναξανδρίδεω. — Ante ἡγεόμενος inser: περὶ τὰς θερμοπύλας.

c. 208. — — — μαθὼν δὲ ταῦτα ἀτρεκέως, ἀπήλαυνε ὀπίσω.

c. 209. — — — ἀκούων δὲ ξέρξης τοὺς λακεδαιμονίους κτενιζομένους τὰς κόμας (cf. cap. 208.) οὐκ εἶχε συμβαλέσθαι τὸ ἐόν. —

c. 211. — — — λακεδαιμόνιοι δὲ ἐμάχοντο ἀξίως λόγου, ἐν οὐκ ἐπισταμένοισι μάχεσθαι ἐξεπιστάμενοι.

Ibid. — — — οἱ δὲ βάρβαροι βοῇ τε καὶ πατάγῳ ἐπήϊσαν.

c. 212. — — — λέγεται δὲ βασιλέα, τρὶς ἀναδραμεῖν — στρατιῇ.

c. 213. — — — ταῦτα μὲν ἐγὼ ἐν τοῖσι ὄπισθε λόγοισι σημανέω.

c. 215. — — — ὡρμέατο δὲ περὶ λύχνων ἁφὰς ἐκ τοῦ στρατοπέδου.

c. 219. — — — οἱ μὲν οὐκ ἔων τὴν τάξιν ἐκλιπεῖν· οἱ δὲ, ἀντέτεινον. οἱ δὲ ἀπαλλάσσοντο. —

c. 220. — — — ταύτῃ καὶ μᾶλλον τῇ γνώμῃ πλεῖστός εἰμι, λεωνίδην κελεῦσαί σφεας ἀπαλλάσσεσθαι.

Ibid. — — — ὁ δὲ ἐβούλετο καταθέσθαι κλέος.

c. 223. fol. r. 36. ὄπισθε δὲ οἱ ἡγεμόνες ἔχοντες — ἐποτρύνοντες. Deinde pergit: ἀπεδείκνυντο (sic pro ἐπεδεικν. l. 21.) — μέγιστον ἐς τούτους.

c. 228. — — — θαφθεῖσι δὲ ἐπιγέγραπται ἐν στήλῃ τάδε, μυριάσιν ποτὲ τ. τ. ἐμ. ἐκ πελοπονήσου χιλ. τεττάρες.

c. 231. — — — ἀπονοστήσας — εἶχε ὄν τε καὶ ἀτιμίην.

Ibid. οὐδεὶς ἔναυέ οἱ πῦρ.

c. 237. fol. vrs. 37. verba ab ὅτι πολιήτης (l. 7.) usque ad συμβουλεύσειε τὰ ἄριστα habet, sed omissis: σπάνιοι δ' εἰσὶ οἱ τοιοῦτοι.

c. 239. ὡς ἐγὼ δοκέω, καὶ τὸ οἰκὸς ἐμοὶ συμμάχεται.

Lib. VIII, cap. 6. ἤθελοι οἱ πέρσαι κρατῆσαι τοὺς ναυλοχοῦντας περὶ τὸ ἀρτεμίσιον ἀθηναίους λάθρα ἐπι πεσόντες· ὡς μὴ δὲ πυρφόρον, ἐκφυγόντα περιγενέσθαι.

c. 37. fol. rect. 36. οἱ δὲ βάρβαροι ἐπεὶ ἐγένοντο ἐπειγόμενοι κατὰ τὸ ἱρὸν τῆς προνοίας ἀθηναίης, αὐτίκα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ etc. usque ad αὐτοὺς. sed pro παρνησσοῦ, παρνησοῦ. Post αὐτούς: εἶπον δὲ οἱ βάρβαροι ὅτι εἶδον καὶ δύο ὁπλίτας μείζονας ἢ κατ' ἀνθρώπους· οἱ διώκοντες ἔκτεινον αὐτοὺς: — (cf. cp. 38.)

c. 48. — — — ἀριθμὸς δὲ (l. 5.) usque ad ὀκτώ, ubi pergit: αἳ συνῆλθον ἐς τὴν σαλαμῖνα.

c. 55. fol. vrs. 35. in marg. ὅτι ἔστιν ἐν τῇ ἀκροπόλι τῶν ἀθηναίων ἐχεχθέος νηὸς· ἐν τῷ ἐλαίη etc. usque ad ἱρῷ. lin. 4. pro παρ', παρὰ. et τε om. — Supra θάλασσα (l. 5.) suprascriptum ῥόθιον vel certe simile quid. — Post ἱρῷ sequuntur: ἐνέπρησαν οἱ βάρβαροι. δευτέρῃ δὲ ἡμέρῃ ὥρων βλαστὸν — ἀναδεδραμηκότα. —

c. 65. l. 25. fol. r. 36. ἔχε ἥσυχος ἢν γὰρ ἐς βασιλέα ἀνενειχθῇ — κεφαλήν.

c. 80. fol. r. 36. ἢν ἐγὼ ταῦτα λέγω, δόξω πλάσας λέγειν, καὶ οὐ πείσω.

c. 86. — — — ἅτε γὰρ τῶν βαρβάρων σὺν νόῳ ποιεόντων οὐδὲν, ἔμελλε — ἀπέβη.

c. 87 et 88. — — — ad marg. ὅτι ἡ σὺν τῷ ξέρξῃ πλεύσασα κατὰ τῆς ἑλλάδος γυνὴ ἡ ἀρτεμισία λεγομένη ἔχουσα μίαν ναῦν συνεμάχει τοῖς πέρσαις κατὰ τὴν ἑλλήνων ναυμαχοῦσα· διωκομένη οὖν ὑπὸ νεὼς ἀττικῆς φέρουσα ἐνέβαλλε νηῒ περσικῇ οὐκ ἐκ προνοίης· ἣν καὶ κατέδυσε· διπλᾶ οὖν ἐντεῦθεν ἀγαθὰ ἑωυτὴν ἐργάσατο etc. usque ἐτράπετο; sed lin. 19. νεώς. et l. 22. om. καὶ αὐτοῖσι ἀμύνειν. Post ἐτράπετο: ἐνομίσθη δὲ καὶ παρὰ ξέρξῃ ὡς νέα τῶν ἑλλήνων κατέδυσεν· ὥστε λέγεται καὶ ξέρξην εἰπεῖν· οἱ μὲν ἄνδρες γεγόνασί μοι γυναῖκες· αἱ δὲ γυναῖκες, ἄνδρες. (cf. fin. c. 88.).

c. 90. — — — φοίνικες, ἐλθόντες παρὰ βασιλῆα, διέβαλλον τοὺς ἴωνας.

c. 100. — — — μαρδόνιος δὲ ὑποπτεύων ξέρξην δρησμόν βουλεύειν φροντίσας πρὸς ἑωϋτὸν ὡς δώσει δίκην. τάδε λέγει ξέρξῃ· σὺ μὲν ἐς ἤθεα etc. ut in fine capitis.

c. 102. — — — ἢν γὰρ σύ τε περιῇς etc. usque ad αὐτῶν οἱ ἕλληνες. —

c. 124. — — — in marg. ὅτι εὐρυβιάδῃ καὶ καὶ (sic) θεμιστοκλεῖ ἔδοσαν λακεδαιμόνιοι στέφανον ἐλαίης. τῷ μὲν ἀριστήϊα· τῷ δὲ σοφίης καὶ δεξιότητος.

c. 135. — — — τοῦτο τὸ ἱερὸν κεῖται ὑπὲρ τῆς κωπαΐδος λίμνης πρὸς οὔρεϊ, ἀγχοτάτω ἀκραιφνίης πόλιος.

c. 137. — — — ἦν δὲ κατὰ τὴν καπνοδόκην ἐς τὸν οἶκον ἐσέχων ὁ ἥλιος· ὃν περιγράφει τῇ μαχαίρῃ etc. usque ad ἀπαλλάσσετο; sed lin. 27. om. τὸν ἥλιον. —

Lib. IX.

c. 3. fol. vrs. 36. ὁ δὲ οὐκ ἐπείθετο, ἀλλά οἱ δεινὸς ἐνέστακται ἵμερος.

c. 5. fol. vrs. 36. τῶν δὲ βουλευτέων λυκίδης εἶπε γνώμην, ὡς ἐδόκεε ἄμεινον εἶναι.

c. 6. fol. vrs. 34. ὅτι οἱ λακεδαιμόνιοι ἑώρταζον τὰ ὑακίνθια:

c. 8. fol. vrs. 36. τοῦτο καὶ ἐπὶ δέκα ἡμέρας ἐποίεον, ἐξ ἡμέρης ἐς ἡμέρην ἀναβαλλόμενοι.

c. 69. ἐςπεσόντες δὲ κατεστόρεσαν αὐτῶν ἑξακοσίους — διώκοντες.

c. 71. fol. r. 36. infr. ὅτι ἀπὸ τῶν ἐν θερμοπύλαις ἀποθανόντων σπαρτιάτων ἐσώθη μόνος ὁ ἀριστόδημος· διὸ καὶ εἶχεν ὄνειδος καὶ ἀτιμίην αἰεὶ ἐν σπάρτῃ καὶ θέλων ἀφέλεσθαι ἀφ' ἑαυτοῦ τὸ ὄνειδος, ἠγωνίσατο ἐν τῇ πρὸς μαρδόνιον μάχῃ· καὶ ἠρίστευσεν ὑπὲρ πάντας τοὺς ἄλλους.

Praeterea etiam haec habet codex in excerptis Herodoteis:

fol. 1. rect. lin. ult. ἅμιλλας ἐποιέετο ἕκαστος ὅπως τόδε ποιήσας, δῶρα λήψεται παρὰ τοῦ ἡγέμονος.

fol. 2. rect. ὅτι πρότερον ἦρξαν πολέμου οἱ σκύθαι κατὰ περσῶν περήσαντες καὶ αὐτοὶ καὶ ἐς τὴν ἐκείνων ἐςβαλόντες γῆν καὶ ἐπικρατήσαντες περσέων μέχρι πολλοῦ καιροῦ:

ὅτι περάσαντες τὸν ἴστρον οἱ πέρσαι καὶ διελθόντες πολλὴν γῆν ἔρημον καὶ μηδὲν μὲν ἀνύσαντες πολλὰ δὲ κακοπαθήσαντες ἔφυγον ὀπίσω μόλις ἀπαλλαγέντες τῆς ἐπιθέσεως τῶν σκυθῶν:

fol. 2. vrs. l. 5: ἀναισιμοῦνται ἡμέραι ζ ἤγουν α... ονται. (II, 31. VII, 20. I, 179.)

— — **supra ad marg.** ὅτι οἱ ἐν ἀσίᾳ γαλάται τῶν ἑσπερικῶν γαλατῶν εἰσιν ἄποικοι ὥσπερ καὶ οἱ ἴβηρες — (cf. VII, 76.)

fol. rect. 34. μεταδογμένον μοι ἐστὶν μὴ ποιεῖν τό:

ibid. βοηθᾶ ἐγένετο τῷ δεῖνι, ὅτι ἐβοήθησε τῷ δεῖνι: φερέγγυον: ὑποτίθημί σοι καὶ ὑποθήκη.

ib. in fine.

ὅτι μετὰ τὰ μηδικὰ μέχρι τῆς πελοποννησιακοῦ πολεμοῦ ἀρχῆς ἔτη ν̅ε̅ ἔγγιστα.

ὅτι μετὰ τὰ τρωϊκὰ παρῆλθον μέχρι τῆς ἀλεξάνδρου βασιλείας ἔτη ω̅ ἔγγιστα: μέχρι δὲ τοῦ ἡροδότου ἔτη φ̅.

ὁ δὲ ὅμηρος ὕστερος μὲν τῶν τρωϊκῶν ἔτη ρ̅ προτερος δὲ ἡροδο^τ, ἔτη υ̅

νόσῳ ἢ θανάτῳ (sic) βιασθεὶς ἀπῆλθεν. vel inter VII, 75—83. vel VII, 82—83.

fol. 34. vrs. supra: τὸ μὲν ἀπ' ἡμέων οὕτω ἀκίβδηλον νέμεται ἐπὶ τοὺς ἕλληνας:

— διετείνοντο τὰ βέλεα ὡς ἀφήσοντες (ante VI, 21.) —

fol. 36. vrs. lin. 1. (ante IX, 3.) τοιούτων δὲ συμβάντων, ἀναγκαίως ἔχει μοι ποιέειν ταῦτα ὁ δὲ etc.

ib. post locum ex IX, 8. sequitur: τὰ τῶν μουσῶν ὀνόματα: κλειω· εὐτέρπη· θάλεια· μελπομένη· τερψιχόρη· ἐρατώ· πολύμνια· οὐρανία· καλλιόπη·

fol. vrs. 36. λέγω δὲ ὡς εἶναι ταῦτα μικρὰ μεγάλοισι συμβάλλειν: ἐμὲ μὲν νυν τοιαῦτα λέγοντες οὐ πείθουσι· λέγουσι δὲ οὐδὲν ἧσσον καὶ ὀμνῦσι δὲ λέγοντες. (sequitur ex IV, 127.) —

ibid. ἡ ἀπειρίη κακὸς θησαυρὸς κ. κακὸν, κειμήλιον τοῖσιν ἔχουσιν· ἡ μὲν ἐπιστήμη ποιεῖ τὸ ἐπίστασθαι ἡ δὲ δόξα τὸ ἀγνοεῖν τὰ δὲ ἱερὰ πρήγματα ἱεροῖσιν ἀνθρωποῖσι δείκνυται· βεβήλοισι δὲ οὐ θέμις πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ὀργιοῖσιν ἐπιστήμης: εἰσὶ τινὲς οἱ τέχνην πεποίηνται τὸ τὰς τέχνας αἰσχροποιεῖν ἀναβήσομαι δ' αὖθις ὀπίσω εἰς τὸν λόγον ὃν ἔλεγον:



Addenda et Emendanda. *)

Pag. 7 Lineae 15 et 16 sunt connectendae.
— 8 lin. 16 et 17 leg. *di*ductae.
— 9 — 19 leg. *Royer.*
— 21 — 8 infr. leg. balsam*a*ndi.
— 25 not. 7. l. 1 leg. *διηθήσαντες.*
— 32 lin. 14 in not. leg. *E*cphanti.
— 33 lin. 15 leg. *Ἔρωτι.*
— 67 lin. 5 infra in not. leg. *οἶκον.*
— 69 lin. 17 In loco Plutarchi de Isid. et Osirid. p. 359 pro *Θηβαίοις* legi vult *Σπηλαίοις* Jacobs über die Memnonien in den Denkschriften der Königl. Akad. d. Wissensch. zu München 1809. 1810. I. p. 25. Wyttenbachius conjecerat: *θήκαις.*
— 84 lin. 15 et 16 pro *hisce hominibus* leg. *crocodilorum cultoribus.*
— 100 lin. 11 infr. not. pro *fecit. Strabonis* leg. fecit. *Ad* Strabonis.
— 101 lin. 3 infr. not. uncinis distingue haec verba: *Cfr., si placet — libro.*
— 102 lin. 4 leg. osten*dimus.*
— 104 lin. 1 *licet* leg. etsi.
— 113 lin. 7 et 11 leg. *in* bove.
— 114 lin. 11, 12 lege: Mestren *sive Mithram* quoque celebrari in *Obeliscorum Aegyptiacorum* auctoribus.

---

*) Non operarum incuria has mendas peperit verum librarii, quem sero intellexi non satis diligentem fuisse. Lector benevole emendabit.

Pag. 128 lin. 13 infr. dele virgulam post: *effecta* sit et lin. 14 post: *Ὀσίριδος.*

— 159 lin. 5 leg. *pro non scriptis.*

— 142 lin. 10 leg. quem.

— 144 lin. 9 infr. leg. exstinct*us* — occultat*us.*

— 148 lin. 6 infr. leg. Aegypt*ii.*

— 157 lin. 13 leg. gerente, *gestata* nunquam sunt.

— 161 lin. 9 dele vocem *phoenix.*

— 163 lin. 5 et sqq. De bestiis consecratis consule Mythologiae nostrae Vol. I. p. 475 seqq. edit. alter.

— 165 lin. 8 infr. lege *lugubrium caerimoniarum.*

— 166 lin. 10 infr. leg. *qui* propius pertineant.

— 169 lin. 7 leg. Pythag*oreorum*que.

— 170 lin. extremâ leg. *μεμνημένος.* —

— 173 lin. 16 leg. inferûm praesides.

— 180 lin. 11 infr. not. dele virgulam ante *antiqua.*

— 182 lin. 11 infr. lege *orientem* versus.

Ibid. lin. 2 infr. lege *ex*hibita.

— 192 lin. 7 infr. not. sejunge et lege *in sculptis.*

— 201 lin. 13 infr. not. leg. Haec ill*i.*

— 201 lin. 11 infr. not. leg. opponere.

— 206 lin. 6 infr. leg. *desciscere.*

— 209 lin. 11 et 12 leg. *magna quaevis.*

— 210 lin. 6 infr. not. interpone *καὶ τῶν* post *δευτέρων* —

— 211 lin. 14 infr. not. dele *τῆς* ante *συγκαλύπτουσι.*

— 219 lin. 15 infr. not. leg. *illam* deam.

— 221 lin. 3 insere *comma* ante *τὰ πάθεα.*

— 223 lin. 18. leg. Ac sicut Aegypt*ii* noctu.

— 224 lin. 15. leg. naturalibus (*physicis*).

— 226 lin. 12 infr. not. leg. *aman*tibus.

— 234 lin. 10 infr. not. lege: *φάντασμα. male.* Origen.

— 250 lin. 7 et 8 leg. variari, *uti quidem creditum,* formam.

— 251 lin. 18 et 19 leg. argument*a* — *sunt* advecta.

— 256 lin. 17 leg. Ver*um.*

— 260 lin. 4. 5. Philiscus Philistus historicus. De hac confusione vide *Goellerum* de situ et origine Syracusarum p. 110 seqq.

— 262 lin. 13 leg. auguria capia*nt*, nec.

— 263 lin. 4 leg. *sapientis.*

— 271 lin. 5 leg. O*n*iam.

— 281 lin. 2 infr. lege vene*n*ato.

— 284 lin. 8 infr. not. leg. *a* recentiorum.

Pag. 287 lin. 12 in not. leg. *Is lacus*; et proxime lin. 13 leg. Rhinoco*luram*.

— 290 not. lin. 1 leg. *καὶ καταβιαζόμενον* et in eadem nota lin. 6 repone binas *virgulas* „post *πολλάκις*.

— 292 lin. 18 leg. magnam partem *terrae*.

— 296 Quae hoc loco de Typhonis specie ac formâ disputavi, qualis quidem in aliquot anaglyphis templorum Aegyptiacorum exhibetur, ea hactenus emendanda sunt. Nam quas imagines ad unum fere omnes pro Typhoniis habuere magni operis editores Francogalli, earum nunc quidem nullus dubito partim ad *Cabiros*, Cnephum, Vulcanum reliquos pertinere. Tu vide quae posui in Mythologiae Vol. I. p. 530. 531 edit. alter.

— 297 not. l. 2 infra leg. Chemm*in*.

— 332 lin. 14 dele *cum* ante *infimae*.

— 336 lin. 19. 20 dele male repetitum *ἀνατρέψαι* cum praemissâ virgulâ.

— 341 lin. 8 leg. exhib*ent*.

— 346 lin. 2, 3 leg. mor*alem* tesseram.

— 351 lin. 16 leg. volucr*i*.

— 352 paginâ mediâ adde: Nolo nunc quidem dicere de *quatuor animalibus* quae *super throno* comparent in vaticiniis; v. c. apud Ezechiel. I. 5—14 et in Apocalypsi IV, 6. ad quem locum Persicarum illarum bestiarum in anaglyphis Persepolitanis docte suos lectores commonefecit *Eichhorn* V. C. in Commentario I. p. 165.

— 357 not. lin. 3 leg. protom*as*.

— 369 lin. 6 leg. comparata*e*.

— 375 not. ult. lin 4 infr. leg. Idem pag. 37.

— 379 lin. 2 leg. *in* hoc capitis exitu.

— 384 lin. 1 leg. consimi*lia*.

— 386 lin. 9 leg. trac*ta*tione.

— 388 notâ penultimâ lin. 4 infr. leg. Vid*eatur icon*.

— 394 in notâ l. 3 infr. leg. grandius qu*i*ddam.

— 395 lin. 9 leg. medi*um*.

— 398 lin. 3 leg. *migrant*, licet *migrantur* h. l. sic satis tueri possis auctoritate exemplorum quae congessit Muncker. ad Hygin. p. 370 ed. Staver.

— 399 lin. 3 leg. addit*am*.

— 402 lin. 24 leg. interposit*us*.

Pag. 405 not. prim. lin. 9 adde: Alii *καλλαϊνόν χρῶμα* malunt esse vel himmelblau, vel stahlblau. Hoc certum apud Jo. Lydum de mensib. p. 73. *βενέτους* declarari *σιδηροβάφους*. Tu confer. Schneideri Lex. in *καλάϊνος* ed. tert.

— 406 l. 12 infr. perspicuitatis caussâ scrib. exorent *in gratiam* animae defuncti *hominis*.

— 410 lin. 8. leg. quomodo ad *terram*.

— 414 lin. 8 leg. sacratum.

— 415 lin. 15 leg. ornamen*tum*.

— 419 not. prim. lin. 6 leg. *re*texam.

— 422 lin. 6 infr. leg. altern*as* — vices.

— 423 lin. penult. leg. Christ. Felix *Bae*hr.

— 438 lin. 7. Nemo non videt legendum esse *Περσέως*. Caeterum confer Scholiastam Platonis p. 75 ed. Ruhnk.

— 443 lin. 13 leg. *ἤθελον*.

— ibid. lin. 8 infr. leg. *ἐρεχθέος*.

In Praefatione pag. VI lin. 8 infr. dele *comma* inter: *Heoataei* et *Milesii*.

Ibid. pag. VII lin. 4 infr. leg. contin*erctur*.



